Digitized by Google

Digitized by Google

B.B.B.
4

Digitized by Google

..3

10 · 3 · 150

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Arch: Leop:

HISTORIAE DIPLOMATICAE IVRIS PATRONATVS APOSTOLICORVM HVNGARIAE REGVM

LIBRI TRES

AVCTORE

ADAMO FRANCISCO KOLLARIO

PANNONIO NEOSOLIENSI,

MARIAE THERESIAE AVGVSTAE A CONSILIIS,

ET AVG. BIBLIOTH. VINDOBON. PRIMI CVSTODIS.



VINDOBONAE,

TYPIS GEO. LVDOV. SCHVLZII, ACADEMICI TYPOGRAPHI. MDCCLXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

IOSEPHO II.

ARCHIDVCI AVSTRIAE,

AMPLISSIMORVM REGNORVM
HVNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE,
CROATIAE, &c. &c.

AVGVSTO HAEREDI

FELICITATEM.

E*quidem ſentio facile, & quam maxima poſſum grati memorisque animi pietate veneror inſigne & ſingulare beneficium* TVVM, SERENISSIME ARCHIDVX, *quod* Libertatem *iſtam, cujus hiſtoriam hoc volumine complexus ſum, in fidem,*

Digitized by Google

& tutelam* TVAM *recipere non ſis dedignatus. Nam quæ florentior, quæ illuſtrior unquam reſpicere illam poterat fortuna? ibit per orbem eruditum ornata* SERENISSIMO NOMINE, *tecta potenti præſidio* TVO, AVGVSTE PRINCEPS, *& memor tum generis ſui, tum ampliſſimi bujus beneficii* TVI, *origines, & viciſſitudines ſuas, quemadmodum* Libertatem *deçet, æquis perinde atque iniquis Lectoribus libere loquetur.*

Ac de originibus quidem jam ſatis conſtat, ut per TE, SERENISSIME ARCHIDVX, *pulchre intelligis, eam Divo* Stephano, *primo Hungarorum Chriſtiano Regi, ob eximiam in Deum pietatem, & ardens propagandæ Divinæ Chriſti doctrinæ ſtudium, a* Silveſtro II,

Sum-

Digitized by Google

Summo Pontifice eſſe conceſſam. Ad viciſſitudines vero quod attinet, eas cum ſacro diademate TVO, *cui indiſſolubili nexu conjungitur, experta eſt varias ſimul & longe graviſſimas; dum Divino demum munere ad* AVGVSTAM DOMVM TVAM HABSBVRGICAM *pervenit: in cujus æterna ſecuritate ut illi perpetuum conquieſcere liceat, unice exoptat.*

Neque id profecto ſine cauſa; difficile quippe dictu eſt, quam tenero gratiſſimi animi ſenſu commemoret innumera beneficia, a Divis FERDINANDIS, LEOPOLDIS, IOSEPHIS, CAROLIS, *accepta; nihil unquam illi fuerit charius nihil ſanctius,* AVGVSTAE GENITRICIS TVAE *memoria, cujus pietate & ſtudio* Apo-

* 3 ſto-

Digitized by Google

ſtolica *publice audit*: *quas autem pro beneficiis in ſe* TVIS, AVGVSTE PRINCEPS, *gratias* TIBI *referet? qui jam nunc benevolentia illam* TVA *tegis*, *&* *ante curas regni*, *cura & ſolicitudine complecteris.*

At nempe in ampliſſimi adminiſtratione Imperii, *cujus* TE, SERENISSIME ARCHIDVX, AVGVSTA GENITRIX TVA *participem facit*, *clare quotidie perſpicis*, *multum admodum intereſſe ad felicem rei publicæ procurationem*, *legum*, *quibus utimur & vivimus*, *primas origines*, *ingenium*, *viciſſitudines probe pernoſcere*: *quid vero in tabulis noſtris frequentius legibus illis*, *ex quarum præſcripto Sereniſſimi Reges noſtri per Regna ſua Chriſti Eccleſias regunt*; *Prælatos eligunt*; *ab una in*

aliam

aliam Eccleſiam traducunt; dignitatibus nonnunquam movent; dona regia ab eorum morte occupant; atque aliis ab ſe electis dant, donant, conferunt? nihil igitur mirum, opuſculum hoc, quod graviſſimarum tot legum origines retegit; ingenium explorat; limites commonſtrat; viciſſitudines pene omnes fide maxima enarrat; eximia iſta benevolentia abs TE *ornari.*

Conſerva porro hunc nobis, SERENISSIME ARCHIDVX, *legum noſtrarum, libertatumque Apoſtolici Regni* TVI *amorem; conſerva memori animo ſapientiſſimi regiminis normam* AVGVSTAE GENITRICIS TVAE; *& reſurgenti feliciter Hungariæ beneficam porrigere manum adſueſce. Deus Opt. Max.* TE,

AV-

AVGVSTE PRINCEPS, *cum* SERENISSIMA ISABELLA TVA, *perpetuitatis Auſtriacæ ſpe longe jucundiſſima, ſalvum atque incolumem quam diutiſſime ſervet!*

SERENITATI TVAE

Devotiſſimus

ADAMVS FRANCISCVS KOLLAR,
PANNONIVS NEOSOLIENSIS.

Digitized by Google

ADAMVS FRANCISCVS KOLLARIVS

HVNGARO LECTORI

S. P. D.

Etſi nulli adſcriptus ſim illorum ordini, qui procurandi publici muneris cauſa legibus patriis, civilique prudentiæ tempus quodpiam dare quotidie debent: rem tamen neque a privato vitæ genere, neque a munere meo prorſus alienam facturum me putavi, ſi utiliſſimum publicis uſibus ſtudium non omnino negligerem. Accidit enim fere, ut jucundius navigent, qui ſiderum, nauticæque non plane rudes, & ſentire facilius gubernantium conſilia, & peritius centemplari, venerarique merita poſſunt. Eſt quidem, non diffiteor, privata hujuſmodi contemplatio pluribus graviſſimiſque erroribus obnoxia, &, ſi verum amamus, ægre aliud invenias ſtudium, quod magis difficile & minus utile ſit. Latent enim nos fere ſemper genuinæ rerum, quæ geruntur, cauſæ; ſubducta deinde noſtris ſunt oculis gubernantium conſilia, qui ſæpe aberratione, ſæpius artis diſſimulatione tempeſtatibus eripiunt ſuos, & ſalvos atque incolumes ad portum adducunt: quam ob rem quacunque ingenii felicitate, vel artis prudentia munitus tibi eſſe videare, ſapientius tamen ſemper agas, ſi privatæ tuæ diffideus perſpicaciæ, inutilem curam proſcribas animo, & ſerenitatem æque atque tempeſtatem omnem durato corde, perpetuoque ſilentio feras. Neque tamen, niſi fallor, legis hujus ii ſunt limites, ut de rebus a majoribus geſtis nulli privato ſcribere, & mentem ſuam litteris conſignare liceat: communia enim hæc bona ſunt, & eorum ſtudiis meditationique relicta, qui charæ patriæ ingenio & litteris prodeſſe privati percupiunt: deinde, ut res, niſi fallor, nunc noſtræ ſunt, & fere ſemper adhuc fuerunt, qui publica apud nos Reip. munia obeunt, illis vix ea, quæ nunc geruntur, conſervare poſteris vacat, nedum vetuſtis & ſitu ac pedore ſordidis ſplendidum muneris ævum & illuſtrem curam impendere queant. Eſt denique antiquitatum noſtrarum penitior ſcientia paullo difficilior, quam vulgo creditur: cingitur difficultatibus pene innumeris, quas mea ſententia is ſolum feliciter ſuperet, qui privato diuturnoque in otio egenam & ingloriam ducere vitam honorificum ducat. Fortaſſe inquies, non placere tibi otioſam iſtam multorum diligentiam, qui poſtquam omne hoc Antiquitatis iter, ut

Digitized by Google

Cicero, odioſus ipſe quoque priſcæ eruditionis admirator, vocat (1), *confecerint, vix tantillum reportent in patriam ſapientiæ, quantum colendo horto vel agello ſatis ſit. Præclarum hoc conſilium tuum quis non probet? recte quippe Fabulator Romanus*:

Niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria (2).

At vero cum æquus rerum arbiter videri ſtudeas, haudquaquam ſcite arti dederis vitio, quod infelicis unius judicium cultoris peccavit. Neque de horto atque agello ſentire mihi videris pulchrius; quod tamen nunc non moror: at videſne clariſſima in luce Jurisprudentiam Romanam, Germanicam &c. Unde hæc illis dignitas? nempe ab Antiquitatum ſtudio Cl. Virorum Merilli, Grotii, Gothofredi, Conringii, Heineccii, Ill. Senckenbergii &c. Hos ergo imitemur velim non λεπτολόγους *illos, qui de peltis, aſciis, clypeis, caligis veterum ea proferunt in lucem, quæ æque utiliter laterent, atque nunc obtruduntur omnibus. Ac de Jurisprudentia noſtra, ſcio nos modeſtiores eſſe, quam ut eam cum Romana componere, & perſimilis eruditionis capacem eſſe, adſerere velimus: habet tamen plurima cum illa communia, illud imprimis, quod ſine doctrina & induſtria elegantiorum hominum erudita luce frui non poſſit.* Plurima enim, *ut Ciceronis utar verbis* (3), in omni jure noſtro antiquitatis eſt effigies, & priſca verborum vetuſtas, & actionum genera quædam, quæ majorum conſuetudinem vitamque declarant: *quæ probe intelligi ſine interiori Antiquitatum ſapientia, meo quidem judicio, & tuo certe quoque, ſi ea cuncta recte perſpicis, haudquaquam poſſunt. Hæc, credo, nunc ſufficient, nam verboſam hujus ſtudii commendationem ſcribere non inſtitui. Ad propoſitum meum quod attinet, id ipſo opuſculi titulo plane indicaſſe mihi videor: veram nempe graviſſimarum legum noſtrarum, quæ recentiori more* Juris Patronatus *veniunt nomine, originem; celebriores de illis Controverſias omnes; uſum earum ſemper legitimum, & nulla unquam viciſſitudine temporis interruptum, vetuſtarum ope litterarum explicare conſtitui. Poteras, inquies, ignotum magis, & a vulgo remotius argumentum deligere. Poteram utique; omnia enim fere ſunt in medio, & jam pene laboris pœnitet: vehementer enim vereor, ne palam fiat, eas etiam leges noſtras, quæ luce meridiana clariores vulgo ſunt viſæ, ſine elegantiorum litterarum luce fuiſſe adhuc longe obſcuriſſimas. Vale! & candorem noſtrum æqui bonique conſule. Scribebam in Aug. Bibliotheca Vindobonenſi Prid. Id. Januar. Anno a Partu Virginis* CIƆIƆCCLXII.

HISTO-

1) *De Orat. I. 60.* 2) *Phædrus Lib. III. Fab. XVII.* 3) *De Orat. I. 43.*

HISTORIAE DIPLOMATICAE IVRIS PATRONATVS APOSTOLICORVM REGVM HVNGARIAE &c. &c.

LIBER PRIMVS.

De initiis religionis Chriſtianæ inter Hungaros, de ſacræ Coronæ, deque Juris Patronatus vera origine.

CAPVT I.

Clariſſimi Viri Joannis Schwartzii de initiis religionis Chriſtianæ inter Hungaros ſententia, brevi propoſita.

HIſtoriam *Juris Patronatus* Apoſtolicorum Hungariæ Regum ſcripturus, a primis Chriſtianæ religionis in Hungaria exordiis initium capere cogor: ita illuſtre argumentum memorias gentis noſtræ penè omnes ambitu ſuo complecti, & diligentiam a me non vulgarem exigere videtur. Et de prima divinæ fidei luce, conſtans doctiſſimorum apud nos hominum opinio ſemper fuit, majores noſtros, Latinis Chriſtianæ doctrinæ magiſtris uſos, ad veram Chriſti Eccleſiam, continuo ſe applicuiſſe. Non deerant quippe, qui de illius probitate ſecuros nos eſſe juberent; ſcriptores nimirum tum coævi, tum ei ætati proximi; exiſtimatio deinde majorum, a religionis noſtræ primordiis ad nos uſque derivata, & quaſi per manus tradita. At vero neque iſti, vetuſtæ licet, conſtantique doctrinæ memoria noſtra integræ diu eſſe licuit, quin ingeniis hominum in contrarias demum partes deduceretur. Nam ſimul ac vetuſta literarum monumenta a viris doctis in lucem efferri, & certatim diligentius evolvi ſunt cœpta; exſtiterunt viri per Europam longe doctiſſimi, qui

Digitized by Google

partim exercendi ingenii, partim novarum religionum gratia, res in dubium vocarent, quæ non populo ſolum, ſed ſenatui etiam eruditorum hominum, nihil cauſæ, cur exagitarentur, habere ſunt viſæ.

Anno CIↃIↃCCXL. *Halæ Magdeburgicæ* lucem vidit Cl. Viri *Joannis Schwartzii Diſſertatio*, *in qua initia religionis Chriſtianæ inter Hungaros Eccleſiæ orientali aſſeruntur.* Qua illecebra tituli, ut arbitror, factum, ut nihil apud nos avidius lectum unquam viderim, nihil magis laudatum ab iis, quorum cauſa ſcriptum eſſe opuſculum videbatur. Neque id Hercule immerito; totus quippe in eo eſt doctus ceterum ac diſſertus auctor, ut traductæ ad ſanam religionem ac fidem Hungariæ laudem Latinis erripiat, Græcis tribuat; locupletiſſimos quoſque teſtes, qui ab Latinis eſſe, atque aliud, atque ipſe ſtatuat, mutire vellent, fictæ religionis, corruptæque fidei arguat; ſententiam unice ſuam admiretur, atque in cœlum efferat. Ex omni tamen teſtium numero nulli inimicus magis eſt, atque celeberrimis Silveſtri II, ſummi Pontificis, litteris, ad Divum *Stephanum*, primum Regem & Apoſtolum noſtrum, miſſis: harum enim authoritatem cum opinionibus ſuis maxime adverſari probe intelligeret, nihil non egit Cl. *Schwartzius*, ut confictas ſuppoſititiaſque eſſe, ac jus Patronatus regum noſtrorum, cujus origines eædem continent literæ, ab ἀναρχίᾳ (1) quadam eccleſiaſtica & αὐτονομίᾳ (2) profectum fuiſſe, oſtenderet: qua, neſcio, doctrinane dicam, an ingenii felicitate, Chriſtiana ſacra, Conſtantinopoli a Græcis accepta, emenſo per Tranſilvaniam itinere, in Hungariam inducit, ac Latinis Chriſtianæ doctrinæ magiſtris noſtris Græcos ſubſtituit. Sed præclara iſta, ſi ſuperis placet, Cl. *Schwartzii* inventa ab origine repetere, & fontes, ex quibus manaverunt, lectori indicare oportet.

Scriptores quidam Græci ante medium ſeculi *decimi*, ſive compluſculis ante natum Divum *Stephanum*, Regem noſtrum, annis fidem Chriſtianam ex ritu & dogmate Græco ab Hungaris quibuſdam fuiſſe ſuſceptam, memoriæ prodiderunt. Eorum princeps & fons *Joannes Scylitzes Curopalates*, in Hiſtoria ſua, *Gabii* opera Latine reddita,

1) *Status eorum, qui principatum non habent.*

2) *Poteſtas vivendi ſuis legibus. Hoc genus gloſſemata, tyronum gratia eſſe ſcripta, lector meminerit, velim.*

Digitized by Google

dita, fol. 62. hæc ſcribit: *Non deſiſtebant autem Turci* (hoc nomine Græci Hungaros tum deſignabant) *in Romanorum* (Græcorum) *regionem irrumpere, eamque depopulari, quoad Boleſodes ipſorum Dux, quum decreviſſet Chriſtianorum fidem amplexari, ad Conſtantinopolim pervenit, & baptizatus a Conſtantino Imperatore ſuſcipitur, Patriciatus dignitate decoratus, ac multæ pecuniæ compos effectus, deinde domum reverſus eſt. Paulo poſt item Gylas, ipſe quoque Turcorum* (Hungarorum) *dux, Conſtantinopolim ingreſſus, baptizatur, paribuſque & ipſe affectus muneribus & honoribus, diſceſſit. Aſſumpſit autem, & ſecum adduxit monachum quemdam, Hierotheum nomine, qui habebatur religioſus ac pius, Turciæ* (Hungariæ) *epiſcopum, a Theophylacto delectum, qui eo profectus, multos a barbaro errore ad religionem Chriſtianam traduxit. Verum Gylas in fide permanſit, neque ipſe in Romanos* (Græcos) *invadens, neque captos Chriſtianos negligens, ſed redemptos pretio curans in libertatem vindicabat. Boleſodes autem, violato fœdere divino, ſæpe omnem exercitum in Romanos* (Græcos) *adduxit. Quod quum in Francos quoque facere decreviſſet, captus ab Otone, ipſorum rege, in crucem actus eſt.* Hæc *Scylitzes.* Eadem prorſus *Cedrenus* narrat Epitomes ſuæ Tom. II. pag. 636; in eo paulum diverſus, quod ducem Hungarorum, quem *Buloſudem* vocat, ait: *Per ſpeciem & ſimulationem amplectendæ religionis Chriſtianæ, Conſtantinopolim veniſſe,* Regem deinde Germaniæ *Joannem* adpellat, cujus diſſimilitudinis cauſas poſt paulo aperiam. Tertius *Zonaras* Annalium Lib. XVI. eadem memoriæ prodidit verbis, hic ſubjectis: *Turci,* inquit, *alias Romanas provincias incurſare ſoliti, ad tempus quieti fuerunt. Nam dux eorum Bologudes, & partis cujusdam princeps Gylas, Imperatorem convenerunt, amboque ſacroſancto regenerationis lavacro initiati, & arcanis noſtræ religionis imbuti, ac patricia dignitate ornati, onuſtique pecuniis in ſuas ſedes redierunt, adducto Pontifice, per quem multi ad Dei cognitionem pervenerunt. Ac Gylas quidem in fide permanſit, pacemque ſervavit. Alter, fœdere, quod cum Deo jecerat, rupto, arma Romanis intulit; idemque contra Francos facere aggreſſus, captus eſt, & in crucem actus.* Atque hi ſcriptores illi Græci ſunt, quorum authoritate permotus Cl. *Schwartzius* Diſſertationis ſuæ num. 31. ratiocinatus eſt hunc in modum: *Gylas,* inquit, *Græcorum quin idem ſit ac Gyula Hungarorum, dubitare nos non ſinunt rationes partim chronologicæ, partim re-*

Digitized by Google

gionis, cujus dominium obtinebat, ſitus. Scriptoribus namque Hungaris perhibentibus, auſpiciis ſuis Tranſilvaniam rexit, memoriamque nominis ad noſtrum uſque ſeculum retinuit Tranſilvaniæ caput, ALBA GYVLAE: *& hinc circumjacens quoque regio, Albenſis comitatus, nomine inſignis Hungaris* GYVLA - FEIÉR - VÁRMEGYE *audit . . . Ex Tranſilvania igitur proximum Gyulæ duci in urbem Conſtantini iter patebat. Adde, præfecturæ ipſius fines imperium attigiſſe Conſtantinopolitanorum; quod Cedreni & Zonaræ verba, quibus pacem cum Romanis eum ſervaſſe, & ab omnibus incurſionibus in fines Romanorum ſibi abſtinuiſſe, teſtantur, ſatis ſuperque docent. Unde vel ipſa vicinitate Gyula permotus videtur, ut primum Græcis familiarius uteretur, ſanioraque ab eis edoctus, Conſtantinopolim deinde peteret. Calculus denique chronologicus, paulo poſt accuratius ſubducendus, oſtendit, Gyulam noſtrum & Stephani patrem Geyſam, coætaneos fuiſſe, ut hic filiam iſtius uxorem ducere, ſtephanumque ex eo conjugio ſuſcipere, potuerit.* Hactenus Cl. *Schwartzius*; ſubducto deinde calculo, & baptiſmo *Gyulæ* ad annum 950. rejecto, ſubdit: *Nullis igitur conjecturis operoſis, nullis portentis, an fabulis, opus eſt, ad explicandum, unde Geyſæ gentique ejus lux illa beata adfulſit; ſi Saroltam, quam paulo ante, vel paulo poſt Gyula ſuſtulit, quam a paganiſmi erroribus reſipuiſſet, ad hoc præcipue opus a Deo fuiſſe delectam, adfirmaverimus.* Hæc ille; portentis ac fabulis adſcribens miranda illa opera, quæ à majoribus prodita memoriæ, non humanana, ſed divina virtute perpetrata fuiſſe, pie adhuc crediderunt Hungari. Sed ſunt & alia in laudato Cl. *Schwartzii* opuſculo his etiam longe duriora acerbioraque, quibus populares ſuos Hungarus, quod mireris, ipſe, ſacris Romanis addictos, aſpere laceſſit; vix enim apta ſatis invenire potuit vocabula, quibus ſuum in Latina Hungarorum ſacra odium explicet: quod heic mihi ſemel monuiſſe ſufficiet; nam ea me ingenii ac doctrinæ elegantia eruditiſſimo *Schwartzio* longe inferiorem eſſe, ultro & palam agnoſco. Cenſorias iſtas viri docti de *Gyula* & *Sarolta*, deque Græcis inter Hungaros religionis Chriſtianæ initiis opiniones docte quidem jam caſtigavit Rev. & Cl. Vir *Joannes Stiltingus* è Societate JESU in Actis Sanctorum ad diem ſecundam menſis Septembris in vita S. Regis noſtri *Stephani*, incredibili diligentia ſcripta; at vero quia id, quod veritatis ſe tuetur viribus, varia & multiplici ratione defendi poteſt, & alia

alias

Digitized by Google

alias fere ſolent eſſe magis perſpecta, nova iſta Cl. *Schwartzii* opinionum miracula, origini Juris, cujus hiſtoriam ſcribere inſtituo, maxime infeſta, popularibus interpretari meis non gravabor.

CAPVT II.

Ea, quæ ſententia Cl. Schwartzii ponit ac vult eſſe vera, verâne re ipſa ſint an falſa, diſpicitur.

Igitur ſententia Cl. *Schwartzii* ſeu in veris, ſive ſimillimis vero ponit ac vult eſſe, primum teſtes, eosque tres; tum *Gyulæ* principatum Tranſilvaniæ; deinde ſinceram & *Gyulæ* & *Saroltæ*, ejus filiæ, ad Chriſtiana ſacra traductionem; poſtremo *Saroltæ* cum *Geyſa* Duce, patre Divi *Stephani*, conjugium, & ſimul in marito ſuo, ac ejus populo, ad Chriſtum adducendo, navatam operam. Adſerti Cl. *Schwartzius* ſui teſtes dat, *Joannem Scylitzen Curopalatam*, alterum *Cedrenum*, tertium *Zonarum*. Vixit *Scylitzes*, eruditiſſimi *Oudini* & aliorum teſtimonio, circa annum 1081, in quem Hiſtoriarum illius Compendium definit. *Cedrenus*, circa annum 1130, qua itidem ætate laudatus *Oudinus Zonaram* floruiſſe oſtendit. De *Scylitze* & *Cedreno* addubitabant viri docti, uter ab altero ſua mutuatus ſit. Cl. Vir *Jo. Albertus Fabricius* Bibliothecæ ſuæ Græcæ Volumine VI. p. 155. falli *Labbeum* ait, qui Cedrenum Scylitzæ exſcriptorem fecerat; at mutat hanc ſententiam ſuam ejusdem Volum. pag. 387. his verbis: *Libenter*, inquit, *aſſentior Allatio, Lambecio, Voſſio, Jac. Thomaſio, Hanckio, Caveo, aliiſque viris doctis, qui Cedrenum non dubitant, ex Scylitze profeciſſe. Quod etiam certum eſt omnino, ſiquidem Jo. Thraceſius, Cedreno laudatus, nullus alius eſt a Joanne Scylitze.* Hæc *Fabricius*. *Zonaram* itidem multa ab *Scylitze* ſumpſiſſe, teſtimonio ſunt tum prologus, tum Libri XVIII. Annalium Cap. XVIII. ut jam pridem obſervatum viris doctis. Sententiam igitur Cl. *Schwartzii* unius *Scylitzæ* fide atque authoritate niti, manifeſtum eſt. At vero vir doctus teſtium ſuorum fidem & numerum ambitioſius prædicat Num. 34. *Scriptores*, inquit, *iſtos inter ſe conferentibus continuo patebit, unum omnes monumentum vetus, rebuſque deſcriptis æquale in Annales ſuos tranſtuliſſe; iisdem namque ſententiis, imo iiſdem fere verbis, utuntur. Et*

Digitized by Google

mihi quidem Zonaras auctorem primum ſimpliciter ſecutus, Cedrenus & Curopalates nomen Francorum, vel potius Germaniæ Regis, ſub quo Búlcſu dux ſupplicium ſubiit, ex ſua quiſque opinione ſuppleviſſe videntur. Quo factum eſt, ut Cedrenus privatus & monachus, veterum codicum lectioni ita unice affixus, ut in recentiorum temporum geſtis hoſpes eſſet, ſuavem illum erraret errorem JONNEM dicens, quem OTTONEM vocare debuiſſet. At Scylitzes in luce hominum agens, Curopalatis honore in aula imperatoria defunctus, unde & appellatio ei adhæſit, non æque ignorare poterat, quæ vel ſuo, vel non multo ante decurſo tempore, acta fuerunt. Præclarum, pro ſuperi ! in Hiſtoria etiam Litteraria ὕστερον πρότερον (1). *Cedrenus* cum *Zonara*, *Scylitzæ* ætate prioris meminere, quam ob rem a doctiſſimis, ut vidimus, viris omnia ea, quibus cum opere *Scylitzæ* convenit, ab eodem ſumpſiſſe judicati ſunt. Cl. tamen *Schwartzius* ipſum etiam *Scylitzen* hiſtorema de ducibus Hungaris, Conſtantinopoli baptiſatis, ex alio quopiam monumento veteri, rebuſque deſcriptis æquali, in annales ſuos retuliſſe contendit. At vero non iſtud ſolum hiſtorema ſed reliquam etiam Chronici partem iiſdem prope *Scylitzæ* verbis *Cedrenus* & *Zonaras* in annales ſuos transferunt; præclara igitur Cl. *Schwartzii* ſententia hæc etiam cum à *Scylitze* tum *Cedreno* & *Zonara* ex diverſo quopiam monumento, aut annali, fuit deſumpta. At hoc rurſus falſum eſſe, *Scylitzes* teſtis eſt, qui in prooemio epitomes ſuæ ultro fatetur, ſe ſua a *diverſis ſcriptoribus* mutuatum, litteris commendaſſe: reſtat igitur, ut *Cedrenus* cum *Zonara* a diverſis quidem ſua ſcriptoribus ſumpſerint, in delectu tamen rerum & ordine, item in ſententiis, & ipſis adeo verbis cum *Scylitze*, nunquam viſo, forte fortuna convenerint; quam incredibilem æque atque novam opinionem non eſt profecto quod Cl. *Schwartzio* invideamus. De ſuavi errore, quem Cl. *Schwartzius Cedrenum* erraſſe dicit, longe itidem aliter ſenſerint viri, vetuſtorum codicum lectioni adſueti. In veteri & eximio Epitomes *Curopalatæ* exemplo Cæſareo, de quo mox agam, *Ottonis* nomen eodem illo in loco ſcribitur hoc modo; ὑπὸ ὤ τῦ τῦ βασιλέως *ab Ottone Imperatore.* Perſimile *Cedrenus Curopalatæ* exemplum habuiſſe videtur; unde cum ei nomen *Ottonis* minus eſſet familiare,

τὸ

1) *Ordo præpoſterus; cum primo loco, quod poſterius eſt; ſecundo, quod prius, effertur.*

Digitized by Google

τὸ τȣ geminatum opinatus, & τῷ ὦ *jota* præcedens detractum eſſe exiſtimans, non aliud inde, Græcis notius, nomen exſculpere potuit, atque *Joannis*; quod paſſim cum alibi, tum in laudato vetuſtiſſimo codice Cæſareo compendio ſcribitur ἰῶ. uti videre licet fol. 9. pag. 1. ubi *Joannes Lydus* ſcribitur ἰῶ ὁ λυδός. Jam vero an non vel hic ſuavis error, ut Cl. *Schwartzio* placet, *Cedrenum Curopalatæ* exſcriptorem eſſe, arguit? Quod de *Zonara* comminiſcitur vir doctus, quaſi *auctorem primum ſimpliciter fuerit ſecutus*, in Hiſtoria veterum ſcriptorum ſomnio perſimile videri queat, atque eam ob rem erudita concertatione indignum. De *Scylitze*, cujus authoritate ſententiam Cl. *Schwartzii* unice niti, jam certum eſt, hæc fere ſunt, quæ cum ſuis opinionibus componi minime poſſunt. Anno 950. *Gyulam*, Tranſilvaniæ Principem, Conſtantini in urbe baptizatum fuiſſe Cl. *Schwartzius* vult; igitur *Scylitzes* cum hiſtoriam ſuam ſemel atque iterum vulgavit, ab ea ætate centum amplius annis abſuit. Neque prima, ex qua, teſte Fabricio itemque aliis, maximam partem in ſuum compendium *Cedrenus* retulit, neque altera *Scylitzæ* editio Græce lucem integre adhuc vidit. Prior Latine, interprete *Jo. Bapt. Gabio*, Venetiis anno 1570. excuſa, in manibus doctorum hominum eſt. Altera Græce manu exarata in Auguſta Bibliotheca noſtra cuſtoditur inter Codd. Hiſt. Græc. n. XXXV. Eſt codex membraneus; *geminum & antiquiſſimum exemplar*, ut recte adnotat *Lambecius* Lib. Comment. II. pag. 579., Epitomes Hiſtoriarum *Curopalatæ* continens. In hujus proœmio propoſitum ſuum auctor explicat his verbis: Ἡμεῖς δὲ τῷ πόνῳ τῶν εἰρημένων ἀνδρῶν ἐκείνων ἀρεσθέντες . . . ἀποξέσαντες δὲ καὶ ὅσα ἐγγὺς ἐρχόμενα εὕρομεν τȣ μυθώδȣς· τὰ δὲ εἰκότα, καὶ ὁπόσα μὴ τȣ πιθανȣ ἐξέπιπτε συλλεξάμενοι· προσθέντες δὲ καὶ ὁπόσα ἀγράφως ἐκ παλαιῶν ἀνδρῶν ἐδιδάχθημεν . . . τοῖς μεταγενεστέροις καταλελοίπαμεν. *Nos autem eorum, quos memoravimus, virorum labore contenti . . . reſectis iis, quæ ad fabulas propius accedere comperimus; quæcunque autem veri ſpeciem habebant, & perſuadendi homines vi non plane erant deſtituta, collegimus: adjectis etiam, quæ cum non eſſent ſcripta, ab hominibus ætate provectis didicimus . . . poſteris reliquimus.* Unde, credo, clare perſpicere licet, incertum prorſus eſſe, in ſcriptone quopiam fide digno *Scylitzes* invenerit, quod de baptiſmo *Gyulæ* refert, an ex ſeniorum narratione didicerit, & *tanquam ſpeciem veri*

habens,

Digitized by Google

habens, *perſuadendique homines vi non plane deſtitutum*, in Epitomen ſuam retulerit. Alterum iſtud fere perſuadet *Scylitzæ* Epitomes editio altera, manu exarata, in qua productum a Cl. *Schwartzio* teſtimonium eſt in hunc modum: ού διέλιπον δὲ καὶ οἱ τοῦρκοι ἐισϐολὰς ἐις τὴν ῥωμάιων ποιούμενοι, καὶ ταύτην δῃοῦντες· μέχρις οὗ βυλοσοδῆς ὁ τούτων ἀρχηγὸς τὴν τῶν χριστιανῶν πίστιν ἀσπάζεσθαι ὑποκριθεὶς, κατειλήφει τὴν πόλιν· καὶ βαπτισθεὶς, ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἀναδέχεται Κωνσταντίνου, τῇ τῶν πατρικίων ἀξίᾳ τιμηθεὶς, καὶ πλέιστων χρημάτων ὑπάρξας κύριος, εἶτ' αὖθις οἴκαδε ὑποστρέψας. Μετ' οὐ πολὺ δὲ καὶ Γυλᾶς, ἄρχων ὢν καὶ αὐτὸς τῶν τούρκων, ἔισεισιν ἐις τὴν βασιλίδα, καὶ βαπτίζεται, τῶν ἴσων ἀξιωθεὶς ἐυεργεσιῶν καὶ τιμῶν· ἀνελάϐετο δὲ μεθ' ἑαυτοῦ καί τινα μοναχὸν ἱερόθεον τοὔνομα, δόξαν ἐυλαϐέιας ἔχοντα· ὃς ἐκεῖσε γενόμενος, πολλοὺς ἀπὸ τῆς βαρϐαρικῆς πλάνης εἰς τὸν χριστιανισμὸν ἐπανήγαγεν. ἀλλ' ὁ μὲν Γυλᾶς ἐνέμεινε τῇ πίστει, μήτ' αὐτὸς ἔφοδον κατὰ ῥωμάιων ποτε ποιησάμενος, μήτε τοὺς ἁλισκομένους χριστιανοὺς ἀτημελήτους ἐῶν, ἀλλ' ἐξωνούμενος, καὶ ἐπιμελέιας ἀξιῶν καὶ ἐλευθερῶν. Βυλοσοδῆς δὲ τὰς πρὸς Θεὸν συνθήκας ἠθετηκὼς, πολλάκις σὺν παντὶ τῷ ἔθνει κατὰ ῥωμάιων ἐξήλασεν. τὸ αὐτὸ δὲ τοῦτο καὶ κατὰ Φράγγων ποιῆσαι διανοηθεὶς, καὶ ἁλοὺς, ἀνεσκολοπίσθη ὑπὸ ὤτου τοῦ βασιλέως αὐτῶν. *Ceterum Turci* (Hungari) *non ante finem fecerunt in Romanas ditiones graſſandi, quam Buloſodes, eorum princeps, fidem ſe amplecti Chriſtianam ſimulans, Conſtantinopolim venit, baptizatuſque ibi, à Conſtantino* (Porphyrogeneto) *eſt exceptus, ab eoque patricii dignitate & magnis donis ornatus ditatuſque domum rediit. Non multo poſt Gylas, ipſe quoque Turcicus princeps, eodem ſe, ejuſdem rei cauſa, confert: baptizatuſque, & eodem, quo prior, modo, tractatus eſt. Abduxit vero ſecum monachum quemdam, Hierotheum nomine, pietatis fama celebrem. Is, ut in Turciam venit, multos à barbaro errore ad Chriſtianam religionem traduxit. Ac Gylas quidem in fide permanſit: & neque ipſe in Romanos impreſſiones fecit, & captivos Chriſtianos emens curavit, libertatemque eis reddidit. Buloſodes autem pactis, quæ cum Deo inierat, reſciſſis, ſæpe cum omnibus ſuis in Romanos expeditionem ſuſcepit: quod idem contra Francos agere volens, ab eorum rege Ottone captus & in palum ſuffixus eſt.* Hæc *Scylitzes* in editione ſua altera; quæ ſi componas cum *prima*, a *Gabio* Latine reddita, videbis, duo hic loca a *Scylitze* eſſe correcta. Priorem *Gabius* vertit: *quum decreviſſet Chriſtianorum fidem amplexari*; unde conjicias, in exemplo ſuo aliud quid ab ὑποκριθεὶς habuiſſe; credibile enim non eſt, ignoraviſſe *Gabium*, quid Græcis τὸ ὑποκρίνεσθαι notet.

Alte-

Alterum idem *Gabius* locum Latinum fecit his verbis: *Turciæ epiſcopum, a Theophylacto delectum*, quem in altera editione ſua *Scylitzes* expungens, indicium egregium prorſus & laudabile poſteris prodidit, ſe hiſterema illud ex populari ſeniorum narratione, vel certe ab ſcriptore haud quaquam fide & religione digno habuiſſe, atque eam ob rem alterum locum libere immutaſſe; alterum, *quod ad fabulas propius accedere videretur*, ex propoſito operis & inſtituto ſuo, expunxiſſe. Ex tribus igitur Cl. *Schwartzii* teſtibus, quos ventus non abſtulit, remanet unicus, centum amplius annis a re geſta remotus, *quæ vero videbantur ſimiliora cum ex narrationibus, tum ſcriptis aliorum colligens, & poſteris relinquens*, atque idcirco teſtis minime talis, cujus authoritate & fide in quæſtione præſenti ſecure quis ſtare poſſit.

Alterum, quod Cl. *Schwartzius* pro vero nobis dat, eſt *Gyulæ* principatus in Tranſilvania. Quis primus ex Hungaris Tranſilvaniæ provinciam armis ſubegerit, quive ejus principes ad tempora usque Divi regis *Stephani* fuerint, memoriæ proditum habemus ab *Anonymo*, *Belæ* regis *Notario*, ex vetuſtis membranis Cæſareis inter ſcriptores Rer. Hung. Anno 1746. edito Tom. I. P. I. ubi pag. 19. habentur, quæ adſcripſi: *Tubutum vero*, inquit, *a die illo terram illam* (Tranſilvaniæ) *obtinuit pacifice & feliciter, ſed poſteritas ejus uſque ad tempora S. Regis Stephani obtinuit. Tubutum vero genuit Horcam, Horca genuit Geulam, & Zubor. Geula genuit duas filias, quarum una vocabatur Caroldu, & altera Saroltu, & Sarolt fuit mater S. Regis Stephani. Zumbor vero genuit minorem Geluam, patrem Bue & Bucne; tempore cujus S. rex Stephanus ſubjugavit ſibi terram Ultra Silvanam, & ipſum Geulam vinctum in Hungariam duxit, & per omnes dies vitæ ſuæ carceratum tenuit, eo, quod in fide eſſet vanus, & noluit eſſe Chriſtianus, & multa contraria faciebat S. regi Stephano, quamvis fuiſſet ex cognatione matris ſuæ.* Hæc *Anonymus*, *Belæ* regis *Notarius*; ex quibus clarum fit, *Gyulam* ſeniorem, *Horcæ* filium, & Saroltæ patrem, eum ipſum eſſe, quem Conſtantinopoli Chriſtiana ſacra fuiſſe amplexum Cl. *Schwartzius* rationibus ſuis evincere contendit. Quæ autem ſunt illæ? nempe quia τὸ Γυλᾶς *Gylas*. Græcum, ſono referre videtur Hungaricum *Gyula*; ætas deinde & vicinia narrationi *Scylitzæ* optime reſpondere adparent. Ac de vicinia, leviſſimum id, niſi fallor, argumentum

 non

non injuria quis eſſe dixerit; cum *Boloſudes*, imperio orientali minime vicinus, Chriſtiana ſacra, ut vult Cl. *Schwartzius*, amplexus ſit: de nomine vero & tempore certum eſt, alios itidem Hungarorum principes per eadem illa tempora *Gyulæ* nomen ferre potuiſſe. Teſtis hujus eſt longe locupletiſſimus *Conſtantinus Porphyrogenetus*, *Auguſtus*. Hic nempe Orientis Imperator, ſub quo duces iſti baptizati, & a quo muneribus cumulati eſſe dicuntur, in opere ſuo, quod filii gratia *de adminiſtrando Imperio* ſcripſit, de Hungaris, quorum Remp. noſcere debebat, Cap. XL. hæc adfert: *Habent autem*, inquit, *primum Ducem exercitus principem e proſapia Arpadæ, cum quo duo alii Gylas & Carchas, qui judicum vicem obtinent. Et habet una quæque gens peculiarem principem; ſuntque Gylas & Carchas non nomina propria, ſed dignitates.* Idem laudati ſupra operis atque eodem quadrageſimo capite repetit Auguſtus ſcriptor: *Eſtque Cale*, inquit, *nomen proprium, cum Carchas ſit dignitas, quemadmodum & Gylas, quæ tamen major eſt, quam Carchas.* Unde ellucet, plures per ea tempora *Gyulas* ſive *Judices* in Hungaria eſſe potuiſſe, cum ut plures gentes & principes, ita etiam plures Judices eſſe oportuerit.

Sed agam cum Cl. *Schwartzio* liberaliter, daboque, apud *Scylitzen τὸ Gylas* non dignitatis vocabulum ſed viri nomen eſſe; numne idcirco intelligendus veniet Tranſilvaniæ princeps, *Horcæ* filius, *Saroltæ* pater? minime; potuit enim hujus ex fratre nepos *Gyula* vocari; uti ex *Belæ Notario* conſtat; cur non licuiſſet aliis etiam eodem nomine uti? quot deinde apud nos *Birones* (1), apud Germanos *Richteri* (2), & hoc genus alii, qui communia munerum nomina largiente uſu populi fecerunt ſua. At, inquit Cl. *Schwartzius*, *Gyulam* Græci ſcriptores *ἄρχοντα τῶν τέρκων principem Hungarorum* adpellant; næ, inquam; an non vero *Boloſudem* quoque eodem dignantur honore? quem *militarem ſolum tribunum Zultæ* ducis fuiſſe, ex *Notario Belæ* ſcimus; ſcribit quippe Cap. LV. *Lelu, Bulſu, Botond, incliti quondam & glorioſiſſimi milites Zultæ, ducis Hungariæ, miſſi a domino ſuo &c.* Hos *Witichindus*, ſcriptor fere coævus, Lib. III. *Duces* adpellat: *Tres duces*, inquit, *gentis Hungaricæ capti, ducique Henrico præſentati, male* mor-

1) *Biro*, *Hungaris Judex*, *Prætor.*

2) *Richter Germanis idem, quod Hungaris* Biro.

morte, ut digni erant, multati ſunt. Imo *Hepidanus*, qui ſeculo undecimo floruit, *Bulcſum* ſive *Boloſudem regis* titulo cohoneſtat ad annum 955. *Multi*, inquit, *illorum (Agarenorum ſeu Ungarorum) comprehenſi ſunt cum rege eorum Pulſzi.* Conſimilia habent *Hermannus*, *Sigebertus*, *Analiſta Saxo*, *Abbas Urſpergenſis &c.* Si igitur *Boloſudes*, neque princeps, neque dux, neque Rex Hungarorum a ſcriptoribus exteris his titulis inſigniri potuit, cur quæſo idem honor *Gyulæ* cuipiam, Judici, vel privato, obtingere non quivit? nulla itaque eſt cauſa, cur ob iſtam etiam principis adpellationem verba *Scylitzæ* de *Gyula*, Tranſſilvaniæ principe, intelligi poſſint, vel debeant.

Utrum *Gyula* cum *Sarolta*, filia ſua, ſincere & ex animo Chriſtianam fidem fuerint amplexi, ridiculus ſim, ſi porro quærere pergam: cum nullo, vel leviſſimo, veriſimili indicio, uti oſtendi, certum eſſe queat, eos unquam iisdem vel leviter initiatos fuiſſe. *Saroltam*, *Gyulæ* filiam, *Geyſæ*, Hungarorum duci principi, in matrimonium collocatam fuiſſe, domeſtici quidem ſcriptores adfirmant: at de navata in traducendo marito ejuſque gente ad Chriſtum opera, ſi Cl. *Schwartzius* non ſomniaſſet nuper, neſcio an unquam futurus fuiſſet alius, cui vigilanti venire id in mentem potuiſſet. Quis enim, quæſo, publice ratiocinari voluiſſet unquam hunc in modum: Pone, ſodes, de ducum Hungarorum baptiſmo Græcos vera ſcripſiſſe; finge *Gylam*, eſſe *Gyulam*, Tranſſilvaniæ principem; da *Saroltam*, hujus filiam, patris exemplum ſequutam; crede ab hac maritum ducem cum populo ad Chriſtiana ſacra fuiſſe adductum, & tum ſaxo, ut videas, initia religionis noſtræ ad Græcos referri oportere. Atqui hæc argumentorum Cl. *Schwartzii* ſumma eſt, hæc epitome. Omnia enim pro libidine ſua ponit, omnia proventu conjecturarum uberrimo fingit; &, ſi verum amamus, pro gravitate Chriſtianæ religionis admodum levem, pro ſanctitate vero etiam iniquum ſpectandum ſe poſteris judicem relinquit. Valeant igitur GRAECA iſta religionis Chriſtianæ inter Hungaros *initia*; valeat Hierotheus, Græcis ipſis nunc *Monachus*, nunc *Epiſcopus*, in omnibus vere omnium ſcriptorum memoriis οὐδεὶς, ſive *nullus*; valeat denique fabella *Scylitzæ*, &, ſi volet, novis Cl. *Schwartzii* opinionum miraculis, per nos licet, glorietur.

Digitized by Google

CAPVT III.

Initia Religionis Chriſtianæ inter Hungaros Catholicæ Chriſti eccleſiæ adſeruntur.

Sed age nunc, veterem de initiis religionis noſtræ opinionem, novæ iſti vel maxime contrariam, pro virili tueamur. *Geyſam* ducem, ejuſque filium *Stephanum*, cum gente ſua, ſub ipſa ſalutaris doctrinæ initia, orthodoxos & Catholicos, ac legitimo Chriſti in terris Vicario fuiſſe ſubjectos, vetus apud nos adhuc opinio fuit. Ac de vetuſtate quidem dubitat nemo, non item de veritate, tanto ſtrepitu a Cl. *Schwartzio* oppugnata. Sub finem ſeculi decimi divinam fidei lucem *Geyſæ* Duci illuceſcere cœpiſſe, omnium annalium librorum fide certum eſt. Vigebant jam tum vel maxime orientales inter eccleſias triſtiſſima diſſidia. Major pars Græciæ, in primis vero Conſtantinopolitani, priſcarum religionum ad barbam & pallium retinentiſſimi, conſuetudines ſuas hoc pertinacius retinebant, quo eaſdem in Latinis temere deſiderabant: fuerunt igitur jam tum characteres illi & certiſſimæ notæ, ex quibus Græcum Chriſti doctrinæ magiſtrum, vel diſcipulum facillime dignoſceres. Non hæc Cl. *Schwartzii* more dico, non, credi mihi, poſtulo: ſed adfirmo hoc ejus ætatis ingenium eſſe, a ſcriptoribus paſſim depictum. *Ademarus*, monachus Ecoliſmenſis, *Geyſæ* Duci Divoque *Stephano* ſcriptor coævus, in Fragmento Chronici ſui, quod Tom. III. Antiquarum Lectionum *Caniſii* exſtat, de *Brunone* Epiſcopo Latino, à quo *Geyſam* cum *Stephano* baptizatos fuiſſe, quidam exiſtimant, memoriæ prodidit, quæ adſcripſi: *Corpus ejus Ruſſorum gens magno pretio redemit, & in Ruſſia monaſterium ejus nomini conſtruxerunt, magniſque miraculis coruſcare cœpit. Poſt paucos dies quidam Græcus Epiſcopus in Ruſſiam venit, & medietatem ipſius provinciæ, quæ adhuc idolis dedita erat, convertit, & morem Græcum in barba creſcenda & cæteris exemplis eos ſuſcipere fecit.* En Ruſſiam de diverſis religionis Chriſtianæ magiſtris partim *Latinam* partim *Græcam*. Græca quippe, teſte *Ademaro, morem Græcum in barba creſcenda & cæteris exemplis ſuſcepit.* Quæ *cætera* illa *exempla* ſint, res per ſe clariſſima interprete, credo, non eget; exterior primum illa religio, de qua, tenaciſſimi Græci, nihil unquam dimit-

Digitized by Google

dimittere voluerunt; litteræ deinde, perpetuæ religionum aſſeclæ, quibus noſtra adhuc memoria Ruſſi utuntur. Atque hoc, credo, illud eſt, quod, omnium monumentorum fide atque ætatum uſu roboratum, objectum ſibi olim iri Cl. *Schwartzius* prævidiſſe videtur: cum bina vetuſtiſſima monumenta, indicandis Chriſtianæ Religionis inter Hungaros initiis vel maxime utilia, atrocibus ſententiis ſuis perculerit. Enimvero litteræ, a *Silveſtro* II. ſummo Pontifice, ad Divum *Stephanum* Regem noſtrum miſſæ, *Inchoferi* Jeſuitæ figmentum; Vita Divi Regis, a *Carthuitio* ſub *Colomano* Rege ſcripta, miſelli Legendarii fabula, defæcati cerebri *Schwartzio* audiunt, rumores Græcorum, præ locupletiſſimis quibusvis teſtibus domeſticis, unice admiranti. At factum bene! non omnes periimus; dum enim iſta libertate, iſta judicii ſeveritate de vetuſtis monumentis noſtris pronunciat, vetuſtæ quædam tabulæ benigniori illius ſententia comprobari meruere. Quæ autem illæ? nempe monachis Latinis ex diſciplina Divi *Benedicti* montis Pannoniæ anno CIↃI. à Divo Rege *Stephano* datæ. De illis enim ſic *Schwartzius* diſſertationis ſuæ pag. 7. *Cujus*, inquit, αὐθεντίαν (1) *infra adſtruemus*. Facit hoc pag. 62. his verbis: *Ad Stephani privilegium, abbatiæ S. Martini elargitum, quod attinet, Petrus Pazmány, Cardinalis & archiepiſcopus Strigonienſis, id ipſum ſe apud abbatem vidiſſe teſtatur.* Recitatis deinde *Pazmani* verbis, hæc ſubdit: *Nos ſtilum diplomatis præcipue ſuſpicimus, ex eoque de tabulæ FIDE & ANIQVITATE judicium facimus.* Litteræ igitur Fundationis antiquiſſimi monaſterii Montis Pannoniæ ipſius etiam Cl. *Schwartzii* ſententia *antiquæ & fide dignæ* ſunt. At vel hæ ſolæ luculentiſſima nobis ſuppeditant teſtimonia, quibus Latina religionis inter nos Chriſtianæ fuiſſe initia vel pertinaciſſimis quibuſque perſuadeamus. Verba quippe S. Regis ſunt: *Quocirca omnium ſanctæ Eccleſiæ Dei fidelium, noſtrorumque, præſentium ac futurorum ſolers comperiat intentio, quod nos interventu, conſilio, & conſenſu domini Anaſtaſii abbatis de monaſterio S. Martini, in monte ſupra Pannoniam ſito, à genitore noſtro incœpto; quod nos per Dei ſubſidium ob animæ noſtræ remedium, pro ſtabilitate regni noſtri ad finem perduximus, talem conceſſimus libertatem, qualem detinet monaſterium S. Benedicti in monte Caſſino* (2). Utiliſſimus ſane cauſæ noſtræ luculentiſſimi teſtimonii locus! qui argumentum a vetuſtiſſimis mona-

1) *Certitudinem atque authoritatem.*

2) *Integras dabo mox Lib. II. Cap. I.*

monaſterii fabricis ſuppeditat; nam has ſaltem omnis ille viderit, qui oculis uti voluerit. Narrat ergo S. Rex ſe monaſterium *a genitore ſuo Geyſa cœptum* ad finem perduxiſſe; audi cauſam: *Quia*, inquit, *propter orationes ſanctas fratrum ejuſdem monaſterii, conſiliante domino Anaſtaſio, præſcripto abbate, & jugiter adjuvante, confortati & laureati ſumus: ſingulare namque ſuffragium, quod per merita B. Martini in pueritia mea expertus ſum, memoriæ poſterorum tradere curavi.* Subdit deinde memoriam victoriæ de *Cupa*, Symegienſi Duce, interceſſore apud Deum Divo *Martino* reportatæ, & addit: *Dumque poſt cogitatum victoria potirer, quod animo revolveram, operis efficacia complere ſtudui. Necdum enim epiſcopatus & abbatiæ præter ipſum locum in regno Ungarico fuerant.* Quibus ex verbis deductas rationes Cl. *Schwartzio* has oppono: primum in Hungaria monaſterium *Geyſa* Dux pro filiis Divi *Benedicti*, monachis Latinis, ſtruxit; non igitur animo à Chriſtianis ſacris fuit tum alieno, neque ſine cauſa id eum feciſſe, eſt vero ſimile. Vivorum numero *Geyſa* Duce erepto, *Stephanus*, ejus filius, idem monaſterium *ad finem perduxit*, ditavit, libertatibus eccleſiaſticis ad exemplum Caſſinenſis Montis ornavit, ob victoriam nimirum *per merita Divi Martini*, Turonenſis Epiſcopi, *& preces fratrum ejuſdem monaſterii* de *Cupa*, Symegienſi Duce, in adoleſcentia, vel, ut ipſe ait, *pueritia* relatam; igitur *S. Stephanus* in prima ſtatim adoleſcentia ſua ita fuit inſtitutus, ut & *Latinorum* monachorum preces utiles ſibi futuras crederet & Sanctum *Latinum* invocaret; & *Latinum* idioma, quo his in litteris loquitur, diſceret, ducis *Geyſæ*, ut vero eſt ſimillimum, & *Saroltæ* parentum voluntate; quam illi nunquam profecto erant habituri, ſi *Hierothei* opera, Græco Schiſmati addicti Epiſcopi, ad Chriſtianam religionem fuiſſent traducti. Atque hoc quidem omnibus, qui communi ſenſu non plane ſunt deſtituti, probatum iri exiſtimo: cujus veritatis vim Cl. quoque *Schwartzius* cum præſentiret, alio ruſſus exitu effugere conatus eſt. Quippe ut ictu uno centenos hoc genus nodos ingenioſus Alexander diſſolveret, Eccleſiam Hungaricam initio ſui ortus fuiſſe ἀκέφαλον, ſive *capite deſtitutam* pronunciare non dubitavit; verba ejus accipe pag. 72. *Ex quo*, inquit, *eccleſiam initio Hungaricam prorſus cenſemus fuiſſe ἀκέφαλον, nec Pontifici Romano nec Patriarchæ Conſtantinopolitano ulla lege addictam.* Equidem vehementer miror, non veniſſe

niſſe in mentem eruditiſſimo *Schwartzio*, pervulgata illa Apoſtoli ad Rom. cap. X. v. 11. verba: *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo vero prædicabunt, niſi MITTANTVR? ſicut ſcriptum eſt &c. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Miror, inquam, vehementer; ac maxime etiam, quod Græci Scriptoris ſui *Scylitzæ* prorſus hic oblitus eſſe videatur: plane enim is de *Gyula* retulit: *Aſſumpſit autem, & ſecum adduxit monachum quemdam Hierotheum nomine, qui habebatur religioſus ac pius, Turciæ epiſcopum, a Theophylacto* (ejus temporis Conſtantinopolitano Patriarcha) *delectum.* Id eſt, me interprete, MISSVM. Si igitur *Hierotheus* a Patriarcha Conſtantinopolitano *miſſus*, ſi Hungariæ epiſcopus fuit, an non, quæſo, luce meridiana clarius eſt, eccleſiam in initio Hungaricam, ſive *multos* illos *a barbaro errore ad religionem Chriſtianam* Hierothei opera *traductos*, ἀκεφάλους eſſe non potuiſſe? Si vero *miſſus* non eſt, male Cl. Vir initia religionis noſtræ ad *Orientalem Eccleſiam* refert: potuit enim vel hic *Hierotheus*, vel alius ille *Cedreni* Pontifex, extra *Eccleſiam Orientalem* eſſe; potuit λατινοφρονεῖν, *cum Latinis ſentire*, ut jam tum loqui Græcis in more fuit: potuit ἀλλοτριοφρονεῖν, καὶ κατὰ προσποίησιν μὲν ὀρθοδοξεῖν, κατ' ἀλήθειαν δὲ εἶναι αἱρετικός. *Aliena a vero ſentire, & in ſpeciem quidem rectam ſequi opinionem, revera autem hæreticus eſſe;* ut loquitur *Balſamon ad Can. VI. Concil. Conſtantinop. pag.* 311. Si velit vir doctus, ſchiſmaticum quidem fuiſſe, at non *miſſum;* ſcire tum & ego velim cauſam, cur hic Græcorum ſuorum authoritate ſtare nolit, qui a Patriarcha Conſtantinopolitano *Hungariæ epiſcopum* fuiſſe *delectum* memorant. Atque hoc reſponſum æquo animo, ſperamus, feret vir doctus, & ſententiæ noſtræ probitatem eo libentius agnoſcet, quod præterea, ut jam eruditiſſimus *Stiltingus* docuit, fulta ſit teſtimonio ſcriptorum omnis ævi. Nos *Latina* Divi regis inſtitutione, *Latiniſque* monachis nitimur; teſtes nobis ſunt vetuſtæ tabulæ, Cl. etiam *Schwartzio* probatæ. His, ſi quid adhuc lucis egent, adfundunt clariſſimam coævi ſcriptores duo, *Benedictus* VII. Summus Pontifex, & *Piligrinus*, Laureacenſis Epiſcopus. Utriuſque litteræ, e codicibus Cæſareis vulgatæ, exſtant apud *Lambecium* Libro Commentariorum ſecundo pag. 641. Ac *Piligrinus* quidem

dem de initiis converſionis Hungarorum, tanquam de re nuperrime cœpta, circa annum 974. ad *Benedictum* Summum Pontificem hæc ſcripſit: *Notum fieri dignetur vobis, ſumme Sacerdotum Præſul, quod ſupra omne animi mei deſiderium nunc delectarer, & Apoſtolorum viſitare limina, veſtraque optabili perfrui præſentia, & ea facie ad faciem, quæ litteris & internunciorum committo indiciis, ſanctiſſimæ Paternitati veſtræ coram ratiocinari, niſi quod a neophyta Ungarorum gente huc ire prohibeor, apud quam, fœdere pacto, ſub occaſione pacis fiduciam ſumpſimus operam exercere prædicationis. Cujus enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum provinciarum prædicatoribus mea Diœceſis hactenus aditum clauſit, ad quas Deus Omnipotens, qui ſolita ſua pietate ſemper diſperſa congregat, aperire dignatus eſt januam cordis ſui, diu clauſam, ut diſciſſo velamine duritiæ ſuæ, depoſitaque ferina crudelitate, leni jugo Domini colla ſubmittant. A qua ergo præfata Ungarorum gente multis precibus ipſe invitabar venire, aut MISSOS meos, in opus Evangelii illuc dirigere, ad hos dum tranſmitterem ſatis idoneos viros ex Monachis Canoniciſque Presbyteros, atque de ſingulis Eccleſiaſticis Gradibus Clericos, & vita & omni converſatione illorum ſic ordinata, quemadmodum in geſtis Anglorum didici, tantum Divina gratia ſuis inſtitutionibus fructum ſtatim miniſtravit, ut ex eisdem nobilioribus Ungris utriusque ſexus Catholica fide imbutos, atque ſacro lavacro ablutos, circiter quinque millia lucrarentur. Chriſtiani autem, quorum major pars populi eſt, qui ex omni parte mundi illuc tracti ſunt captivi, quibus nunquam ſoboles ſuas licuit, niſi furtive, Domino conſecrare, modo certatim, nullo obſtante timore, offerunt eas baptizare, & gratulantur omnes tanquam de peregrinatione ſua in patriam reducti, quod Chriſtiano more Oratoria audent conſtruere, & licentia percepta linguam ligatam in laudem Salvatoris præſumunt ſolvere. Ipſi enim barbari, mira Omnipotentis Dei operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate ſint quidam detenti, nullum tamen ex illorum ſubditis vetant baptizari, nec Sacerdotibus invident, quocunque libet, proficiſci, ſed ita concordes ſunt pagani cum Chriſtianis, tantamque ad invicem habent familiaritatem, ut illic Iſaiæ videatur impleri Prophetia:* Lupus & agnus paſcentur ſimul, leo & bos comedent paleas. *Factum eſt ergo, ut pene cuncta Vngrorum natio ſit prona ad percipiendum fidem ſanctam. Sed & aliæ Sclavorum Provinciæ ad credendum promptæ; & eſt ibi meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Vnde quoque viſum eſt jam neceſſarium*

rium eſſe quatenus Sanctitas veſtra illic aliquos jubeat ordinari Epiſcopos &c. Hactenus *Piligrinus; Reſponſum Benedicti Papæ*, inquit Stiltingus, (1) *ad haſce litteras nullum editum eſt, licet dubium non videatur, quin Piligrino reſponderit. Exſtat enim epiſtola ejus ad archiepiſcopos varios Germaniæ ipſumque Ottonem imperatorem & Henricum Bavariæ Ducem, occaſione præcedentis data, ex qua intelligi poteſt, ipſum annuiſſe poſtulatis Piligrini.* Ejus partem ex Lambecio hic ſubjicio. *Nunc autem, qnam ob rem vocibus exultantibus in laudem omnipotentis Dei erumpimus, non ſolum ſæpedicta ſancta Laureacenſis eccleſia, hoſtium ceſſante terrore, cum accolis ſuis pace & tranquillitate potitur, verum etiam ipſi dudum inimici illum, quem perſecuti ſunt more gentili, jam jam Chriſtum baptizati, profitentur, & ſacerdotes modo habere deſiderant, ac prout ſcire rudes poterunt, venerantur; & eccleſias quaſdam in ſua terra, quas patres incendio delerunt, poſteri reſtaurare videntur. Hac ergo ſuadente ratione, quod prænominati Sanctæ Lauriacenſis eccleſiæ archiepiſcopi poſtulatio antiqua Apoſtolica auctoritate commendatur, & præterea, quod, cum juſtum eſſet pariterque utile etiam viſum eſt, ut ad fructificandas Deo gentes ex novitiis cultoribus fidei Ungrorum atque Maravorum, ſive etiam aliis multis Sclavorum ſuæ parochiæ finitimis, illic ORDINATIS EPISCOPIS, ſecundum quod antiquitus diſpoſiti erant, eis hunc conſtituerenus archiepiſcopum &c.* Hæc ex litteris ſummi Pontificis *Benedicti*, quæ ſi cum *Piligrini* epiſtola componas, vim fateberis vel maximam ineſſe argumento meo, ab inſtitutione Latina Divi *Stephani*, ab jactis a *Geyſa* Duce primi in Hungaria monaſterii pro Filiis Divi *Benedicti* Fundamentis petito. Tollat igitur Cl. *Schwartzius* initia ſua GRÆCA; tollat eccleſiam Hungaricam initio acephalam: nos in ipſo Divinæ lucis diluculo *Latinam*, & legitimo in terris Chriſti Vicario ſubjectam fuiſſe, oſtendimus.

CAPVT IV.

Auctoris opuſculi, Hungaria ſub Vaivodis & Ducibus *inſcripti, de initiis religionis Chriſtianæ inter Hungaros ſententia, obiter refutata.*

Finieram iſta, cum ecce *Hungaria ſub Vajvodis & Ducibus cum cenſura ampliſſimi Senatus Sempronienſis a Joanne Pelcz Anno* CIↃIↃCCLV. in

C

1) *In vita Sancti* §. *VII. n.* 85.

Digitized by Google

in publicum propoſita & divulgata (1) ad alia properantem retinere eſt viſa. Eruditus quippe auctor indagandæ, ut opinor, veritatis gratia repertum a Cl. *Schwartzio* de *Boloſudis* & *Gyulæ* baptiſmo Græcum hiſtorema, nova & mira iterum ratione tueri, ſcriptoreſque Latinos cum Græcis conciliandi rationem quærere, perexit (2). Confutatis ergo eruditiſſimi *Stiltingi* rationibus, ultimæ, quæ illi plus roboris habere eſt viſa, reſpondet hunc in modum: *Quod denique*, inquit, *ad auctorum, fide ſane dignorum, teſtimonia attinet, quæ Hungaros ad ſacra Chriſtianorum Ottonis demum temporibus acceſſiſſe oſtendunt, neque adeo veriſimilem eorum narrationem relinquunt, qui, Conſtantino imperante, duos Hungarorum Principes Chriſtianorum ſacra amplexos eſſe tradunt: facilem oſtendemus rationem conciliandi inter ſe auctores iſtos, ut appareat, & hos, & illos, verum dixiſſe, ſi diſtinctam ſacrorum in aliqua gente fortunam conditionemque attendendam expoſuerimus. Diverſa ſane ſacrorum eſt ratio, quorum primo alia publica, alia privata conſtituimus. Illa quidem reipublicæ liberæ ſunt, in qua auctoritate publica, & publicis in locis, publice omnibus permiſſa ſacra celebrantur, & publicis ſumptibus ſuſtinentur: horum vero ratio contraria eſt, quippe quæ privatim, nec publico loco, nec publicis impenſis, paucorum religioſa obſervantia, coluntur. Deinde alia domeſtica dicamus, pro ſingulorum patrumfamilias officio, ita procuranda, ut rituum tamen ſolemnium, divina auctoritate inſtitutorum, & Sacerdotum juri, ac muneris ſanctitati vindicandorum, obſervatione excepta, precum ac meditationum ſacrarum pietas intra privatos parietes conſtet, & vigeat. Denique nec clandeſtinorum, ſeu occultorum ſacrorum prætermittenda eſt mentio, qualia ſæpe in rep. vel civitate quadam obſervata ſunt a quibusdam, quia peregrina, vel legibus reip. vetita erant - - - His obſervatis jam concludamus, atque ita in hac controverſia peroremus, ut efficiatur, cum ex litteris Piligrini ad Benedictum VII. . . . . ſacra Chriſtianorum apud eos Chriſtianos, qui captivi inter Hungaros vivebant, conſervata, & retenta fuiſſe, atque adeo in his terris, ab Hungaris occupatis, ſacrorum Chriſtianorum cultores, licet occultos, nunquam defuiſſe: præterea Gylan, partis cujusdam principem, in ſuam provinciam ſacra Chriſtianorum invexiſſe: certum ſit, ſacra, vel in narratione Conſtantini Porphyrogeniti, vel in litteris Piligrini, & Bonifa-*

1) *Sopronii typis Joan. Joſeph. Sieſs, in 8vo.* 2) *Pag. 59.*

nifacii, (1) *Pontificis*, *alia intelligenda non eſſe*, *quam publica*. Hæc Cl. *Pelczius;* quæ tametſi ſubobſcura videri queant, clariſſime tamen ab opinionibus *Schwartzii* diſſentiunt, qui *publica* inter Hungaros Chriſtiana ſacra a Græcis eſſe profecta, contendit. De clandeſtinis Chriſtianorum, ſeu per Pannonias ab Hungaris ethnicis ſubactorum, ſive illuc in captivitatem abductorum ſacris, eadem mihi prorſus mens, eadem opinio; de *privatis* autem, vel toleratis non item: atque idcirco *Gylan*, *partis cujusdam principem*, *in ſuam provinciam ſacra Chriſtianorum invexiſſe*, non *certum*, ut Cl. *Pelczius* judicat, ſed novum rurſus commentum eſſe exiſtimo. Pugnant enim contra hanc itidem opinionem rationes ferme omnes, quæ cum ab eruditiſſimo *Stiltingo*, tum etiam a me, Cl. *Schwartzio* ſunt oppoſitæ. Ac de ſcriptoribus Græcis, res ipſa loquitur, & una omnium doctiſſimorum hominum vox eſt, *Cedrenum* & *Zonaram* Chronicon *Scylitzæ* exſcripſiſſe; cum non hiſtorema ſolum de baptiſmo *Boloſudis* & *Gyulæ*, ſed ea etiam, quæ præcedunt & ſequuntur, iisdem prope *Scylitzæ* verbis referant, & omne ferme ejusdem Chronicon operi ſuo inſerant. Et de *Cedreno* quidem nullus dubitat; de *Zonara* autem, ſuopte marte & ingenio Chronicon ſcribente, is verum eſſe agnoſcet, qui ea, quæ a *Scylitze* mutuatur, cum illius editionis ſecundæ exemplo contulerit; hoc genus ſunt, quæ hiſtorema de baptiſmo ducum Hungariæ ſequuntur: *Elgæ* Ruſſorum Reginæ Baptiſmus; *Theophylacti*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, equorum, canum, venationum, ſimiliumque rerum inſanum ſtudium &c. quæ cum brevius, more ſuo, cultiusque narret, identidem tamen ipſis *Scylitzæ* verbis uti non dubitat, haudquaquam in *Schedula* quadam, quod temere Cl. *Schwartzius* de baptiſmo *Gyulæ* petiit, & parum caute *Stiltingus* conceſſit (2), ſed in Chronico *Scylitzæ* reperiſſe dicendus eſt, ſecus enim tot ſchedulas confingere oportebit, quot loca *Zonaras* ex Epitome *Scylitzæ* ejusdem ferme verbis operi ſuo inſeruit. De fide *Scylitzæ* jam ſupra oſtendi, eum duo hiſtorematis loca in editione altera libere correxiſſe, quod, ut ex proœmio ejus liquet, facturus non erat, ſi id in autore quopiam, aut alio fide digno monumento re-

1) *Lege* Benedicti; *Bonifacius enim VII. quem hic* Benedicto *VI. auctor per oſcitantiam, ut arbitror, ſubſtituit, legitimus Pontifex non fuit.*

2) *In vita S. Stephani* §. *VI. n.* 66.

Digitized by Google

reperiſſet. Nihil igitur certi ex Græcorum monumentis de veritate rei geſtæ erui poteſt; minime autem, quod Cl. *Pelczius* vult, *Gylan, partis cujusdam principem, in ſuam provinciam ſacra Chriſtiana* INVEXISSE. Quippe vel ipſum hoc *Gylæ* nomen, ut jam ſupra docui, incertum reddit, utrum provinciam Hungariæ quampiam ſuis auſpiciis moderatus ſit: nam quod a Græcis *partis cujusdam Princeps* dicitur, princeps eam ob rem, ut ſupra itidem certum dare adniſus ſum, eſſe non debuit: ſin autem auſpiciis ſuis cuipiam provinciæ non præfuit, qua via & ratione in *ſuam provinciam* ante annum Chriſti 955. vel poſteriori etiam tempore, Chriſtiana ſacra induxerit Cl. *Pelczio* indicandum relinquo.

CAPVT V.

Novæ aliæ Cl. Viri Joannis Schwartzii opiniones de ſacra Regni Hungariæ Corona refelluntur.

Excuſſi conjecturas de initiis religionis Chriſtianæ inter Hungaros, reliquum eſt, ut alia Cl. *Schwartzii* de ſacra Corona noſtra opinionum miracula, origini Juris Patronatus noſtri vel maxime contraria, in examen vocem. Igitur, ſi erudito Viro credimus, Corona regni Hungariæ non a *Silveſtro II.* ſummo Pontifice Romano, quemadmodum adhuc ab omnibus creditum, Divo Regi noſtro *Stephano*, ſed a Conſtantinopolitano Imperatore Hungaro cuipiam, de Græcis bene merito, dono data fuit. Omnium Cl. *Schwartzii* argumentorum ſumma eſt hæc: Corona Hungarica Græcæ eſt conſuetudinis: data igitur fuit Hungaro cuidam ab Imperatore Græco. *Quando autem*, inquit, *a quo, & cui, an non Buloſudi aut Gylæ, in reliquis donis, quibus Conſtantinopoli baptizatos Imperator donavit, hæc corona data fuit? conjecturas ex conjecturis exſculpere nolumus*: At vero an non palmaris hæc itidem conjectura eſt: *Hungarica corona Græci eſt artificii, Græcæ conſuetudinis: igitur ab Imperatore Conſtantinopolitano Hungaro cuidam dono fuit data.* Sed audiamus auctorem ipſum pro corona ſua Græca num. 44. differentem: *Diadema illud*, inquit, *aut, ſi mavis, corona, qua reges Hungariæ, quoad longiſſime reſpicere, eorumque memoriam recordari ultimam licet, longo omnes ordine inſigniti fuerunt, adeo ut legitimus rex non haberetur, niſi cujus auguſtum caput ſacrum hoc pondus preſſit; Græcæ eſſe conſuetudi-* nis,

Digitized by Google

nis, adfirmare nulli dubitamus. Formam namque ejus ſi ſpectes, ex clauſarum, ut vocant, coronarum numero eſt, quales ante tria ab hinc ſecula Europæ regibus coronæ in uſu non fuerunt. Soli Imperatores clauſas hujus generis coronas proprias ſibi vindicabant: ceteri vero reges diadematibus ex aureo circulo conflatis, ex quo pinnæ quædam ornamentorum, vertice tamen aperto, efflorefcebant, uſi ſunt. Græcorum præcipue morem referunt catenulæ aureæ octo, in totidem gemmas deſinentes, & ad utrumque juxta aures latus, hinc quatuor, illinc quatuor, dependentes, nona inſuper in tergum defluente. Maximo autem argumento, ad Græcos coronæ Hungaricæ natales attribuendum, nobis eſt, quod Illuſtriſſimus Comes Petrus de Réwa, ſacri illius Cimelii conſervator quondam duumvir, qui eam intentis oculis adſpexit, ſolliciteque deſcripſit, præter Salvatoris mundi, beatiſſimæ Virginis Mariæ & SS. Apoſtolorum, Conſtantini præterea Magni, aliorumque Græcorum Imperatorum imagines in ea exſtare, &, quod caput rei eſt, litteris Græcis notatas eſſe, prodidit. Tanta hæc illuſtriſſimo Comiti de Réwa viſa ſunt, ut & ipſe ſacri diadematis originem ad Græcos referret. Hactenus Cl. *Schwartzius*; verba laudati Comitis, quæ indigitat ſunt: *Videtur autem*, inquit Réwajus, *Græci artificii eſſe noſtra corona, non tantum ex dictis imaginibus & litteris, ſed & appenſis catenulis, quæ iisdem locis in iconibus Græcorum imperatorum deprehenduntur.* Unde conjicias, laudatum quidem Comitem reipſa exiſtimaſſe, coronam Hungaricam diu ante *Silveſtrum II.* fuiſſe fabricatam, & Græci eſſe artificii, nequaquam tamen dicere, munus eſſe Imperatoris Græci: ſed cenſet laudatus Comes, diadema noſtrum idem illud eſſe, quod *Conſtantinus Magnus* Imperator *Silveſtro* Pontifici Romano, teſte *Platina*, dono miſit, quodque ad tempora *Silveſtri II.* in theſauris Pontificiis latuit; qua de re, quid ſentiam, poſt paulo indicabo. Nunc ea, quæ Cl. *Schwartzius* pro veris habet, videamus. *Cangius Diſſertatione XXIV. ad vitam S. Ludovici Regis*, ut Stiltingus refert, *exhibet coronas, aut principum diademata, triginta quatuor, putatque pag.* 293. *hanc fuiſſe coronam ſuperius clauſam. Idem pag.* 291. *affirmat, Theodebertum, Francorum Regem, uſum fuiſſe corona clauſa, quali utebantur ejuſdem temporis Imperatores Græci. Idem rurſus diadema clauſum attribuit regibus Anglo-Saxonibus; & pag.* 294. *Theodato-Italiæ regi, qui ſic exprimitur apud Octavium Strada, uti & alii plures. Denum, ut mittam alios, teſtatur Cangius pag.* 299. *regibus Angliæ multis*

Digitized by Google

ſeculis uſitatam fuiſſe coronam clauſam. *Nec ſoli igitur Imperatores olim corona clauſa caput exornarunt, ut nimis generaliter adſerit Schwartzius*, neque tria tantum abhinc ſecula Europæ reges, coronis clauſis ſunt uſi. *At vero*, inquit Schwartzius, *cur Silveſter II. non Conſtantini Magni tantum, ſed & aliorum imperatorum Græcorum imagines in ſui operis cimelio ellucere voluit? cur Græcis eas litteris inſignivit? cur univerſam coronæ formam, contra occidentalium regum morem Græcorum æmulam finxit?* De occidentalium regum more plura, ſi volet, ac meliora Cl. *Schwartzius* ab laudato *Cangio* accipiet; aliis, quæ objicit, priusquam reſpondeo, fateri ingenue cogor, nondum mihi licuiſſe ita eſſe beato, ut ſacram coronam noſtram oculis contueri meis vel a longe unquam potuerim; quam ob rem Illuſtriſſimi Comitis *de Réwa* diligentiæ, doctrinæ, fidei totum me hic credere cogor. Scripſit is *De ſacræ Coronæ Regni Hungariæ ortu, virtute, victoria, fortuna, brevem Commentarium*, qui Anno CIↃIↃCXIII. Auguſtæ Vindelicorum, typis *Chriſtophori Mangi*, lucem aſpexit. Idem opuſculum, cura Illuſtriſſimi Comitis *Franciſci de Nadaſd*, typis *Coſmerovii*, Vindobonæ iterum vulgatum fuit anno CIↃIↃCLII. Tertio denique, ſtudio autoris diligenter emendatum, & auctum, curante laudato ſupra eruditiſſimo Comite *de Nadaſd*, Francofurti, Anno CIↃIↃCLIX. typis *Mathiæ Götzii* editum eſt ſub epigraphe: *De monarchia & ſacra corona regni Hungariæ centuriæ ſeptem.* Primam & alteram editionem ornat icon ſacræ Coronæ noſtræ, ductu, ut opinor, laudati Comitis *de Réwa* non inſcite æri inciſa. Error in loco & numero catenularum Auguſtæ Vindelicorum admiſſus, emendatus cernitur in Vindobonenſi editione, ab Illuſtriſſimo Comite *de Nadaſd*, ut dixi, procurata. Trium imperatorum, qui frontem coronæ occupant, Græcæ quidem inſcriptiones ſunt, haudquaquam tamen majuſculis illis, quibus aliæ vetuſtæ Græcorum epigraphæ ſcribi ſolent, ſed minoribus, quibus etiam nunc vulgo utimur, elementis exaratæ, in hunc plane modum: Κονςαντιν Βασιλευς · Κονςαντιν Βασιλευς · Κονςανς Βασιλευς. *Conſtantinus Imperator; Conſtantinus Imperator; Conſtans Imperator.* Apoſtoli, qui clare noſci poſſunt, duo ſunt, *Petrus* nempe & *Andreas*; ille cum clavibus ad dextram, hic cum cruce ad ſiniſtram Divini Servatoris, qui dextra manu, digitis tractis extenſisque, Græcorum itidem more, benedicit, læva autem globum, ſive orbem crucigerum, tenet. Ad ſummam, Sacra

Coro-

Digitized by Google

Corona noſtra, qua parte æri inciſam ſpectare licet, Græcam originem & artem præ ſe fert. Attamen quia Ill. Comes *de Réwa reliquas effigies regum, atque imperatorum martyrumque Chriſtianorum* eſſe teſtatur, neque nomina eorum, quod optaſſemus, adſcribit, certi omnino adhuc eſſe non poſſumus, eam plane Græcam, neque ulla ex parte Latini moris & conſuetudinis eſſe. Sed fingamus omnia Græcam artem & morem redolere; numne idcirco ſacri diadematis origo ad Græcos erit referenda? *Ne dubita*, inquit Cl. *Schwartzius; tanta enim hæc illuſtriſſimo Comiti de Réwa viſa ſunt, ut & ipſe ſacri diadematis originem ad Græcos referret . . . Hic igitur murus aheneus eſto, quem Baronius, Inchofer, omneſque ſui ſimiles regnum Hungariæ pro auri pondere mercantes, regeſque ipſos in curiæ Romanæ ſervitutem addicentes, arietare tentent, tentent, inquam.* En Heroa metuendum! qui *Baronium, Inchoferum*, ſuperi! quos viros! omneſque eorum ſimiles, in arenam provocare audeat. Sed, ô bone! nondum res ad Triarios venit; nobis, Velitibus Romanis, imperator negotium dedit, manus tecum conſerendi. Dux nobis eſt fortiſſimus æque atque clariſſimus *Leo Allatius*, ex cujus eruditiſſimo *de Eccleſiæ occidentalis atque orientalis perpetua conſenſione Opere* pag. 122. diſcere poteras, inſcriptiones diadematis noſtri, & conſuetudines Græcas, haudquaquam murum aheneum, tuendis opinionibus tuis, perquam ridiculis, eſſe poſſe. Quid enim, eodem *Allatio* teſte, an non ad hodiernam uſque diem in variis urbis Romanæ templis ſpectare licet ſanctorum iconas, non penicillo tantum, ingenio, & more Græco in muris tholiſque eccelſiarum depictas, ſed, quod tu tantopere in Corona noſtra miraris, Græcis etiam elementis inſcriptas? numne idcirco templa illa Conſtantinopoli ſtructa, pictave, & Pontifici cuipiam, vel Patricio Romano, de orientis imperio bene merito, dono miſſa fuiſſe exiſtimes? an non vel hodie viri, non dicam docti, vel criticam artem profeſſi, ſed modice, aut etiam intra modum cauti, dum opera peregrinum in modum facta conſpiciunt, recte judicant, ea, vel peregrina eſſe, vel peregrinum in modum facta? Enimvero ſi Cl. *Schwartzius* conſuetudines Græcorum vel obiter in memoriam revocaſſet, animadverſurus facile fuerat, coronam Hungaricam, litteris quidem Græcis inſcriptam, at iſta, qua eſt forma, factam, Romæ præ Conſtantinopoli natales ſuos debere, &


Digitized by Google

& a Pontifice Romano potius, quam ab Imperatore Conſtantinopolitano in Hungariam eſſe ſubmiſſam: eſt enim, ut cauſam paucis reddam, DIADEMA IMPERIALE, ſive, ut citerioris ævi more loquar, *Stemma Auguſtale*; ornamentum captis eximium, & Imperatoribus Græcis unice proprium. Teſtem hujus do *Annam Comnenam, Alexii Comneni Auguſti*, Filiam *Auguſtam*, quæ ſuaviſſimi genitoris ſui res, eodem ſeculo, quo Divus rex noſter *Stephanus* diadema ſuum Roma accepit, geſtas, memoriæ prodidit. Quippe hæc ipſa *Anna*, teſtis profecto locupletiſſima, *Alexiados ſuæ Lib. III. pag.* 78. *editionis Pariſienſis*, de imperiali diademate Græco ſcribit hunc in modum: τὸ μὲν γὰρ βασιλικὸν διάδημα καθάπερ ἡμισφαίριον εὔγυρον τὴν κεφαλὴν διαδεῖ πανταχόθεν, μαργάροις κοσμούμενον, τοῖς μὲν ἐγκειμένοις, τοῖς δὲ καὶ ἐξηρτημένοις· ἑκατέρωθεν γὰρ τῶν κροτάφων ὁρμαθοί τινες ἀπαιωροῦνται διὰ μαργάρων καὶ λίθων, καὶ τὰς παρειὰς ἐπιξέουσι. καὶ ἐστὶ τοῦτο ἐξῃρημένον τι χρῆμα τοῖς βασιλεῦσι στολῆς. *Imperatorium ſiquidem diadema hæmiſphærii inſtar perfecte rotundi omni æque ex parte caput incingit; margaritis & generis ceteri gemmis, partim inhærentibus, partim dependentibus ſpecioſiſſime ornatum. Nam utrinque ad tempora ex margaritis ac gemmis catenæ, ſeu ſeries catenarum quædam imminent, & genas leviter verberant. Eſt autem iſtud genus quoddam ornamenti eximium & imperatoribus proprium.* Hæc de imperiali diademate Græco *Anna Comnena*, cui illud præ aliis probe notum eſſe poterat. At vero iſta prorſus, neque alia, facri diadematis noſtri ſpecies, iſta facies eſt; ut eandem ipſam præ oculis habuiſſe *Annam* exiſtimes. En ejus effigiem, ab Illuſtri *Révaio* vulgatam, & deſcriptionem imperialis diadematis Græci, ab *Anna Comnena* memoriæ proditam, oculis uſurpa. *

Eſt igitur, ut vides, Corona Hungarica ad imitationem Græci *imperialis diadematis*, ſive *Auguſtalis ſtemmatis* facta; nempe, quia *hæmiſphærii* inſtar perfecte rotundi caput undique incingit, & utrinque ad tempora catenulæ imminent, & genas leviter verberant; quæ duo imperiali diademati Græco ita propria ſunt, ut neque *Sebaſtocratoribus*, neque *Cæſaribus*, neque poſtea *Deſpotis* ſive *Dominis* in ornamentum capitis unquam ſunt conceſſa. Teſtis hujus itidem conſuetudinis eſt eadem ſupra laudata *Anna Comnena*, quæ indicatum ante locum

cum

Digitized by Google



Digitized by Google

cum integre ſic habet: *Quoniam vero Meliſſeno Nicephoro Cæſaris dignitas ex pacto debebatur, & Iſaacium natu majorem fratrem inſigniori aliquo decorari honoris titulo par erat: alius autem præterquam Cæſaris non erat; excogitavit novum imperator, & mixtis* Sebaſti, *ſive Auguſti, &* Autocratoris, *hoc eſt imperatoris nominibus, titulum conflavit* Sebaſtocratoris, *quaſi diceres, ſecundi imperatoris, cui Cæſaris gradum ſubjunxit: eo cum Iſaacium honeſtaſſet, uni eum concedere Auguſto voluit, Meliſſenum Cæſarem tertio demum loco in acclamationibus appellari. Sed ne ſimilibus quidem, aut æqualiter ornatis, rediniri coronis, diebus ſolemnibus, Sebaſtocratorem, & Cæſarem eſt paſſus, ſed pro portione gradus inter ſe diverſis. Sicut & illæ ambæ, quod ad ſumptuoſitatem magnificentiamque attinet, ſane plurimum Auguſtali, quo imperator utebatur, diademati concedebant. Imperatorium ſiquidem diadema hæmiſphærii inſtar perfecte rotundi omni æque ex parte caput incingit; margaritis & generis ceteri gemmis, partim inhærentibus, partim dependentibus, ſpecioſiſſime ornatum. Nam utrinque ad tempora ex margaritis ac gemmis catenæ, ſive ſeries catenatæ quædam imminent, & genas leniter verberant. Eſt autem iſtud genus quoddam ornamenti eximium, & imperatoribus proprium. At Sebaſtocratorum, & Cæſarum coronæ circulum habebant ſolum, ſparſione margaritarum per intervalla diſtinctum, ἄνευ ἐπισφαιρώματος, ſine incumbente, & ſuperne tegente hemiſphærio.* Hæc *Anna Comnena*; ejus, ut par erat, veſtigia preſſit *Codinus Curopalates* in præclaro opere *de officiis Conſtantinopolitanis*, ubi identidem docet atque inculcat, *Deſpotas* omnes, *Sebaſtocratores, Cæſares*, coronæ quidem geſtandæ, haudquaquam tamen *diadematis*, ſive *ſtemmatis* jus habuiſſe. Addit tamen idem *Codinus*, recentiori poſtea more *Conlegam imperii Stemmate* pariter fuiſſe coronatum: laudati quippe operis Cap. X. ſcribit, quæ ſubjeci: εἶτα ὁ βασιλεὺς, καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ὁ βασιλεὺς εἰ παρατύχοι (ὃς δὴ καὶ εἰ ἐστεμμένος ἐστὶ, φορεῖ στέμμα καὶ οὗτος, ὡς ὁ πατὴρ αὐτοῦ.) ἀκολουθῶν τῷ βασιλεῖ καὶ πατρὶ αὐτοῦ. εἰ δὲ μὴ, στέφανον ἢ φυάλιν, ὡς προείπομεν. *Deinde Imperator, & filius ejus Imperator, ſi adſit, (qui, ſi coronatus ſit, fert & ipſe inſtar patris ſtemma) imperatorem & patrem ſuum ſubſequitur; ſi vero non ſit coronatus, tunc fert ſimplicem coronam, ſive circulum & velum, ut ante diximus.* Hæc *Codinus*; clariſſimis docens verbis, neque filium imperatoris, niſi jam in imperatorem coronatum, *diademate* ſive *Stemmate* fuiſſe uſum. At Cl. *Schwartzius*, inſigni rerum veterum incuria, liberalem *diadematum*

Digitized by Google

tum ac *Stemmatum* promumcondum agere volens, non filio imperatoris, Deſpotæ, Sebaſtocratori, vel Cæſari; ſed *Gyulæ* ac *Boloſudi*, patriciorum ordini modo adſcriptis, immo contemptis apud Græcos barbaris, diadema imperiale, & ab ipſo quidem imperatore, in ceteris donis datum fuiſſe, ſuſpicatus eſt. (1)

1) *Syllogen meam Vetuſtarum litterarum, diplomatum &c. Hiſtoriam Auſtriacam* Imp. Friderici III. *illuſtrantem, quam ſub finem voluminis* Annalectorum Vindobonenſium *ſecundi vulgare incipiam, ornant inprimis pretioſa diplomata, ex ſanctiori tabulario Aug. Domus ab* Ill. Roſenthalio *mecum humaniſſime communicata; ſed præcipue litteræ* Eliſabethæ *Reginæ, quibus coronam noſtram* Friderico Imp. *pro florenis monetæ Hungaricæ* CIƆCIƆIƆ. *in biennium pignori relinquit; item aliæ litteræ, quibus idem Imperator Reginæ fiduciam dat, ſe dictum æs ante conſumptum illud temporis ſpatium haudquaquam repetiturum eſſe. In his igitur litteris* Fridericus *ſcribit hunc in modum:* Dritthalbtauſent guter newer ungriſcher guldein haben gelihen, dafür ſi uns, in unſer gewalt geben, und geantwurtt hat ain guldeine Coron mit Dreinundfunfczig Saphyrn, funfczig palayſen, ainem ſmaragd, und mit Dreinhundert und acht und Dreyſſig perlein; und wigt Dieſelb Coron, mitſampt Demſelben edeln geſtain, perlein, und dem ſeydein hewblein, Das Darinn iſt, Newn markh, und ſechs lot. *Locus eximius prorſus & memorabilis; teſtimonium videlicet continens non de pondere ſolum coronæ noſtræ, ſed de generibus etiam & numero gemmarum unionumque, quibus ornatur,* Friderici Imperatoris, *hujuſmodi elegantiarum ut amantiſſimi, ita etiam peritiſſimi. De* Balaſio *ſive* Balaſſio, *qui ſpecies eſt* Rubini, *vide* Camilli Leonardi *Piſaurienſis Speculum lapidum, libro ſecundo; &* Anſelmi Boëti *de* Boot *Brugenſis Hiſtoriam Gemmarum & Lapidum, Lib. 2. Cap. 17. & ſeqq. Illuſtris quidem Comes de* Réwa *in opere ſuo de ſacra corona pag. 143. univerſam ejus faciem diligenter oratione pingit; neſcio tamen, an tute quis fidem adhibuerit ſcribenti:* Interjectis cuilibet imagini gemmis, ac unionibus candicantibus, item pretio. ſioribus lapidibus, Smaragdo, Sapphiro, Hyacintho, Chryſolitho, Rubino. *Utinam decus hoc Regni noſtri ſpectare mihi per otium liceat aliquando! quo civibus meis de omni Græca iſta Cl. Schwartzii controverſia nulli obnoxiam dubio ſententiam meam relinquere poſſim.*

CAPVT. VI.

Altera Cl. *Schwartzii de origine Hungaricæ Coronæ perinde falſa opinio rejicitur.*

At vero fœcundius Cl. *Schwartzii* ingenium eſt, quam ut uno iſto partu effœtum videri velit. *Quærat autem quis*, inquit ille Diſſertationis ſuæ num. 47, *unde Hungaris Græci operis diadema illud? ſi quid conjectura aſſequi poſſumus, donum imperatorum Conſtantinopolitanorum fuit, quod Hungaris ob fidele quoddam officium, imperio Romano utile inprimis, contulerunt. Solebant enim exteræ gentes, ſi quam egregiam imperatoribus Græcorum operam navarunt, coronas quoque inter cetera ab eis munera flagitare. Conſtantinus Porphyrogenitus demum id muneris Barbaris conferre indignum ratus, filio Romano lepidum ſuggeſſit conſilium, quo preces flagitantium elluderet.* Hæc ille; abſurdum rurſus quiddam, & quod ne parvuli quidem, quas vident res omnes, petere adſueti, facile credant, pro vero lectori obtrudens; preces nempe, & petita quævis, nunquam eſſe fruſtranea. Verum quidem eſt, teſte *Conſtantino Porphyrogeneto*, barbaras gentes ab imperatoribus Græcis *coronas* etiam in præmium utilis operæ flagitare eſſe ſolitas; at num idcirco quis prudenter contendat, imperatores viciſſim Græcos eorum precibus acquieſcere fuiſſe ſolitos? atqui hoc innuunt belle tecta Cl. *Schwartzii* illa: *Conſtantinus Porphyrogenitus DEMVM id muneris Barbaris conferre indignum ratus, filio Romano lepidum ſuggeſſit conſilium.* Nam ſi *demum* id muneris conferre indignum ratus eſt, præteritis profecto temporibus ab uno & altero imperatrore barbaris quibuſdam gentibus fuerit conlatum. Cur vero Cl. *Schwartzius* vel unicum, ex omnibus omnium Byzantinorum ſcriptorum voluminibus, exemplum non protulit? cur principis barbari, qui efflagitavit, cur imperatoris, qui coronam contulit, nomina adſcribere neglexit? nempe, quia cum nuſquam eſſent, diu ac multum fruſtra quæſita, reperire non potuit. De monitis *Conſtantini* Porphyrogeneti ad filium, altum ſilere potius debebat vir doctus, quam arma mihi, quibus adverſus eum uterer, ſuggerere. Quippe laudatus Imperator *Libro de adminiſtrando imperio Cap. XIII.* præclara oratione ad filium utitur, quam, tametſi prolixior ſit, inte-

gre

gre hic exſcribere non pigebit. *Intende*, inquit, *o fili! ſermonibus meis oculos mentis tuæ, ac præcepta mea conſidera; ſic enim opportune poteris divitias prudentiæ, quaſi ex paternis theſauris proferre, magnamque prudentiam exhibere. Scito itaque Borealibus omnibus populis, quaſi a natura, inſitam eſſe divitiarum cupidinem inſatiabilem; quam ob rem omnia quærunt, omnia expetunt, neque concupiſcentiam termino ullo circumſcriptam habent, ſed plura ſemper cupiunt*, ac pro exigua opera maximam mercedem referri poſtulant. *Ideoque* importunas *eorum* petitiones *ac* impudentes poſtulationes, *ſuaſione ac prudenti excuſatione ſubvertere, atque inhibere oportet: quæ quidem, quantum uſu & experimento didici, ut compendio dicam, hujusmodi futuræ ſunt. Si quando, ſive Chazari, ſive Turcæ (Hungari) ſive Ruſſi, ſive aliæ quæpiam Boreales & Scythicæ gentes, ut plerumque accidit, imperiales veſtes*, coronas, aut ſtolas, *cujusdam præbiti miniſterii cauſa ſibi tranſmitti poſtulent, ita te excuſatione uti oportet: Hujuſmodi* ſtolæ & coronæ, *quæ nos* camelaucia *vocamus, neque hominum opera confecta, neque humana induſtria excogitata ſunt: ſed, ut ab hiſtoria veteri in libris arcanis ſcriptum reperimus, quando Deus Conſtantinum illum Magnum Imperatorem effecit, qui primus Chriſtianorum imperium tenuit, illi per Angelum tales ſtolas &* coronas, *quas nos* camelaucia *vocamus, miſit, juſſitque ea deponere in magna ſancta Dei eccleſia, quæ de nomine Sapientiæ Dei enhypoſtatæ ſancta Sophia appellatur; nec quotidie illa uti præcepit, ſed tantum in publico & magno Dominico feſto: quare ex juſſu Dei hæc depoſita & ſupra ſacram menſam in altari ipſius templi ſuſpenſa manent, & in ornatum Eccleſiæ deputata ſunt. Reliqua autem indumenta & ſaga imperialia ſupra hanc ſacram menſan extenſa jacent. Cum porro Domini & Dei noſtri Jeſu Chriſti feſtum inciderit, ex hujuſmodi ſtolis &* coronis *accipiuntur a Patriarcha, quæ tum opportuna & convenientia ſunt, qui ea ad imperatorem mittit, iſque illis, tanquam miniſter Dei, in proceſſu tantum induitur; atque rurſum, poſtquam illis eſt uſus, ea remittit in Eccleſiam, ubi reponuntur de more. Quin etiam ſancti & magni Conſtantini in Dei Eccleſia ſacra menſa maledictio ſcripta eſt, ut ipſi per Angelum Deus mandavit: ut ſi quis Imperator pro quacunque neceſſitate, aut rerum conditione, ſive ex intempeſtiva cupidine, ex iis quædam auferat, ac ſive ipſe iis utatur, aut aliis præbere audeat, quaſi hoſtis & Dei juſſorum inimicus, anathemate feriatur, & ab Eccleſia expellatur. Si vero ipſe quoque* alia illis ſimilia efficere velit, ipſa quoque

Digitized by Google

Eccleſia recipiat, libera voce petentibus Epiſcopis omnibus & ſenatu: *neque vel Imperatori, vel Patriarchæ, vel cuiquam hominum facultas ſit, rerum hujuſmodi quampiam ex ſancta Dei Eccleſia exportare, ſive ſtolæ eæ ſint, ſive* coronæ. *Sane iis, qui ex hujuſmodi Dei mandatis quodquam evertere velit, magna impendet formido. Nam quidam Imperator, Leo is vocabatur, qui etiam ex Chazaria uxorem duxerat, cum inconſulto auſu quodpiam ex hiſce ſtemmatibus abſtuliſſet, etſi Dominico non occurrente feſto, atque id præter Patriarchæ voluntatem, hunc ſibi ornatum impoſuit: ac ſubito carbone in faciem errumpente, magnis inde cruciatus doloribus miſere periit, ac ſibi ante tempus mortem maturavit. Atque ex ſubitanea illa hujuſmodi audaciæ ultione is exinde mos inductus eſt, ut Imperator coronam accepturus juret & profiteatur, ſe nihil mandatis & conſuetudinibus antiquis hujuſmodi adverſum aggreſſurum, aut cogitaturum eſſe; atque ita a Patriarcha coronetur, & ſtatutæ ſolemnitati congruentia peragat & abſolvat.* Hactenus *Porphyrogenetus*; fabulam canere filio, & lepidum ſuggerere conſilium, Cl. *Schwartzio* viſus: quam autem hoc ipſum etiam parum caute ab eo ſit creditum, mox detegam. Ac de iis quidem, quæ *Porphyrogenetus* de *Conſtantino Magno*, de *Angelis* narrat, nulla hic quæſtio eſt, verane ſint an falſa; ſed iſtud ſolum: vigueritne Conſtantinopoli olim quæpiam ſive religio, ſive ſuperſtitio, per quam imperatori coronas Græci imperii, vel alias ad earum inſtar factas, aliis donare, vel utendas præbere, non licuit? viguiſſe autem religionem iſtam, graviſſimo argumento eſt hiſtorema de *Leone* imperatore, a *Porphyrogeneto* haudquaquam confictum, ſed integerrima fide ex vetuſtis Græcorum monumentis relatum. Fuit is *Leo Porphyrogenetus*, *Conſtantini Copronymi* filius, anno Chriſti ᴅᴄᴄʟɪɪ. in imperatorem coronatus; de quo *Theophanes*, maximi nominis ſcriptor, qui ſub finem octavi & initium noni ſeculi floruit, *in Chronographia ſua pag.* 382. *editionis Pariſienſis*, memoriæ prodidit, quæ adſcripſi: *Ceterum*, inquit, *menſis Septembris die octavo, quarta indictione, Leo, filius Conſtantini, in hunc modum diem ſuum clauſit. Cum inſana in gemmas & pretioſos lapides arderet libidine, coronam magnæ Eccleſiæ deperibat: eam acceptam capiti impoſuit: ac confeſtim e capite ebullierunt carbunculi: febrique vehementi ſimul correptus, imperii, demptis menſibus ſex, anno quinto defunctus eſt.* Idem referunt tum Græci, tum Latini ſcriptores; *Porphyrogenetus*,

tus, ut vidimus, *Cedrenus*, *Glycas*, *Sigebertus* & alii; ut adeo cauſa ſuperſit nulla, cur de hiſtoriæ fide Cl. *Schwartzius* dubitet. Diu igitur ante Hungarorum in Pannonias adventum imperiales coronæ, in templo ſanctæ Sophiæ repoſitæ, pro ſacris ſunt habitæ: diu ante *Boloſudis* & *Gyulæ* converſionem, vel alterius Hungarorum principis de Conſtantinopolitanis imperatoribus præclara merita, ea religio viguit, per quam eo, quo ante dixi modo, coronas imperii profanare nemini mortalium licuit. At neque ſomniare, neque fingere *Porphyrogenetus* dicendus eſt, dum ſcribit: *Imperatorem, coronam accepturum, jurare & profiteri, ſe nihil mandatis & conſuetudinibus antiquis hujusmodi adverſum aggreſſurum, aut cogitaturum eſſe;* idem enim iſtud legere licet in conceptis ejusdem imperialis juramenti verbis, a *Codino Curopalata* vulgatis, *Offic. Conſtantinop. Cap. XVII.* ubi Imperatorem inter alia jurare ſolitum fuiſſe teſtatur: *Ad hæc privilegia & conſuetudines ſanctiſſimæ magnæ Dei Eccleſiæ amplector, confiteor, & adprobo.* Aut igitur iſtud, aut nihil, in veterum memoriis certum eſt, *Conſtantinum Porphyrogenetum* non *lepidum conſilium*, ut admodum illepide Cl. *Schwartzius* cenſuit, ſed res veras, vel certe Conſtantinopoli pro veris habitas, filio inculcaſſe, & avitas religiones conſuetudinesque imperii inſtillare voluiſſe. Hic ergo, ut & ego Cl. *Schwartzii* verbis utar, murus Aheneus eſto, quem vir doctus, omnesque ejus ſimiles arietare tentent, tentent, inquam. Indicent Imperatorem novæ Romæ unum aliquem, qui contempta, quam expoſui, religione, Græcæ conſuetudinis coronam, imperiale diadema, barbaro cuipiam principi, de imperio orientis bene promerito, dono dederit: quod ſi minus oſtendere poſſunt, vel hinc non magno labore diſcant, ſacrum diadema Regni Hungariæ, eo vel maxime, quia Græci moris, conſuetudinis, atque artificii eſt, donum Græcorum imperatorum haud quaquam eſſe poſſe.

At ſcire hic fortaſſe ex me non nemo velit, nullumne barbarum principem ab imperatoribus Conſtantinopolitanis unquam coronatum fuiſſe cenſeam? etiam, inquam, & ſub ea ipſa tempora, per quæ Hungarorum in Græcos imperatores merita erant ampliſſima; ut adeo facilis præterea conjectura ſit, cujus generis coronam a ſuperbiſſimis Græcis majores noſtri ob merita ſua accepturi erant. Rem miram narrare adgredior, qui audire avet, numum paret. *Conſtantinus Porphyrogenetus* laudati

de

de adminiſtrando imperio operis Cap. XL. de Hungaris noſtris hæc habet: *Poſtea vero*, inquit, *a Leone illo, Chriſti amante & præclaro imperatore accerſiti, trajecerunt, bellumque Symeoni inferentes, victo eo, fugatoque, Preſtlabum uſque pervenerunt, &, in urbe Mundraga cum eum incluſiſſent, domum redierunt. Quo tempore Liuticam, Arpadæ filium, principem habebant.* Scribit hæc *Porphyrogenetus* de *Leone Philoſopho*, Auguſto genitore ſuo, qui anno ɪↄcccxc. *a Symeone*, Bulgarorum principe, in Thracia fœde profligatus, Hungarorum operam per *Nicetam* patricium ſollicitavit & obtinuit. Idem *Symeon*, Bulgarorum Dux, mortuo *Leone*, & *Conſtantino Porphyregento* ſub tutoribus adhuc agente, direpta rurſus Thracia & Macedonia ad ipſam urbem copias admovit, non alia, ut adparet mente, niſi ut adventu ſuo perculſa urbe, pacem ſibi proficuam & *coronam* extorqueret. Rem omnem *Leo Grammaticus*, ſcriptor non coævus ſolum, ſed teſtis etiam αὐτόπτης (1) narrat hunc in modum: *Menſe porro Auguſto Symeon, Bulgariæ princeps, adverſus Romanos comparato exercitu, cum multitudine gravi Conſtantinopolim appulit, & vallo a Blachernis ad portam, Chryſem vocatam, circumducto, urbem obſedit: aliſque ſpei ſuæ in ſublime elatus, ſubacturum omnino nullo labore promittebat. Probatis autem in adverſum mœnium munimentis, urbiſque ex populi copia & machinis ſecuritate ac præſidio conſpecto, ſpe deceptus, in locum, Hebdomum dictum, pacis oblaturus fœdera, reverſus eſt. Tutoribus pacem oblatam libenter excipientibus, Symeon Theodorum Magiſtrum de illa tractaturum miſit. Nicolaus autem Patriarcha, Stephanus, & Joannes Magiſter, imperatore ſecum ducto, Blachernas uſque profecti, filios Symeonis geminos induxerant in urbem, qui in palatiis una cum imparatore convivati ſunt. Nicolao vero Patriarchæ ad Simeonem accedenti, ipſe Symeon caput inflexit. Patriarcha igitur, fuſis ſuper eum precibus,* coronæ loco τὸ ἑαυτοῦ ἐπιῤῥιπτάριον proprium capitis tegumentum (2) *ejus impoſuit capiti. Donis itaque immenſis & quam maximis accepti, Symeon & ejus filii, in patriam reverſi ſunt; ad invicem diſcordes ob præfatæ pacis conditiones.* Hæc *Leo Grammaticus*, egregie de nobis, deque iſta hiſtoria noſtra promeritus, quod coronati Conſtantinopoli regis barbari exemplum litteris conſignarit; quis enim dubitet, quin coronæ donum ab imperatore petierit *Symeon*, & hac ra-

1) *Qui rem geſtam ſuis ſpectavit oculis.*

2) *ἐπιῤῥιπτάριον, calyptræ ſpecies, quæ caput & humeros tegit. CANGIVS.*

ratione fuerit eluſus. *Leoni Grammatico* proximus *Scylitzes* idem memoriæ prodidit, teſte MS. codice Cæſareo Hiſt. Prof. XXXV. fol. 77. p. 2. at his verbis: Εἰσήγαγον τὸν Συμεὼν ἐν τῷ παλατίῳ, καὶ συνεστιάθη τῷ βασιλεῖ· τοῦ Συμεὼν ὑποκλίναντος τῷ πατριάρχῃ τὴν κεφαλὴν, καὶ εὐχὴν δεξαμένου παρ᾽ αὐτοῦ· ἐπιθέντος, ὥς φασι, τῇ τοῦ βαρβάρου κεφαλῇ ἀντὶ στεφάνου τὸ ἴδιον ἐπιρριπτάριον. *In palatium Symeon introduxerunt, & cum imperatore convivatus eſt: ubi cum Symeon patriarchæ caput inclinaſſet, comprecatione ab eo accepta, propriam, ut ajunt, calyptram ſuam partriarcha coronæ loco capiti barbari impoſuit.* Quæ totidem verbis *Cedrenus* exſcripſit, non ſecus atque Continuator *Theophanis* anonymus in *Conſtantino Porphyrogeneto* ex *Leone Grammatico* feciſſe videtur. Eſt autem ἐπιρριπτάριον calyptræ ſpecies, quæ caput & humeros tegit, teſte illuſtri *Cangio*; idem idcirco hic atque Camelaucium monaſticum, ut recte obſervat *Goarus ad Euchologium pag.* 156. ubi ſcribit: calyptram patriarchæ Conſtantinopolitani καμηλαύχιον dici, illudque eſſe monaſticum capitis tegumentum, quo utebantur patriarchæ, ex monaſtico ordine deſumpti: nam eorum, obſervante illuſtri *Cangio*, qui ex ſeculari adſumebantur, alia fuit calyptra, ut à *Cantacuzeno* docemur Lib. III. Cap. XXXVI. ubi de faſtu patriarchæ *Joannis Glycis* ſcribit hæc: *Patriarcha, quia gradum permutare non poterat, habitu ſe auguſtiorem fecit: & in ſubſcriptionibus colore cæruleo eſt uſus: calyptramque, ſeu tegmen capitis, quod antea patriarchas, ſi de monachis non eſſent, album ferre mos erat, ipſe auro illuſtravit, Servatoris noſtri, & illibatæ ejus Genitricis Deiparæ, ac Joannis Baptiſtæ depictis in eo iconibus.* Hæc ille. Qui *Symoni*, Bulgarorum Duci, coronæ loco calyptram ſuam impoſuit, *Nicolaus* patriarcha, ut vidimus, fuit. Is *Leonis Sapientis*, ſeu *Philoſophi*, imperatoris Conſtantinopolitani *Myſticus* fuerat, ſive, non ſolum ſecretioris eius conſilii ſenator, ſed ipſius ſenatus oculus, ſeu præſes; & ab hoc excellenti magiſtratu tranſlatus eſt ad patriarchatum, ſanctorum etiam catalogo adſcribi deinde promeritus: albam igitur calyptram, coronæ loco, ab *Nicolao* patriarcha, *Conſtantini Porphyrogeneti* tutore, *Symeon* accepit, &, ut vero eſt ſimilius, nullo auro iconibuſve excultam. Atqui ex his non ægre profecto intelligere licet, cujus moris, pretiive, aut coloris *cappam eccleſiaſticam* coronæ loco Hungari quoque Duces a ſuperſtitioſis & ſuperbis Græcis accepturi erant, ſi præclara Cl. *Schwar-*

E

Schwartzii conjectura, iſtos ſibi pro meritis ſuis haberi honores, iſtas gratias referri petiiſſent. *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici!*

CAPVT VII.

Diadema Regni Hungariæ a Silveſtro II. *Summo Pontifice Divo* Stephano *miſſum eſſe, omnis ævi ſcriptorum authoritate oſtenditur, & cauſæ, cur Græcæ conſuetudinis ſit, proponuntur.*

Sed age, miſſas jam tandem faciamus novas iſtas & miras Cl. *Schwartzii* conjecturas; videamusque potius, rectene an ſecus, a majoribus edocti, diadema noſtrum donum Summi Romani Pontificis eſſe, adhuc credimus. Enimvero ſi ulla in re, in hac certe, clariſſime ellucet, quam facilius ſit res veras præ commentis & ſomniis ſcripto tueri. Coronam Hungaricam Græcæ originis eſſe, nemo unquam memoriæ prodidit, nemo commeminit; Roma contra & a Summo Pontifice fuiſſe miſſam, una omnium vox, una ſententia eſt. *Ditmarus*, adnotante *Stiltingo*, Merſeburgenſis Epiſcopus, ſcriptor *Divo Stephano* coævus, breve quidem, at luculentum veritati noſtræ præbet teſtimonium, quod vel ſolum ſufficit, ad omnem dubitationem ammovendam, verba ipſius lib. 4. hæc ſunt: *Imperatoris autem prædicti* (Ottonis III.) *gratia & hortatu, gener Henrici ducis Bavariorum* Waic, *in regno ſuo epiſcopales cathedras faciens*, coronam *& benedictionem accepit.* Conſtat *Stephanum* fuiſſe generum *Henrici Rixoſi*, Bavariæ ducis; conſtat erectionem epiſcopatuum ab eo cœptam circa annum 999. aut 1000; conſtat eodem tempore *Ottonem* III. imperaſſe, nec defunctum eſſe ante annum 1002, *quin conſtat inſuper magnam anni* 1000. *partem Romæ exegiſſe*, itaque certum eſt, per nomen vernaculum *Waic* non alium deſignari, qui *coronam & benedictionem* accepit, quam *S. Stephanum*; neque ullus, opinor, hoc negaverit. Jam vero *Stephanum* non ab alio accepiſſe coronam, quam a Summo Pontifice, clarum rurſus eſt; quia dicitur ſimul *coronam & benedictionem* accepiſſe, quia eam accepiſſe dicitur *gratia & hortatu Imperatoris*, & quia coronam adſeritur impetraſſe *epiſcopales cathedras faciens*, quibus verbis innuitur, coronam fuiſſe conceſſam in præmium promotæ rei Chriſtianæ.

Digitized by Google

næ. Hactenus *Stiltingus*, *Ditmari* ſententiæ egregius interpres. Conſona iſtis ſcribit *Carthuitius*, qui *Colomani* regis juſſu vitam *S. Stephani* ſub finem extremum undecimi vel initium duodecimi ſeculi conſcripſit, ubi inter alia: *Papæ*, inquit, *per viſum domini Nuncius aſtitit*, *cui & dixit*: *craſtina die*, *prima diei hora*, *ignotæ gentis nuncios ad te venturos eſſe cognoveris*, *qui ſuo duci coronam a te regiam cum benedictionis Apoſtolicæ munere flagitabunt. Coronam ergo*, *quam præparari feciſti*, *eorum Duci*, *prout petierint*, *cures ſine contradictione largiri*: *ſibi enim eam cum regni gloria pro vitæ ſuæ meritis ſcito deberi . . . Quibus auditis valde gaviſus Romanus Pontifex*, *cuncta*, *prout fuerunt poſtulata*, *benigne conceſſit. Andreas II.* Hungariæ Rex, apud *Raynaldum* ad annum 1233. n. 51. ad *Jacobum Præneſtinum*, Apoſtolicæ Sedis Legatum, de *Divo Stephano* hæc ſcribit: *Et ideo*, inquit, *non a quolibet*, *ſed a Vicario JEſu Chriſti & Petri beatiſſimi ſucceſſore*, *per revelationem Divinam*, *Summo Pontifici factam*, *aſſumpſit regni diadema . . . ſed & auctoritate Summi Pontificis*, *qui ipſum vocavit regem & Apoſtolum gentis noſtræ*, *provincias*, *& epiſcopatus diſtinxit &c. Ladislaus IV.* Rex Hungariæ, apud eumdem *Raynaldum* ad annum 1279. n. 31. dono datam a Summo Pontifice Divo regi noſtro coronam profitetur in litteris ſuis his verbis: *Divinæ viſitationis exordium . . . in progenitore noſtro ſancto rege Stephano*, *a ſacroſancta Eccleſia recognoſcimus*, *ut debemus . . . non a ſe*, *vel ab alio*, *ſed ab eadem Romana Eccleſia*, *matre omnium & magiſtra*, *regni diadema revelatione divina meruit obtinere. Bonifacius VIII.* Pontifex apud eundem *Raynaldum* ad annum 1301. n. 8. laudatis ante regibus ſe jungit, in litteris ad *Nicolaum Oſtienſem*, Apoſtolicæ ſedis in Hungaria Legatum, hæc ſcribens: *Ideo non a quolibet*, *ſed a Vicario JEſu Chriſti & ſucceſſore Petri aſſumpſit regium diadema* (*S. Stephanus.*) *Fuerat quidem divinitus revelatum*, *quod ei primum in gente Ungarica corona debebatur*, *& regnum*; *ſicut hæc plenius documenta*, *quæ ſervantur in archivis memoratæ eccleſiæ Romanæ*, *teſtantur.* Idem Pontifex (1) ad *Wenceslaum*, Bohemiæ regem, cujus filius *Wenceslaus* regnum Hungariæ appetebat, ita ſcribit: *ſine cujus etiam auctoritate ſanctæ memoriæ Stephanus*, *rex Ungariæ*, *divina revelatione præmonitus*, *noluit in ipſius regni ſolium ſublimari*: *ſed tamquam Aaron vocatus a Deo ab ipſa ſede accepit humiliter coronam.*

 Deni-

1) *Apud laudatum Raynaldum ad eumdem annum n. 10.*

Digitized by Google

Denique apud eumdem *Raynaldum* ad annum 1308. n. 25. in tabulis conventionis inter Cardinalem *Gentilem*, Legatum Pontificium, & Proceres regni Hungariæ hæc memoriæ prodita leguntur: *Quod ſanctorum adſcribi catalogo meruere; quodque coronam regni primus rex Ungariæ ſanctus Stephanus a Romano Pontifice conſecratam acceperit.* In hanc ſententiam de corona noſtra ſcribunt recentiores viri docti omnes, quorum hic texere catalogum nulla prorſus eſt neceſſitas, cum ex his jam abunde liqueat, primis quatuor ab obtenta regni noſtri corona ſeculis, eandem iſtam, quam poſteri habemus, opinionem ac ſententiam viguiſſe. An non ergo merito contumeliæ criminis arguendus erit Cl. *Schwartzius*, qui ob frivolam conjecturam ſuam, & quam viri, Conſtantinopoli non plane peregrini, vix audire, nedum adprobare, ſuſtineant, *Ditmarum*, ſcriptorem coævum, tot deinde reges Hungariæ, Romanos Pontifices, Proceres regni, & cum his regnum univerſum, vel mendacii, vel ignorantiæ arguere ſit auſus?

Sed nempe recoquit illud ſuum: *Cur Silveſter non Conſtantini Magni tantum, ſed & aliorum Imperatorum Græcorum imagines, in ſui operis cimelio elucere voluit? cur Græcis eas litteris inſignivit? cur univerſam coronæ formam, contra occidentalium regum morem, Græcorum æmulam finxit?* Horum, inquam, cauſa Pontifici eſſe poterat non una; nullam vero earum eſſe, quantum quidem ſcio, memoriæ proditam, hoc ſolum profecto eſt, quod cum dolore deſideres. Inerat fortaſſe litteris, ad Divum regem *Stephanum* & Proceres regni a Pontifice miſſis: in iis enim, quas ad eum ſeparatim dedit, hæc ſcribit: *Sicut in aliis litteris, quas in communi ad te, optimatesque regni, & cunctum fidelem populum per nuncium noſtrum, quem ad te dirigimus, deferendis, plenius hæc omnia explicata continentur.* At quia litteræ, quarum hic mentio, temporum injuriis aut perierunt, aut in tabulariis eſca tinearum pereunt ignotæ; nihil hac quidem de re certi & definiti conſtitui poteſt. Tacentibus ergo monumentis, quod ſciam, omnibus, quæ hujus ratio poſſit eſſe vero ſimillima, indagandum. Illuſtriſſimus Comes *de Réwa* in laudato ante opuſculo ſuo diadema noſtrum idem illud eſſe cenſet, quod *Conſtantinus Magnus*, teſte *Platina*, *Silveſtro Primo* Pontifici donavit; quodque ad *Silveſtri ſecundi* uſque tempora in theſauris pontificiis latuerit. At vero nulla prorſus opinionem iſtam niti veri ſpecie, ipſa diadematis noſtri facies argumen-

mento eſt, quæ non *Conſtantini Magni* ſolum, ſed aliorum etiam, qui diu ab ejus ad plures abitu Romanum in oriente Imperium tenuerunt, imagines refert, clementis Græcis, quod maximum novitatis argumentum eſt, *Conſtantini Magni* ævo ſine omni controverſia longe recentioribus, inſcriptas: quæ equidem ita certa & explorata eſſe arbitror, ut opinionem iſtam ulteriori refutatione hac ætate noſtra indignam, eſſe exiſtimem. Eruditiſſimo tamen *Stiltingo*, quod vehementer miror, ex parte adparet vera, aut certe probabilis. Quippe in laudata *Divi Stephani* vita num 212. hæc habet: *Sententia*, inquit, *illuſtriſſimi Comitis ex parte apparet vera, aut certe probabilis: nam facile crediderim, quaſdam antiqui diadematis partes adhibitas fuiſſe a Pontifice, ut ex iis conficeret coronam Hungaricam ea forma, qua ad S. Stephanum fuit miſſa. Sic facile intelligemus, cur litteræ Græcæ, cur imagines Græcorum imperatorum, in corona expreſſæ, cur etiam appenſæ fuerint pretioſæ catenulæ; ac demum, cur forma ex parte congruat cum coronis Græcorum, ex parte vero ab iis ſit diverſa. Sumpſerit nimirum Pontifex antiquum diadema clauſum, in quo prædicta omnia cernebantur, illique addiderit ea ornamenta nova, quibus coronis Occidentalium regum fieret ſimilior; atque ita effinxerit coronam Hungaricam, quæ aliquid haberet ex Græcis diadematibus, aliquid ex Latinis, ſicut regnum Hungaricum inter utrumque imperium erat medium.* Hæc ille. Fuerit igitur, ſententia *Stiltingi*, diadema noſtrum ἀνδρόγυνον quoddam (1), ex orientalibus æque atque occidentalibus coronis compoſitum. Cur autem vir doctus docere neglexit, qua parte Orientis, qua Occidentis coronis ſit ſimilior; quæ ornamenta Græcum, quæ Latinum ingenium ſapiant? enimvero in ſacro diademate noſtro jucundior partium omnium ſymetria & operis univerſi elegantia eſt, quam ut, *collectis undique membris*, in precarium prorſus modum coaluiſſe videri debeat. Ignota deinde erudito *Stiltingo* videntur fuiſſe, quæ de imperiali diademate ex ſcriptoribus Græcis ante attuli; ne commemorem feſtivum illud: *Sicut regnum Hungaricum inter utrumque imperium erat medium.* Equidem diadema noſtrum omni ex parte ejuſdem artificis Græcique moris eſſe, adfirmare non dubito: infimam enim partem, quæ *diadema* proprie dicitur, imagines ornant Græcorum imperatorum, Græcis litteris inſcriptæ; ex diademate, ſiue ex imo coronæ circulo,

 emer-

1) *Mariſœmina, vir pariter & fœmina, vel utriusque ſexus.*

Digitized by Google

cha Conſtantinopolitano, cum ſediſſet annos tres, ſubrogatus eſt in locum ejus Sergius Abbas ex progenie Photii, Schiſmatis auctoris, cujus ſecutus veſtigia, eo amplius obfuit, quo diutius præfuit, propagato ſedis tempore ultra vigeſimum annum. Hujus nomine contra Occidentales invenitur alicubi ſcripta epiſtola, quam Photii verè eſſe, & ejus titulo reſtitutam, ſuperius recitavimus. Hæc *Baronius.* His igitur cum hominum, tum rerum, & temporis conditionibus recte conſideratis, exiſtimo, *Silveſtrum II.* Summum Pontificem, diademate hoc noſtro, ad imperialis Græcorum inſtar efficto, atque adornato, orthodoxam & catholicam *Conſtantini Magni*, uti Græci jactabant, coronam ad alium orthodoxum & catholicum & *Conſtantino Magno* ἰσαποςόλῳ (1) ſimillimum Regem transferre voluiſſe. Favent conjecturæ huic meæ omnia: ingenium, mores, doctrina *Silveſtri; Sergii*, Patriarchæ Conſtantinopolitani, græcum in Latinos odium, vibratumque iterum in occidentales Photianum fulmen. Voluerit fortaſſe præterea Pontifex *Ottoni III.* Imperatori, diſcipulo olim ſuo, nunc ad Pontificias infulas promotori unico, placere; cum, adempto imperatoribus Græcis diademate, aut certe ſimili effiсto, & novello Catholico Regi ſubmiſſo, Græcorum deprimi faſtum, & ſingularem Occidentalis imperii dignitatem extolli, crederet. Atque hæ aut veræ, aut veris proximæ rationes illæ ſunt, ob quas a *Silveſtro* Divo Regi noſtro *Stephano* Græcum diadema delatum eſſe exiſtimem. At quacunque demum mente diadema illud Pontifex Græcum eſſe voluerit, ſemper tamen divino id factum fuiſſe conſilio eventus docuit. Everſo quippe, qui fructus Schiſmatis erat, a Turcis Græcorum imperio, Hungari fuere, qui Græcis in arena ſucceſſerunt; qui cognita orbi univerſo virtute ſua Chriſtianæ Reipublicæ pericula adverſus barbaros defenderunt; qui auguſtalis Græci diadematis dignitatem præ cæteris gentibus inſtaurare conati ſunt; qui denique, attritis per continua bella viribus ſuis, tum ſe, tum diadema ſuum ei Auguſtæ Domui in fidem & clientelam tradi-

1) *Apoſtolis æquali. Hoc titulo apud Græcos inſigniuntur & viri & fæminæ, pietate præſtantes; eoque reſpectu Apoſtolis ſere pares. Conſtantinus, & Helena* ἰσαπόςολοι *dicuntur in Menologio:* τῶν ἁγίων μεγάλων βασιλέων, καὶ ἰσαποςόλων Κωνςαντίνȣ καὶ Ἑλένης· Sanctorum, & magnorum Imperatorum, Apoſtoliſque parium, Conſtantini & Helenæ. *Vide Joh. Caſpari Sinceri Theſaurum Eccleſiaſticum, ad* ἰσαπόςολος.

tradiderunt, quæ, ut Occidentalis coronam imperii per multas ætates digniſſime fert, ita ejus recuperandi, cujus hæc noſtra eſt, ſpem nobis facit certiſſimam.

CAPVT VIII

Reliquæ Cl. *Schwartzii rationes, opinioni huic adverſæ, refelluntur.*

Summat igitur jam tandem hinc ſibi Cl. *Schwartzius*, cur corona Hungarica Græcæ ſit conſuetudinis; cur iconibus Græcorum imperatorum ornata; cur Græcis litteris inſcripta; nimirum quia auguſtale diadema Græcum, quod *Silveſter* effingere voluit, alia arte & conſuetudine fieri non debuit. At obniti adhuc verbis Illuſtris *Réwaji* pergit: *Quod ſi*, inquit, *inventionis & operæ Pontificis corona eſſet, tum ſine dubio Pontificium inſigne corpori ſuo impreſſum firmiter oſtentaret, ut monumentum tam excellens auctori ſuo ſine hæſitatione adſcriberetur. Tales tamen Pontificiæ dignitatis notæ in corona nuſquam viſuntur: ſicut eas in pomo, adjuncto coronæ clenodio, ab una parte, ab altera vero inſigne regni Hungarici, invenire licet. Quod ſi itaque utrumque corona & pomum uni & eidem auctori imputentur, tum nullum eſt dubium, quin in nobiliori opere, majeſtatem conferente, Pontifex ſuum inſigne exprimi curaſſet.* Hæc cum *Réwajo Schwartzius*; ille *Conſtantini Magni*, hic, ut vidimus, recentioris cujuſpiam Imperatoris Græci diadema noſtrum donum eſſe contendens. Et *Réwajo* quidem, unius oblectationis ergo litteras tractanti, facile quis veniam dederit, quam Cl. *Schwartzio*, etiam ſupplici, merito neget. Enimvero jam docui ex ſcriptoribus Græcis, diadema noſtrum auguſtali Græcorum ſtemmati ſimillimum eſſe, quod Imperatores Græci, ſalva dignitate & religione ſua, alii dare non poterant. Adduxi deinde locupletiſſimos teſtes, qui a Pontifice Romano fuiſſe ſubmiſſum, una omnes voce loquuntur: recte proinde conjecturam feci, diadema noſtrum ad inſtar Conſtantinopolitani fuiſſe factum, in quo, ut arbitror, neque Cl. *Schwartzius* inſignia Pontificia requiret.

De pomo crucigero, altero regiorum inſignium clenodio, ſi hujus etiam auctor *Silveſter*, merito is huic potius, quam coronæ, inſignia ſua impreſſit; doctorum videlicet imitatorum more, qui in ectypo, quod ad

Digitized by Google

Digitized by Google

ad nobile quodpiam exemplum fecerunt, nomina & inſignia ſua, non in fronte, vel in alia nobiliori parte, ſed in veſte, vel alio magis decenti loco, inſcribere conſueverunt. Ad globi crucigeri originem quod attinet, Græcæ inventionis & conſuetudinis eſſe, certum eſt. Primus enim *Juſtinianus* globum crucigerum, qualis hic noſter eſt, inter inſignia imperii & ſeculo quidem ſexto ſumpſiſſe apud *Procopium, Suidamque* legitur: pertinet igitur ex conſuetudine Græca ad coronam. At globus noſter inſignia fert Pontificia, itaque non obſcure innuit, coronam itidem noſtram donum Pontificis eſſe. Ultimum Cl. *Schwartzii* Achillem videamus. *Aliud*, inquit num. 49. *Græci moris exemplum CRVX HVNGARICA cum duplici transverſo ſtipite, quæ regum noſtrorum inſigne eſt, eisque in coronationum ſolemnibus hodie antefertur, nobis ſuppeditat. Crucem enim Imperatoribus Græcis maxime ſemper charam fuiſſe, ac ſceptri loco ab eis geſtari ſolitam, non ignorant Hiſtoriæ Byzantinæ curioſi. De Juſtiniano hinc Perilluſtris dominus de Ludewig*, ſequitur, *inquit*, Juſtiniano M. tantum non propria divæ crucis imago, relata paſſim in illius nummis &c. *Pari conſuetudine Hungariæ reges nummos ſuos cruce ſignabant.* Hæc ille; rotunda quadratis miſcens, nullo prorſus criticæ artis miraculo. Sceptrum regum noſtrorum, teſte Illuſtri *Réwajo*, *eſt nonnihil a communibus Regum ſceptris differens, brevius, ſummitate rotunda, ſimillimum clavæ rotundæ Hungaricæ, gemmatis S. Coronæ quaternis dependentibus appendicibus.* Hoc reges noſtri, quam longiſſime mens noſtra poteſt reſpicere ſpatium præteriti temporis, ſemper uſi ſunt; crucem ſceptri loco, quantum quidem nunc ſcire poſſumus, nunquam detulerunt. Sed detulerint etiam olim aliquando, quid tum poſtea? numne idcirco ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis habere debuerunt? nempe perinde ut coronam, vanis conjecturis a Cl. *Schwartzio* Conſtantinopoli obtentam, & ad reges Hungariæ delatam. *Crux Hungarica*, inquit, *Réwajus*, *neſcio*, *temporumne injuria*, *an hominum potius incuria?* (addere poterat *vel invidia*) *amiſſa deſideratur*. Ejus effigies, quæ in vetuſtiſſimis regum noſtrorum ceris ſpectatur, haud quaquam ſceptro Imperatorum Conſtantinopolitanorum, ſed cruci, quæ Legatis Romani Pontificis præferri ſolet, eſt ſimillima. Debeo hanc memoriam Illuſtri atque eruditiſſimo Viro *Antonio* de *Roſenthal*, MARIAE THERESIAE Auguſtæ a Conſiliis, & ſanctioris Auguſtæ Domus

tabularii Præfecto digniſſimo, qui, pro ſingulari ſuo Jura Regia illuſtrandi ſtudio, exemplum ceræ mecum communicavit, adpenſæ Litteris *Belæ IV. Hungariæ regis, quibus Comiti Symoni Tspano terram Chenke cum inſula, feneto, & aliis pertinentiis ob bene merita donat. Datum Nitriæ IX. Kalend. Februar. A.* 1242. *anno regni octavo.* Eſt autem hujuſmodi. * *

Plura heic ſpectanda ſe offerunt, quæ eruditos oculos jucunde ſimul & utiliter adtrahant. In primis ſceptrum, toto, quod dicitur, cœlo e Græca cruce diverſum. Ejus ſimulacrum arbitrio artis haudquaquam fuiſſe effictum, adteſtatur alia multo etiam vetuſtior anni 1141. cera, a Cl. & Rev. viro *Carolo Péterſio* vulgata Concil. Regni Hung. P. I. pag. 1. Crux deinde poſticæ parti ceræ impreſſa in uncum, planiſſime effictum, deſinens; minimeque earum ſimilis, quibus Græci Imperatores pro ſceptro ſunt uſi. Ad coronam quod attinet, qua redimitus *Bela IV.* conſpicitur, ea ſimilis eſt illius, quam in cera, *Péterſio* vulgata, capiti Regis Archiepiſcopus imponit: utraque vero a ſacri diadematis noſtri forma & ſpecie prorſus diverſa. Ejus diſſimilitudinis veram cauſam, ingenue fateor, ignoro. Attamen perſpectum mihi, probeque exploratum eſt, neque Imperatores Græcos in ceris & nummis omnibus *diadematos* conſpici, tametſi, teſte *Anna Comnena*, jam oſtenderim, diadema Majeſtati eorum fuiſſe proprium. *Sane tanta in numiſmatibus Imperatorum*, inquit eruditiſſimus Stiltingus vitæ S. Regis Stephani §. 210. *invenitur coronarum diverſitas, ut ex ſola coronæ forma validum deſumi nequeat argumentum: nec minor varietas fuit apud Græcos quam apud Latinos; non enim omnes Imperatores Græci exprimuntur cum vittis e corona dependentibus; alii habent diadema clauſum ſine vittis, alii circulum vel coronam apertam.* Quam varietatem in numiſmatis regum noſtrorum etiam vetuſtioribus obſervare licet. At hoc utcunque ſit, certe in vetuſtiſſimis ceris iſtis neque cruce rex Hungariæ utitur pro ſceptro; neque crux ipſa earum eſt ſimilis, quibus Græci Imperatores uſi ſunt: omnis autem illius modus, figura & reliqua per ſe loquuntur, eſſe *Apoſtolicam*, & earum ſimillimam, quæ Legatis Romani Pontificis conſuevit præferri. Hinc præclare, me judice, *Illuſtr. Réwajus* laudati mihi jam ſupra operis pag. 149. *Inprimis*, inquit, *crux*

gemi-

Digitized by Google

gemina coronæ adjuncta fuit, S. Stephano regi Hungariæ præferenda, eo nimirum reſpectu, quod rex ſimul & Apoſtolus Hungarorum eſſet; regiam ſimul & Apoſtolicam dignitatem ac profeſſionem, ex converſione ſuæ gentis ad fidem Chriſtianam conſecutus. Quæ ab eo vere ſcripta eſſe, nunc demum, Deo bene favente, pluribus docere pergo.

CAPVT IX.

Prima & vera origo Juris Patronatus Apoſtolicorum Regum Hungariæ.

Hactenus de initiis religionis Chriſtianæ inter Hungaros, deque diadematis Hungarici vera origine: quæ cur laborioſius diſcuſſerim, & cur iiſdem diutius immoratus ſim, cauſas, quas ſemel atque iterum brevi indicavi, prolixius nunc exponere convenit. Conſtans adhuc ex traditione majorum apud nos opinio fuit, idem Juri Patronatus regio, quod Chriſtianæ inter nos religioni fuiſſe initium. *Stephanus Werböczius*, quem merito *Tribonianum* Hungaricum dixeris, Tripartiti Part. I. tit. XI. ubi *de Jure Patronatus* agit, rationem pro eo alteram tradit eſſe: *Modum ſuſceptæ Chriſtianitatis. Quia*, inquit, *Hungari non per prædicationem Apoſtolicam, vel Apoſtolorum, quorum Principis vicem, & perſonam in terris Papa gerit, ſed per inſtitutionem proprii Regis eorum, Sanctiſſimi videlicet Stephani Regis, de quo & ſuperius memini, converſi ſunt ad Catholicam fidem: Qui primus omnium Epiſcopatus, Abbatias, Præpoſituras hoc in Regno fundavit, & harum omnium Eccleſiarum Prælaturas, ac beneficia ſolus ipſe ex nutu ſummi Pontificis, quibus maluit (idoneis tamen & virtutibus probitatum inſignitis) contulit. Sicuti Eccleſia de eo ſolenniter canit:* Hic (*videlicet Sanctus Stephanus*) ad inſtar Salamonis, ſtruit templa, ditat donis, ornat gemmis & coronis, cruces & altaria. *Et mox ſubinfertur*: Ad regendum hæc, Prælatos, viros ponit litteratos, juſtos, fidos, & probatos, ad robur fidelium. Sic talentum ſibi datum, DEO reddens duplicatum, ab æterno præparatum ſibi, ſcandit ſolium. *Ecce aperte deſcribitur, quod ipſe, & non alter quiſpiam ad regenda templa per eum conſtructa, doniſque ditata, Prælatos juſtos, & fidos poſuit, prout ex ejus quoque hiſtoria & pluribus privilegiis ſuper Eccleſiarum fundationibus, & dotationibus confectis liquido* pa-

Digitized by Google

patet. Itidem, & plerique Caſarii ac Pontificii juris interpretes, ſuis commentariis conſcriptum prodidere. Unde etiam Rex *&* Apoſtolus *dici meruit, eo quod vices Apoſtolorum in terris, prædicatione & bonorum operum atque exemplorum exhibitione geſſit. Et propterea duas quoque cruces, per collationem ſummi Pontificis in ſignum ſuæ ſanctitatis, quod ſcilicet* Rex *&* Apoſtolus *juſte diceretur, digne meruit habere pro armorum inſignibus. Unde ab illius tempore, gens Hungarica,* duplicatam crucem *pro armis ac inſignibus habere pariter, & geſtare conſuevit, &c.* Hactenus verba indicati *Tituli*; ubi vel maxime notari merentur illa: *prout ex ejus quoque hiſtoria, & pluribus privilegiis, ſuper eccleſiarum fundationibus & dotationibus confectis, liquide patet.* Item illa: *Eo quod vices Apoſtolorum in terris, PRAEDICATIONE . . . geſſit. Et propterea duas quoque cruces per collationem ſummi Pontificis . . . digne meruit habere pro armorum inſignibus.* Per quæ non alia, aut me omnia fallunt, innuuntur monumenta, ac primum *Hiſtoria Vitæ S. Stephani*, juſſu *Colomani* Regis noſtri a *Carthuitio* Epiſcopo ſcripta; deinde *tabulæ* immunitatum, monaſteriis, ab eodem S. Rege conditis, datæ; tum celebres *Silveſtri II.* ſummi Pontificis *litteræ*, cum diademate per *Aſtricum* miſſæ. Singula hæc monumenta clare & perſpicue cum initia religionis apud nos Chriſtianæ, tum diadema noſtrum Romanæ eccleſiæ in acceptis referunt, & novis Cl. *Schwartzii* opinionibus vel maxime ſunt contraria; quam etiam ob cauſam improbe otioſorum commentis ſciolorum ab eo ſunt adſcripta. Confutare igitur prius debui calumniam, & in inſignem Conſtantinopolitanarum rerum incuriam rejicere, quam eorum fide & teſtimonio in rem meam uti: quod poſtquam abunde, uti arbitror, præſtiti, propius jam ad propoſitum meum accedere non verebor.

Litteræ *Silveſtri II.* Summi Pontificis, ad *Divum Stephanum* cum diademate miſſæ, poſt occupatam a Turcis Budam, Traguri in Dalmatia anno CIƆIƆL. ſunt repertæ. Primus typis excuſas in lucem protulit *Melchior Inchoferus e S. J.* Annalium Eccleſiaſticorum regni Hungariæ *Tom. I. pag.* 256, unde cum eas ipſas, tum earum fata, ab laudato *Inchofero* memoriæ diligenter prodita, huc tranſcribere non ſum gravatus. *Et jam confecto*, inquit ille, *hujus primi tomi argumento, magnamque partem liberatis e prælo foliis, dum propemodum milleſimi hujus anni*

Digitized by Google

ni hiſtoria ſubjicienda foret, inopine, ſed peropportune, ſuggeſſit Reverendus Frater Raphaël Levacovicz, Croata, Ordinis Minorum Obſervantium, ſacræ Theologiæ Lector, atque in urbe ſacrorum Illyriacanæ Eccleſiæ Codicum Corrector, haberi apud ſe litterarum Silveſtri Pontificis exemplum, quæ Legatis Hungariæ, tum adhuc Ducis Stephani, mox inaugurandi Regis, una cum ſacra Corona traditæ, non ſingulares duntaxat prærogativas, eidem conceſſas, ſed & ſummam rerum, ad hanc hiſtoriam pertinentium, exacte continerent. Et ne de fide religio inceſſeret, tametſi ſtylus abunde pro ſe loquatur, auctoritatem faciunt, quæ idem ſuo vir Ordine dignus, manu addidit. Antonius Verantius Dalmata ſuperiori ſeculo, magnæ, tum doctrinæ, tum prudentiæ laude clarus, eoque viginti plus Legationibus ad maximos Principes perfunctus; apud Ferdinandum demum, & Maximilianum Romanorum Imperatores ea gratia valens, qua ſuæ dignitati Strigonienſem Archiepiſcopatum adderet. Hic enimvero, cum in Archivo Traguri enſis Eccleſiæ, cognoſcendis colligendisque antiquitatum monumentis intenderet, has quoque litteras forte, anno ſeculi quinquageſimo, offendit; & dignum ſtudii ſui præmium, in adverſaria, quibus titulum Memorialis *præfixerat, manu ſua deſcripſit. Eo poſt annos tres & viginti vita functo, veluti lampada per varios traditum accepit Athanaſius Georgier, peroinde genere & legationum provinciis illuſtris; cujus eximia erga eruditos humanitate Viennæ Auſtriæ nactus eſt Frater Raphaël, cum nuper datum a Summo Pontifice Urbano VIII. Terræ ſanctæ negocium apud Cæſarem Ferdinandum Tertium procuraret. Ab eo demum nos, qua diximus occaſione habitas, ne amplius deſiderio, & errore multorum, ne dicam inſigni Eccleſiæ damno, in privatis ſcriniis adeoque in tenebris deliteſcerent, hiſce Annalibus inſerere, & publici juris & lucis eſſe voluimus, ita etiam optante eo, qui ceu pignus & depoſitum argumenti ſui,* de Vinea Domini in Illyrico, *in noſtris lucubrationibus exſtare voluit: Ut hoc propter, qui has lecturi probaverint, gratiam acceptam eidem referant, unaque meminerint, Martini Pannoniorum Divi tutelaris, cujus, inter alia regni Hungariæ ſydera, dum veluti Cynoſuræ ductu hoſce annales molimur: Quippe quo die glorioſus ejusdem tranſitus Eccleſiæ ſolemnis eſt, eodem hoc exemplum ad manus noſtras venit; ut votis ad illuminandos labores reſpondere voluiſſe videri poſſit. Eſt autem hujuſmodi.*

Sylveſter Epiſcopus Servus Servorum Dei, Stephano Duci Ungarorum ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Legati Nobilitatis Tuæ, in primis vero cariſſimus Confrater noſter Aſtricus, venerabilis Colocenſis Epiſcopus, tanto majori cor noſtrum lætitia affecerunt, ac minori officium ſuum labore confecerunt, quanto divinitus præmoniti, cupidiſſimo animo illorum adventum de ignota nobis gente præſtolabamur. Felix Legatio, quæ cæleſti præventa Nuncio, atque Angelico pertractata miniſterio, prius Dei concluſa eſt decreto, quam a nobis audita fuiſſet. Vere non volentis, neque currentis, ſed, ſecundum Apoſtolum, miſerentis eſt Dei: qui teſte Daniele, mutat tempora & ætates: transfert regna, atque conſtituit: revelat profunda & abſcondita, & novit in tenebris conſtituta, quia lux cum eo eſt: quæ, ſicut docet Joannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primo ergo gratias agimus Deo Patri, & Domino noſtro JEſu Chriſto, qui temporibus noſtris invenit ſibi David filium Geyſæ, hominem ſecundum cor ſuum, & luce irradiatum cæleſti ſuſcitavit illum paſcere Iſraël populum ſuum, electam gentem Ungarorum. Deinde laudamus pietatem ſublimitatis Tuæ in Deum, & reverentiam erga ſedem Apoſtolicam, cui divina patiente miſericordia, nullo meritorum noſtrorum ſuffragio, præſidemus. Tum vero largitatem liberalitatis, qua B. Petro, Apoſtolorum Principi, regnum ac gentem, cujus Dux es, cunctaque Tua, ac Te ipſum per eosdem legatos & litteras perpetuum obtuliſti, digno præconio commendamus. Hoc enim facto egregio aperte teſtatus es, & re vera talem Te merito eſſe demonſtraſti, qualem, ut nos Te declarare dignaremur, ſtudioſe expetiviſti. Sed parcimus. Neque enim neceſſe eſt, ut quem tot ac talia præclare pro Chriſto geſta facinora voce publica clamant, quemque Deus ipſe commendat, amplius commendemus. Quare glorioſe Fili cuncta a Nobis, & Sede Apoſtolica expoſtulata, Diadema nomenque regium, Strigonienſem Metropolim, & reliquos Epiſcopatus, de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate, præmonente atque ita jubente eodem Omnipotente Deo, cum Apoſtolica & noſtra Benedictione libenter conceſſimus, concedimus & impertimur. Regnum quoque a Munificentia Tua S. Petro oblatum, Teque una, ac Gentem & Nationem Ungaricam præſentem & futuram, ſub protectionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ acceptantes, Prudentiæ Tuæ, hæredibus ac legitimis ſucceſſo-

ceſſo-

Digitized by Google

ceſſoribus tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum, ac poſſidendum reddimus & conferimus. Qui quidem hæredes ac ſucceſſores tui quicunque, poſtea quam per optimates legitime electi fuerint, teneantur ſimiliter Nobis, & ſucceſſoribus noſtris per ſe, vel per Legatos debitam obedientiam, ac reverentiam exhibere, ſeque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ſubjectos non habet, ut ſervos, ſed ut filios ſuſcipit univerſos, ſubditos eſſe oſtendere, atque in Catholica fide, Chriſtique Domini ac Salvatoris noſtri religione firmiter perſeverare eandemque promovere. Et quia nobilitas Tua Apoſtolorum gloriam æmulando, Apoſtolicum munus, Chriſtum prædicando, ejuſque fidem propagando, gerere non eſt dedignata, noſtraſque & Sacerdotii vices ſupplere ſtuduit, atque Apoſtolorum Principem præ cæteris ſingulariter honorare: idcirco & Nos ſingulari inſuper Privilegio Excellentiam Tuam, tuorumque meritorum intuitu, Hæredes, ac ſucceſſores tuos legitimos, qui, ſicut dictum eſt, electi, atque a ſede Apoſtolica approbati fuerint, nunc & perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes; Ut poſtquam Tu, & illi, Corona, quam mittimus, rite juxta formulam Legatis tuis traditam, coronatus, vel coronati extiteritis, crucem ante ſe, Apoſtolatus inſigne geſtare facere poſſis & valeas, atque illi poſſint valeantque: & ſecundum quod divina gratia Te, & illos docuerit, Eccleſias regni tui præſentes, & futuras, Noſtra, ac ſucceſſorum noſtrorum vice diſponere atque ordinare. Apoſtolica authoritate ſimiliter conceſſimus, volumus, & rogamus, ſicuti in aliis litteris, quas in communi ad Te, optimateſque Regni, & cunctum fidelem populum, per Nuncium noſtrum, quem ad Te dirigimus, deferendis, plenius hæc omnia explicata continentur. Oramus omnipotentem Deum, qui Te de utero matris tuæ vocavit nomine tuo ad regnum & Coronam, quique Diadema, quod Duci Polonorum confectum per Nos fuerat, Tibi dandum mandauit, augeat incrementa frugum Juſtitiæ ſuæ, novellas plantas regni tui rore ſuæ benedictionis perfundat largiter; regnum tuum Tibi, Teque regno ſervet incolumem; ab hoſtibus viſibilibus, & inviſibilibus protegat; ac poſt terreni regni moleſtias, in cæleſti regno Corona adornet æterna. Data Romæ VI. Kal. April. Indictione decima tertia.

Hactenus ex *Inchofero* fata & exemplum epiſtolæ *Silveſtri II.* ad *Divum Stephanum*, Regem noſtrum, per *Aſtricum* miſſæ. Nota chronica deſignat annum 1000, uti liquet ex Indictione XIII. quæ

eo

Digitized by Google

eo anno currebat; ſexta vero dies ante Kalendas Aprilis, ſeptimam & vigeſimam menſis Martii notat, quæ anno Chriſti *milleſimo* in diem Mercurii Sanctæ Hebdomadæ incidit. Prima & veriſſima Juris noſtri Regii origo, ampliſſimique ejus limites, clariſſime deſcribuntur verbis illis: *Et ſecundum quod divina gratia Te, & illos docuerit, Eccleſias Regni tui præſentes, & futuras, Noſtra, ac Succeſſorum Noſtrorum VICE diſponere atque ordinare, Apoſtolica authoritate ſimiliter conceſſimus, volumus, & rogamus, ſicuti in aliis Litteris, quas in communi ad Te, Optimateſque Regni & cunctum fidelem populum per Nuncium noſtrum, quem ad te dirigimus, deferendis, plenius hæc omnia explicata continentur.* Quibus Pontifex cum ſuo, tum etiam ſucceſſorum ſuorum nomine Regibus noſtris claris & perſpicuis plane verbis concedit primas ad *Electionem Translationem &c* Prælatorum Coronæ Regni Hungariæ; item ad beneficiorum collationem: primis unice partibus ad *Conſecrationem* Sibi ſucceſſoribusque ſuis retentis. Utinam vero damna temporum effugiſſent aliæ illæ litteræ, ad Regem ſimul & Optimates regni a *Silveſtro* datæ! tum enim clarius, procul dubio, docere poteramus, veriſſimum eſſe illud, quod a majoribus acceptum perpetuo apud nos uſu confirmatum videmus; *Divum* nempe *Stephanum*, Regem noſtrum, proceresque regni cum omni gente Hungarica, ſub conditione hujus Juris, Chriſtiana ſacra fuiſſe amplexos: planum enim atque compertum ex hoc opere fiet, Reges noſtros Jus hoc ſuum Regium non aliter, atque *pacta* cum ſummo Pontifice *mutua*, ſemper fuiſſe tuitos. Enimvero *Bela IV*, piiſſimus alias ac Sedis Apoſtolicæ obſervantiſſimus princeps, anno 1252. Innocentio IV. Summo Pontifici, ſcribere non dubitavit: *Hoc igitur tantum poſſe debetis, ut fiducia filiali diximus, quod de jure poteſtis; non enim debet inde injuriarum naſci occaſio, unde jura prodierunt.* Cujus querelæ genuinas cauſas videbimus ſuo loco: quemadmodum & ea, quæ a proceribus regni, *Joanne Hunyade* pro *Ladislao Poſthumo* Gubernatore, comitia agentibus, Nicolao Pontifici fuerunt reſcripta. *Mathias Corvinus*, *Hunyadis* filius, ad Cardinalem Aragonium non minus libere quam magno præſentique animo hæc itidem ſcripſit: *Et ut aperte cognoſcat, certo ſcire Pontifex debet, duplicatam illam crucem, quod regni noſtri eſt inſigne, gentem Hungaricam libentius triplicare, quam in id conſentire, ut beneficia & prælaturæ, ad JUS Coronæ ſpectantes, apud ſedem*

dem Apoſtolicam conferantur (1). Accedat & illud; anno 1635. quæſtione *de Epiſcopatibus Titularibus* mota, Cardinalis *Pazmánus*, Strigonienſis Metropolita, ſententiam ſuam dicere, a Ferdinando II. Imp. & Rege noſtro juſſus, ſecundum alia ſcripſit hæc: *Tertio, debitus honor Bullis Clementis VII, ac Julii III. habeatur, ubi receptæ, ac contrario uſu abrogatæ non ſunt. Certum tamen eſt, a ſede Apoſtolica in Regno Ungariæ contrariam conſuetudinem uſu continuo approbatam eſſe. Et nominationes a Regibus Ungariæ factas, pro Epiſcopatibus olim ad Hungariæ coronam ſpectantibus, admiſſas & approbatas fuiſſe. Quo ipſo continuo uſu, apertoque ac manifeſto Sedis Apoſtolicæ conſenſu, approbatum ac declaratum eſt, quod Bullæ illæ non præjudicent Regi Apoſtolico, vel PACTIS cum ſede Apoſtolica initis tempore reductionis gentis Ungaricæ ad fidem Catholicam. Nam ſi hodie Rex Angliæ, vel Scotiæ pactum iniret cum ſede Apoſtolica, ut, ſi ad Catholicam religionem reducet errantes, ipſe ſolus nominare Epiſcopos poſſit, (ſalva electione ad conſecrationem, quæ ſedi Apoſtolicæ competit) ſervare hoc pactum teneretur Sancta ſedes, niſi juridice ob graves cauſas ſucceſſor aliquis hoc jure privaretur* (1). Hæc Cardinalis *Pazmánus*; quorum fontes & origines ex ſequentibus abunde patebunt. Ad primam Juris hujus Regii originem quod attinet, dixi modo, eam his *Silveſtri II.* litteris deberi; de quarum vetuſtate ac fide nulli, quod ſciam, viro docto ante Cl. *Schwartzium* ambigere in mentem venit. Ejus argumenta, ab initiis Eccleſiæ & origine Coronæ noſtræ accerſita, prævie, ut vidiſti, jam diſcuſſi: reſtant leviora non nulla, dedita opera a me in hunc locum rejecta, quibus nunc reſpondere adgrediar.

CAPVT X.

Litteræ Silveſtri II. *a reliquis* Cl Schwartzii *criminationibus vindicatæ.*

Primum, quod his in litteris Cl. Schwartzio diſplicet, eſt: *Non adferri ipſam . . . tabulam, Pontificis manu exaratam confirmatamque; ſed aliam, ſuperioribus ſeculis deſcriptam, ac veluti lampada per varios traditam.* At vero, ut recte obſervat *Stiltingus*, ſi hoc argumentum

G va-

1) *Vide Scriptor. Rer. Hung. Tom. II. P. II pag. 677.*

2) *Vide Péterfi Concilia Regni Hung. Part. I. p. 78.*

valeat, omnibus fere antiquis litteris abroganda fides erit, & ne divinæ quidem de vetuſtate & fide ſua erunt ſecuræ; cum neque harum oſtendi poſſunt authenticæ ac primigeniæ tabulæ. Jam vero quis iſtud vir prudens, qui res Hungaricas vel mediocriter unquam ſcire curavit, a nobis juſte poſtulet? cum per tot ac tantas rerum ac bellorum viciſſitudines, vix Buda, caput regni, ſuo conſtiterit loco, nedum litterarum monumenta ſalva ad nos pervenire potuerint. Sunt deinde hoc genus theſauri graviſſimis aliis periculis obnoxii. *Collationis beneficiorum Confirmationem*, a Conſtantienſi Concilio *Sigiſmundo* Imperatori & Regi noſtro per litteras factam, *Werböczius* habuit, quemadmodum ex Tripartiti P. I. tit. XI. conſtat; ubi vero nunc illæ tabulæ? ubi vel nuperum quodpiam earum apographum? quin ubi crux ipſa, Apoſtolatus ſimul & Juris noſtri Regii inſigne? nempe interierunt indigna quorumdam hominum negligentia, vel certe eorum, quibus Jus iſtud regium grave jam eſſe cœperat, impia fraude ac malitia. Ait deinde: *Nemo, quod conſtet,* inquit, *diploma illud Pontificis, prius quam ab Inchofero publici juris & lucis factum eſſet, ſexcentis ſupra quadraginta annis, legit, nemo vidit, nemo uſquam exſtare perhibuit.* Litteras *Silveſtri* diu in tenebris delituiſſe ignotas, quis neget? at idem rurſus, ut recte *Stiltingus*, contigit de aliis innumeris, de quarum fide non dubitatur. Quod vero Cl. *Schwartzius* ait, ante *Inchoferum* nemini lectas viſaſve; mecum facit, ſi intelligit tempus, quo neglectæ in tabulario Traguriensis eccleſiæ latuerunt; at a vero quam longiſſime aberrat, ſi nunquam extitiſſe, aut a nemine viſas unquam, lectaſve fuiſſe contendit. Quoties enim cunque vel ipſe Divus Rex *Stephanus* conditis ab ſe monaſteriis litteras immunitatum dat, quoties reges noſtri jus hoc ſuum tuentur, toties indice veluti digito litteras *Silveſtri* deſignant, quemadmodum, ubi res & uſus tulerit, adnotare deinceps non negligam: ut ea omittam, quæ *Timon in Imagine Antiquæ Hungariæ Cap. VIII.* & *Stiltingus* laudati mihi ſæpe operis §. XXIII. n. 249. erudite diſſerunt. *Werböczii* ſilentium, qui de Jure Patronatus agens, *Silveſtri* Pontificis non commeminit, debile profecto iſta quidem in re eſt argumentum; tametſi nuper admodum Viro eleganter erudito adeo probari adverterim, ut me illo parum moveri, vehementer ſit admiratus. Ac primum quidem *Werböczius* noſter haudquaquam ita in aliis etiam exactus,

ut

Digitized by Google

ut ejus ſilentium in argumentum ſumi debeat; deinde notum eſt, eum Jus hoc non diplomatum authoritate adſtruere, ſed, pro ingenio temporis, rationibus. Quippe hoc propoſito, *Legitimam præſcriptionem* in rationibus ponit, neque tamen fide dignis litterarum monumentis docet, revera eſſe *legitimam*; quam tamen ob rem nulli adhuc ea *præſcriptio* viſa eſt *illegitima*. Ad extremum, neque *Carthuitii* Epiſcopi, autoris Vitæ *S. Stephani* commeminit, cujus tamen opus indicare videtur: neque monaſteriorum, quorum litteras immunitatum, a *Divo Stephano* conceſſas, deſignat. Sed neque his rationibus tempus adhuc eget; falſum enim eſt, nullam *Silveſtrinæ* epiſtolæ mentionem ei factam: quippe ejuſdem tit. XI. §. 3. ſcribit: *Et propterea duas quoque cruces, per COLLATIONEM SVMMI PONTIFICIS in ſignum ſuæ ſanctitatis, quod ſcilicet* Rex & Apoſtolus *juſte diceretur, digne meruit habere pro armorum inſignibus.* Habuit nimirum præ oculis *Werböczius*, quam etiam eodem *titulo*, §. 2. deſignat, Hiſtoriam Vitæ *S. Stephani*, *Colomani* Regis juſſu a *Carthuitio* Epiſcopo ſcriptam, &, uti res ipſa loquitur, pro genuino monumento cum ab eo, tum etiam ceteris Hungaris, novarum amore religionum nondum infaſcinatis, habitam: at in illa vita litterarum Pontificis clariſſima fit mentio: quippe Cap. II. §. 13. Carthuitius ſcribit: *Benedictionis ergo Apoſtolicæ LITERIS cum corona & cruce ſimul ALLATIS &c.* Non igitur ignotæ *Werböczio* Pontificis litteræ; non ignorata crucis & coronæ, ipſius adeo hujus juris, facta per litteras Pontificis collatio. Quin ipſas etiam Pontificis litteras in manibus habuiſſe *Werböczium* adfirmare non dubitem: laudati quippe tituli. §. 2. ſcribit: *Quia Hungari non per prædicationem Apoſtolicam . . . ſed per INSTITVTIONEM proprii regis eorum, ſanctiſſimi videlicet Stephani . . . converſi ſunt ad Catholicam fidem. Item.* §. 3. *Unde etiam Rex & Apoſtolus dici meruit, eo quod vices Apoſtolorum in terris, PRAEDICATIONE, & bonorum operum atque exemplorum exhibitione geſſit.* Quæ utique non aliunde, niſi ex illis *Silveſtri II.* verbis fluxerunt: *Et quia Nobilitas Tua Apoſtolorum gloriam æmulando, Apoſtolicum munus, Chriſtum PRAEDICANDO, ejuſque fidem propagando gerere non eſt dedignata, noſtraſque & Sacerdotii VICES ſupplere ſtuduit.* Horum inquam fons & origo *Silveſtrinæ* Litteræ ſunt; cum hæc, Vitæ *Divi Stephani* Scriptori, *Carthuitio* adeo incredibilia viſa ſint, ut ea, teſte Incho-

Digitized by Google

feri exemplo, ita interpretatus ſit: *Quamvis ipſe ſibi evangelizandi munus non ſumpſerit, inſtar ducis tamen concionatorum & magiſtri defenſionis & ſuſtentationis eis ſolatia ſuppeditavit* (1). At quæret fortaſſe quiſpiam, cur *Werböczius* æque claris ac perſpicuis verbis *Silveſtrinas* litteras, atque *Confirmationem* Conſtantienſis Concilii, non deſignarit? nimirum, quia *Confirmatio illa* & recentior erat, & ad probandam *Beneficiorum collationem*, qua de re eo *titulo* agit, plus roboris habere eſt viſa. Veriſſima autem univerſim cauſa, cur, cum Pontifices Romani, tum etiam Hungari noſtri, tam obſcure ſemper has litteras indicent, adparet eſſe, quod illis æque, atque his partim probarentur, partim eſſent minus acceptæ. Grata quippe erant Pontificibus Romanis illa epiſtolæ verba: *Tum vero largitatem liberalitatis, qua B. Petro, Apoſtolorum Principi, regnum ac gentem, cujus Dux es, cunctaque tua, ac teipſum per eoſdem legatos & literas perpetuum obtuliſti*: ſed vel reſecanda, vel reſtringenda videbantur illa: *Et ſecundum quod divina gratia te, & illos docuerit, Eccleſias regni tui præſentes & futuras noſtra ac ſucceſſorum noſtrorum VICE diſponere atque ordinare, Apoſtolica authoritate ſimiliter conceſſimus, volumus, & rogamus &c.* Hungaris contra noſtris placebant hæc: illa de *Oblatione*, ut Romæ intelligebantur, diſplicebant. Probantur nunc omnia utrinque; temporis quippe lapſu recte conciliata atque complanata. Sequamur porro dubitantem Cl. *Schwartzium*. *Primus omnium*, inquit, *in archivo Traguerienſis eccleſiæ repertum in adverſaria manu illud ſua deſcripſiſſe fertur Antonius Verantius, poſt Archiepiſcopus Strigenienſis. Quaſi vero in archivo quomodocunque repertum ſufficiat, & non multo plura expedienda fuerint, ut, ſcripturam authenticam eſſe, doceretur.* Hæc ille. Tabulas immunitatum, a *Divo Stephano* abbatiæ *S. Martini* datas, ut recte *Stiltingus*, *Schwartzius* ſuſpicit pag. 7. & 62. Rationes ei ſunt, quia *Petrus Pazmány*, Cardinalis & Archiepiſcopus Strigonienſis, eas ipſas ſe apud abbatem vidiſſe teſtatur; deinde, quia *Stilus* diplomatis de tabulæ fide & antiquitate ambigere non ſinit. Atqui utrumque hoc a *Silveſtrinis* itidem *litteris* eſt. *Antonius Verantius* eas primus detexit, & pro genuinis habuit; quis ille

(1) *Vide Inchof. Annales. pag. 259. Vita a* Stiltingo *edita. Cap. III. n. 18. habet:* & quamvis ſuper ſe evangelizandum non aſſumpſit officium prædicatorum, tamen dux & magiſter ejus, tutaminis & ſuſtentationis inſtituit ſolatium.

ille? *Antonius Verantius Dalmata*, reſpondet Inchofer, *ſuperiori* (ſexto decimo) *ſeculo magnæ tum doctrinæ tum prudentiæ laude clarus, eoque viginiti plus legationibus ad maximos principes perfunctus; apud Ferdinandum demum & Maximilianum Imp. ea gratia valens, qua ſuæ dignitati Strigonienſem Archiepiſcopatum adderet.* Neque iſta *Inchoferi*, heroa ſuum ornantis, pigmenta ſunt; ſed debita Verantianæ virtuti teſtimonia: quippe *Bizarus*, Verantio coævus, & belli Pannonici, memoria ſua geſti, ſcriptor clariſſimus, de Legatione anni 1667. Turcica hæc ſcribit: *Legati fuere Antonius Verantius, Agrienſis Antiſtes, qui ante per integrum quinquennium apud Solymanum oratorio munere functus erat, & Tieffenbachus; ambo Conſiliarii Cæſaris, virique cum eruditione, tum facundia & linguarum cognitione ornati.* Tyrnaviæ ad Divi Nicolai *Verantii* exuviæ jacent; epitomen ejus vitæ, epitaphio marmori inſcriptam, cum in ea urbe adoleſcens anno CIƆIƆCCXXXVII. humaniores litteras diſcerem, in adverſaria retuli, unde eam nunc, cum exemplo *Schmittbii*, in ejus vita inter Archiepiſcopos Strigenienſes vulgato, conlatum, promere non erubeſcam.

ANTONIO VERANTIO, ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI, PRIMATI LEGATO, CONSILIARIO, CANCELLARIO, AC LOCVMTENENTI REGIO IN HVNGARIA: VIRO INTEGRITATE, AC MVNIFICENTIA INSIGNI, FACVNDIA, RERVMQVE EXPERIENTIA INSIGNI, CAETERISQVE VIRTVTIBVS ORNATISSIMO, MVLTIS VARIISQVE LEGATIONIBVS STATIM AB INEVNTE AETATE, IN PRIMIS QVIDEM NOMINE IOANNIS, REGIS HVNGARIÆ, APVD OMNES FERE PRINCIPES CHRISTIANOS, TVM VERO VLTIMIS DVABVS NOMINE SACRATISSIMI IMPERATORIS FERDINANDI I. AC MAXIMILIANI APVD SOLYMANVM ET SELYMVM, TVRCARVM PRINCIPES, SVMMA FIDE, AC SOLERTIA, ATQVE ADEO OMNIBVS REIPVB. CVRIS, HONORIFICENTISSIME PERFVNCTO, DE TOTA CHRISTIANITATE OPTIME MERITO, GRATIA POSTREMA. NATVS SIBENICI, OBIIT EPERIESINI ANNOS NATVS LXIX. DIES XVI. MDLXXIII. XII. CALEND. SEXTILES.

Satin' notus *Verantius*? atqui hic ille vir eſt, cui prolatas in lucem *Silveſtri II.* litteras nos debemus, & grata nobiſcum debebit poſteritas. De *ſtylo* epiſtolæ, cum ne mutire quidem *Schwartzius* auſus ſit, ſupervacaneum hic eſſet pluribus agere. Sentio cum *Inchofero:*

ſtro: ſtylum abunde pro iis loqui; quod verum eſſe, perinde omnis experietur, qui cum aliis *Silveſtri* litteris componendi laborem non refugerit. *Attamen multo plura*, inquit *Schwartzius*, *expedienda fuerunt*, *ut earum authentia probetur.* Quænam, malum, illa? An quod Traguri in Dalmatia repertæ? quin vel hoc earum fidem maxime tuetur: Scimus enim ex *Lucii* de Dalmatia & Croatia eruditiſſimo opere (1), *Electionem Epiſcoporum & Comitum* ex antiquo Romanarum provinciarum more ad civitates Dalmatiæ pertinuiſſe; *Colomano* deinde, Hungariæ rege, armis Dalmatiam occupante, alias a victore & Domino leges accipere, fuiſſe coactas. Miſſum itaque eſt aut iſta, aut perſimili temporis vice, ex Hungaria litterarum *Silveſtri* apographum, ex quo Dalmatæ jura novi Domini diſcerent. Conjecturam hanc meam mirifice adjuvant: *Jura Dalmatarum, ſive Libertates*, ab eodem *Colomano* Dalmatis conceſſa; quæ laudato ante *Lucii* loco utilius legentur. Ad rem præſentem faciunt: *Ego Colomanus Rex Ungariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ, juro ſuper ſanctam crucem vobis TRAGURINIS, meis fidelibus civibus, firmam pacem . . . Epiſcopum vero aut Comitem, quem clerus & populus elegerit, ordinabo.* En aſſenſum regium in Dalmatia Hungarica electioni Epiſcoporum, a Clero & populo factæ, neceſſarium. Novum hoc, Tragurinis præcipue, videri poterat; doceri idcirco debebant, jus iſtud regibus Hungariæ eſſe proprium: unde vero id melius certiusque oſtendi potuit, quam ex his ipſis *Silveſtri II.* litteris: nihil igitur mirum, ſi in tabulario Tragurienſis Eccleſiæ fuerunt repertæ. Inſtat porro Cl. *Schwartzius*; indicio nempe Timonis, apud Lucium legerat, litteras *Silveſtri*, ex quibus *Verantius* apographum ſuum habuit, in tabulario Eccleſiæ Tragurienſis amplius non reperiri. *Lucii* verba accipe: *Compertum mihi & notiſſimum eſt, illam, quam ipſe* (Inchoferus) *refert, Silveſtri, Papæ epiſtolam, anno* 1000. *Stephano, Duci Ungariæ, ſcriptam, in archivo Tragurienſis Eccleſiæ non reperiri; cum diligentiſſime a me recenſitum fuerit, neque in eo ullam antiquiorem ſcripturam anno* CIƆCLXXXV. *repererim.* Effuſe hic ſibi plaudit Cl. *Schwartzius*; & quo magis ſit ridiculus, ſubdit: *Sane nulla plane adeſt ratio, cur in tabulario potius Tragurienſi, quam in archivis Hungariæ proſtiterit.* καλῶς ϗ σοφῶς ſcilicet! Sed de *Lucii* teſti-

(1) *Lib. IV. Cap. II.*

Digitized by Google

teſtimonio primum. Eſt ergo, niſi fallor, Cl. *Schwartzii* argumenti vis in eo omnis: Anno 1550. *Verantius* exemplum ſuum exſcripſit; evoluto deinde integro fere ſeculo, idem tabularium perſcrutatus *Joannes Lucius*, nullum invenit monumentum, quod ſit anno 1185. antiquius: Silveſtrinarum igitur exemplum litterarum, ab *Inchofero* a. 1644. vulgatum, eſt ſuppoſititium. Habemus nova & mira Divæ quoque Logices miracula! Habes *Achillem Schwartzii*, manibus pedibusque, aut verius, mente captum. Duo enim hic credi ſibi vir doctus poſtulat; primum, eas litteras integro fere ſeculo e tabulario Traguriensi nulla ratione ſubripi, vel deperdi potuiſſe: deinde, nihil fuiſſe in eodem tabulario, quod *Lucii* diligentiam elluſerit. Enimvero ſi Cl. *Schwartzius* tabulario cuipiam, aut Bibliothecæ unquam præfuiſſet, res profecto adeo leves, in re prorſus diſſimili, chartis ſuis committere, & doctorum hominum oculis exponere, erubuiſſet. Poſſem plura in exemplum adferre monumenta, quibus vel iſta, cuſtodiæ meæ credita Bibliotheca, ornabatur olim, quæ nunc in deperditis non ſine dolore mecum numerat. Unum in re per ſe certa ſufficiet. *Codex Epiſtolaris antiquitatum Archiepiſcopatus Magdeburgenſis*, membraneus, qui ad *Lambecium* olim noſtrum pertinuit, & quem is *authenticum* vocavit in Catalogo librorum ſuorum editorum atque ineditorum pag. 49. fruſtra poſthac in Aug. Bibliotheca noſtra quæretur. Euanuit non ſeculi pene integri, ſed unius ſexennii, intervallo; quo nimirum a morte *Neſſelii* Bibliotheca noſtra Præfecto caruit. Typis vulgatum forte conſpeximus *in reliquiis Mss. omnis ævi, a Cl. viro J. P. Ludewig collectis*, & luci publicæ propoſitis. Tom. II. Mala fide a *Ludewigo* vulgatum eſſe, quis neget? at vero is *præfatione generali*, tomulo primo præfixa §. 42. evictum dare vult: *Fas eſſe inedita manu ſcripta in lucem proferre cuivis poſſeſſori ſive bonæ is fidei ſit, ſive malæ.* (1) Quid facias homini, pro mala fide facienti, & tabularium Magdeburgicum furtis

etiam

1) *Narrat vir doctus, ſe codicem illum opera* amici *ſui obtinuiſſe; is, ut mihi probe exploratum eſt, Comes . . . fuit, diſcipulus olim Ludewigi, & auctor præclari operis, cui epigraphe*: Collectanea Genealogico-Hiſtorica, ex Archivo Inclytorum Auſtriæ Inferioris Statuum, ut & aliis privatis ſcriniis, documentisque originalibus excerpta &c. Viennæ Auſtriæ, ſumptibus *Joannis Baptiſtæ Schönwetter*, Univerſitatis Bibliopolæ Anno 1705. in fol.

Digitized by Google

etiam locupletare ſtudenti? Hoc, ut ſpero, Cl. *Schwartzio* ſufficiet, ut celebriorum monumentorum pericula vel a longe perſpiciat, & noſcere diſcat. De diligentia *Lucii*, ei ego, quam adhuc maximi ſemper feci, plurima etiam me debere, ultro fateor; attamen cum *Stiltingo* probe novi, *quam omnem quærentis ſolicitudinem elludat aliquando exile aliquod monumentum, inter chartas abſconditum*; *idque propria experientia iteratis vicibus didici, etiam ubi certus eram, me chartam aliquam, quam fruſtra quærebam, vidiſſe ac manibus contrectaſſe. Si iſtud poſſit contingere ubi una dumtaxat charta de induſtria quæritur, quanto facilius accidere poteſt ei, qui multa ſibi profutura eadem opera inveſtigat, quemadmodum haud dubie fecit Lucius. Nimium igitur ſuæ confidit induſtriæ, qui ſibi perſuadet, nihil ſuæ in quærendo diligentiæ fuiſſe abſconditum.* Eſt illud etiam viris doctis non ignotum, perſæpe monumenta, quæ ſeparatim exſtare ſcripta creduntur, majoribus aliis intexta operibus reperiri. Celebres in argumento noſtro *Belæ III.* litteras, vitæ *Alexandri III. Cardinalis de Aragonia* inſeruit, fruſtra alibi, vel in aliis vetuſtioribus monumentis quærendas: videant idcirco quorum curæ & diligentiæ Traguriense tabularium eſt creditum, utrum *Lucio*, quod cum latuerit, oſtendi non poſſit. *At vero*, inquit, *Cl. Schwartzius, nulla eſt ratio, cur potius in Tragurienſi, quam in Hungariæ tabulariis reperta iſta fuerit epiſtola?* Cauſas, cur in Tragurienſi tabulario deliteſcere, & reperiri potuerit, a *Colomani*, regis noſtri, temporibus petitas, modo indicavi; cur vero ibi potius, quam in ullo alio Hungariæ tabulario? placet *Stiltingi* reſponſum: *Nondum plane conſtare, an non lateat, in quibusdam Hungariæ tabulariis; ſi vero de eo conſtaret, non deeſt ratio differentiæ, cum tota Hungaria multis direptionibus Tartarorum, Turcarum, & aliorum fuerit vaſtata, non ita Tragurium . . . ſic vita S. Stephani Cartbuitiana necdum producta eſt in lucem ex Hungariæ ſcriniis, licet edita fuerit in Polonia & Belgio, ubi etiamnum ſervatur manu ſcripta.* Atque his, ut res poſtulat, diligenter expenſis, cuilibet, ut arbitror, manifeſtum erit, exemplum *Silveſtrinæ* epiſtolæ, ex quo ſuum exſcripſit *Verantius*, & perire facile, & ignorari a Lucio, & Traguri potius, quam in Hungariæ ſcriniis, reperiri potuiſſe.

CA-

CAPVT XI.

Litteræ Silveſtrinæ diligentius expenſæ.

Age jam litteras, quarum cauſam hactenus tuiti ſumus, ponderemus. Scribit Pontifex: *Legati nobilitatis tuæ . . . tanto majori cor noſtrum lætitia affecerunt . . . quanto divinitus præmoniti cupidiſſimo animo illorum adventum* de ignota nobis gente *præſtolabamur.* Quid? Silveſtro, viro eruditiſſimo, ignota? *Incboferus*, inquit Timon (1), *obſcure ſignificat, ideo eo nomine adpellatam eſſe, quia nondum conſtabat, eam Chriſtianam eſſe, ſummoque ſacrorum præſidi aliquibus rebus obſtrictam. Otrocotſius, primum id vocabulum ſumit pro vili & abjecto, quomodo illud quodam loco ſumpſit Suetonius; deinde accipit pro incerto, hac ratione inductus, quod Silveſtro in viſo non fuit nominatim natio objecta. Ego opinor, ignotam vocatam eſſe, quia non ſatis nota erat, & legatio ejus accidit inexpectata. Prorſus enim incognita viro, omnibus ingenuis diſciplinis præſtanti, maturoque ævi, qualis erat Silveſter, eſſe non potuit. Deſpectam autem & contemptam nationem dicere, neque Summum Pontificem decuiſſet, neque ad rationes Eccleſiæ utile fuiſſet.* Hæc ille; de cujus opinione, quia res non tanti eſt, ſuum cuivis judicium videri optimum, non veto. *Incboferi* tamen præplacet; addit enim poſt paulo Pontifex: *Qui David filium Geyſæ ſuſcitavit, paſcere Iſraël populum ſuum*, electam gentem *Ungarorum.* Scribit porro Silveſter: *Deinde laudamus pietatem ſublimitatis tuæ in Deum, & reverentiam erga ſedem Apoſtolicam . . . tum vero largitatem liberalitatis, qua B. Petro Apoſtolorum Principi, regnum ac gentem, cujus dux es, cunctaque tua, ac te ipſum per eosdem Legatos & litteras perpetuum obtuliſti, digno præconio commendamus.* Eximia hæc profecto Divi regis noſtri erga DEUM pietas, & adverſus Apoſtolorum principem reverentia fuit, qua regnum & gentem, cujus Rex futurus erat, ejusdem patrocinio commendavit: eadem deinde reverentia ac pietate Divinæ quoque Matri Virgini regnum, gentem, ſeque ſuaque, ut omnibus notum eſt, obtulerat Divus rex noſter; quam ob rem Divini Servatoris mater ad hanc uſque diem *Regina*, *Domina*, *Patrona Regni Hungariæ* apud pios ſubditos audit. Utraque hæc regni gentisque oblatio, ut res ipſa loquitur, eam

1) *Imag. Antiq. Hung. Lib. III. Cap. VIII.*

eam ſolummodo pietatem ac reverentiam continet, qua reliqua etiam Chriſtiani orbis regna cum in *ſanctum Petrum*, tum Divam etiam Matrem Virginem ſunt, atque eſſe debent. Subdit Pontifex: *Qui quidem hæredes, ac ſucceſſores tui quicunque, poſtea quam per optimates legitime electi fuerint, teneantur ſimiliter nobis & ſucceſſoribus noſtris per ſe, vel per legatos debitam obedientiam, ac reverentiam exhibere, ſeque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ſubjectos non habet ut ſervos, ſed ut filios ſuſcipit univerſos, ſubditos eſſe oſtendere, atque in Catholica fide Chriſtique Domini ac Salvatoris noſtri religione firmiter perſeverare, eandemque promovere.* Juſtum hoc Pontificis petitum primam legem noſtram, ut videtur, condidit, ut rex noſter alius eſſe non poſſit, niſi qui vere Catholicus & Romanæ Eccleſiæ addictus ſit. Perſcripta fuit ab ipſo Divo rege noſtro *Stephano*, qui *Emerico* filio in monitis paternis hæc dictavit: *Quoniam ad regalis dignitatis ordinem non oportet niſi fideles & Catholica fide imbutos accedere; idcirco ſanctæ fidei in noſtris mandatis primum damus locum. In primis præcipio, conſulo, ſuadeo, fili chariſſime! ſi regalem cupis honeſtare coronam, ut fidem Catholicam & Apoſtolicam tali diligentia & cuſtodia conſerves, ut omnibus tibi a Deo ſubjectis exemplum præbeas &c.* De rege quopiam noſtro, *Confirmationis Pontificiæ* gratia Romam profecto, nullus unquam memoriæ prodidit. Pietatem & reverentiam erga ſedem Apoſtolicam ſuam ad regnum promoti per nuncios vel litteras teſtari ſolebant. Earum ſpecimen quodpiam legere licet in actis Concilii Guaſtallenſis, anno 1106. celebrati; item in vita *Paſchalis II. PP.* ex MS. *Pandulphi Piſani* cum vitis Pontificum *Cardinalis Aragonii* ab *Muratorio* edita (1). Sunt autem eæ litteræ vel *Colomani* regis, ut ſuo loco oſtenſurus ſum, vel certe *Stephani II.* ejus filii, qui Patri vita functo in throno regni Hungariæ anno 1115. ſucceſſit. Earum verba, quæ huc faciunt, accipe: *Denunciamus vobis, Pater venerande, nos legi Divinæ ſubditos, ac ſecundum eam vobis ſervire paratos.* Ex quibus clare ellucet, qua mente, quove animo, ſecundum *Divum Stephanum*, primi Hungariæ reges, Romanæ ſedis *ſubditos*, & quatenus *ſervos*, ſe eſſe dicerent. Unde mirari frequenter ſubiit, *oblationem* Divi regis noſtri aliter non raro intellectam, acceptamque fuiſſe. Enimvero gentem Hungaricam *Silveſtro II.* ſummo Pontifici,

1) *Scriptor. Rer. Italic. Tom. III. P. I. p. 364.*

Digitized by Google

tifici, non *ignotam* ſolum, ſed omnium quotquot tunc fuere in orbe gentium longe ignotiſſimam eſſe oportuiſſet, ſi *Stephanum* Ducem provincias, quas Hungari in Pannoniis occuparant, alii cuipiam ſubjicere, & donare poſſe, exiſtimaſſet: nunquam enim Hungari per Pannonias iis legibus ac Reip. forma uſi ſunt, per quam id oblatione ſua facere *Stephano* licuiſſet. *Conſtantinus Porphyrogenetus* in præclaris ſuis ad filium monitis Cap. XL. ſcribit: *Octo hæ Turcarum* (Hungarorum) *gentes principibus ſubjectæ non ſunt, ſed ſingulæ pro fluminibus, quibus diſtinguuntur mutuo inter ſe contractu ſtatuerunt, quamcunque partem bello infeſtari contigerit, ei communiter omni ſtudio & cura ſuppetias ferre.* Et rurſus eodem capite: *Habent autem primum ducem exercitus principem e proſapia Arpadæ, cum quo duo alii Gylas & Carchas, qui judicum vicem obtinent.* Ex proſapia *Arpadæ*, ut notum, *Geyſa* pater, & Divus Rex, ejus filius, fuerunt; belli ſolummodo duces præcipui, non Hungaricæ gentis domini, & qui de regno & populo jure & libitu ſuo decernere, conſtituereque poſſent. In iſta igitur Reip. ratione conſenſus Ducum, procerum, populique erat neceſſarius, ut regnum cuipiam legitime donari, libertatisque reges eligendi limites reſtringi poſſent: at vero de conſenſu hoc neque in vetuſtis monumentis, neque in epiſtola *Silveſtri* ulla uſpiam mentio; manifeſtum idcirco eſt, *Silveſtrum II*, ſummum Pontificem, oblationem Divi regis noſtri vel ita, uti ante expoſui, intellexiſſe, vel certe pro ingenio, quale eidem *Baronius* fuiſſe teſtatur, intelligere noluiſſe; ac proinde jure meritoque ab Hungaris id, quod oblatum eſſe male intelligebatur, negatum ſemper fuit. Ait porro *Silveſter*: *Quare, glorioſe fili, cuncta a nobis & ſede Apoſtolica expoſtulata, diadema, nomenque regium, Strigonienſem Metropolim & reliquos Epiſcopatus . . . cum Apoſtolica & noſtra benedictione libenter conceſſimus, concedimus, & impertimur.* Continent partem epiſtolæ, a Divo rege ad Pontificem miſſæ. Coronam Hungaricam ſemel atque iterum in epiſtola iſta ſua Pontifex *Diadema* vocat; qua re, tum vetuſtatem epiſtolæ, tum ea omnia, quæ de imperiali diademate ſupra diſputavi, pulchre confirmat. Addit Pontifex: *Strigonienſem metropolim & reliquos Epiſcopatus.* Alterum vetuſtatis epiſtolæ argumentum Strigonienſis metropoleos conceſſio eſt; ſatis enim conſtat, ſub ipſum ſalutaris fidei apud nos exordium epiſcopatus Hun-

Digitized by Google

garicæ Lauriacenſis metropoleos limitibus a *Benedicto VII.* fuiſſe incluſos; quippe laudatus Pontifex in epiſtola ſua, a *Lambecio* vulgata, (1) ad *Ottonem* Imp. ſcribit hunc in modum: *His igitur ſedatis, Venerabilem confratrem noſtrum Piligrinum Archiepiſcopum, Canonicis litteris munitum, ſed ſanctæ Lauriacenſis Eccleſiæ inthronizavimus, palliumque ei, ſecundum antiquum ejuſdem Eccleſiæ ſuæ uſum, direximus, atque in provinciis Avariæ & Maraviæ, regionumque inferioris Pannoniæ, ſiue Mæſiæ & in contiguis ſibi Sclavorum nationibus, circumquaque manentium, noſtram Apoſtolicam autoritatem & vicem exercere committimus, atque delegamus, quatenus illic, more anteceſſorum ſuorum, ſanctæ Lauriacenſis eccleſiæ Archiepiſcoporum, habeat poteſtatem, prebyteros, atque Epiſcopos ordinare, atque conſtituere, & ex prædictis gentibus ſua ſancta prædicatione parare Domino plebem perfectam.* Precibus igitur erat opus, ut nova metropolis in novo regno erigeretur: quod etiam fecit Divus Rex, & ſingulari Pontificis beneficio obtinuit. De epiſcopatibus, quorum in epiſtola mentio, decem omnino fuiſſe, teſtis eſt *Carthuitius in vita ſancti Regis Cap. II. n.* 10. his verbis: *Poſt hæc provincias in decem partitus epiſcopatus, Strigonienſem eccleſiam metropolim & magiſtram cæterarum fore conſtituit.* Cum vero memoria noſtra duo Archiepiſcopatus, & epiſcopatus duodecim numeremus, quæri a quopiam poſſit, quinam horum originem ſuam Divo regi debeant? ſed nempe certum eſt, Vacienſem Epiſcopatum, a *Geyſa*, *Divi Ladislai* fratre; Zagrabienſem vero & Varadienſem, ab ipſo *Divo Ladislao* fuiſſe conſtitutos; reliquos decem concordes eruditorum noſtrorum calculi *Divo Stephano* adſignant: videlicet Colocenſem, in metropolim poſtea erectum, Jaurinenſem, Agrienſem, Quinqueeccleſienſem, Vezprimienſem, Nitrienſem, Bacſienſem, Albenſem in Tranſilvania, Cſanadienſem, & Syrmienſem. Quod ad Albenſem Epiſcopatum attinet, notum omnibus, certumque eſt, Tranſilvaniam, capto Gyula, Hungariæ arctiori nexu ab ipſo Divo Rege fuiſſe adjunctum. Bene igitur *Pazmanus*, ſententiam dicere ſuam rogatus, ad *Ferdinandum* ſcripſit: De *Epiſcopatus Tranſilvaniæ ſtatu informati non ſunt Romæ. Tranſilvania æque, ac Poſonium ſubjecta fuit, & eſt Regibus Ungariæ a temporibus S. Stephani, uſque ad tempora Solimani Turcæ, qui pro Joanne Scepuſio armata vi, ac injuſte, Tranſilvaniam a*

cero-

1) *Comment. Lib. II. pag.* 645.

corona ſeparavit; de jure tamen non ſeparavit. Excluſus tunc fuit Epiſcopus ex Tranſilvania, & proventus Epiſcopatus fiſco addicti: ſemper tamen Reges Hungariæ retinuerunt jus nominandi Epiſcopum, & ſine intermiſſione nominarunt. Princeps Sigiſmundus Bathory, obtenta a ſede Apoſtolica diſpenſatione, ut bona Epiſcopatus Albenſis retinere pro fiſco poſſet, obtulit Epiſcopo Albenſi ſat honeſta bona, pro ſuſtentatione; & pro perſona Sigiſmundi, tanquam affinis, permiſſum fuit a Rudolpho Cæſare, ut illum, quem ex præpoſitura Agrienſi illuc amandaret Cæſar, nominare Epiſcopum Albenſem poſſet. Cæterum & leges ſcriptæ, & archiva omnia habent, Epiſcopatum Tranſilvaniæ, nec ſecus ac reliquos epiſcopatus, Ungariæ adnexum eſſe. Addere poterat: utpote a Divo rege *Stephano* fundatum, & Colocenſi Metropolitæ ſubjectum. Scribit porro Pontifex: *Et quia nobilitas tua Apoſtolorum gloriam æmulando, Apoſtolicum munus, Chriſtum prædicando . . . gerere non eſt dedignata.* Incredibilia hæc, ut jam ante adnotavi, *Carthuitio* ſunt viſa; ipſum tamen Divum regem Chriſtianæ fidei rudimenta genti ſuæ inſtillaſſe, atque eandem manu ſua aqua vitali abluiſſe, teſtis pariter eſt locupletiſſimus *Anonymus Belæ Regis Notarius*, ex Bibliotheca noſtra anno 1746. *in Script. Rer. Hung, Tom. I. P. I.* vulgatus, ubi *pag.* 38. habet hæc: *Et dum beatus rex Stephanus verba vitæ prædicaret, & Hungaros baptizaret.* Quæ profecto cauſa non eſt, cur quis *Chartuitii* more interpretari velit, cum utrumque divinum officium, Divi regis noſtri virtutes illuſtret potius, quam obſcuret. Rurſum Pontifex: *Idcirco & nos ſingulari inſuper privilegio excellentiam tuam, tuorumque meritorum intuitu Hæredes, ac ſucceſſores tuos legitimos . . . condecorare cupientes, ut . . . crucem ante ſe, Apoſtolatus inſigne, geſtare facere poſſis & valeas . . . & ſecundum quod divina gratia te & illos docuerit, eccleſias regni tui præſentes & futuras noſtra, ac ſucceſſorum noſtrorum VICE diſponere atque ordinare Apoſtolica authoritate ſimiliter conceſſimus, volumus, & rogamus, ſicut in aliis litteris . . . plenis hæc omnia explicata continentur.* De cruce, Apoſtolatus Regum noſtrorum inſigni, dixi jam, quæ vera, utiliaque futura eſſe, credidi; oſtendi deinde, verbis illis: *Noſtra ac ſucceſſorum noſtrorum VICE*, conceſſionem & originem Juris hujus Regii contineri; cujus veros legitimoſque limites opere iſto oſtendere conſtitui. Enimvero Divum regem noſtrum ſtatim initio primas partes ad *Electionem*, *Translationem* &c.

&c. Prælatorum regni ſui vindicaſſe ſibi, cum ex aliis, tum præcipue ex *Carthuitio* certum eſt; ait enim Cap. II. n. 10. *Poſt hæc, provincias in decem partitus epiſcopatus, Strigonienſem Eccleſiam Metropolim & magiſtram cæterarum fore conſtituit. Cognoſcens vero prudens dux prædicti Aſtrici religionem, pontificalis ipſum dignitatis infula decoravit; electione canonica ſublimavit, & ei Colocenſis epiſcopatus dignitatem contulit. Quarto poſt patris obitum anno, divina commonente clementia, eundem Aſtricum PRAESVLEM . . . ad limina ſanctorum Apoſtolorum miſit, ut a ſucceſſore ſancti Petri, Principis Apoſtolorum, poſtularet, quod novellæ Chriſtianitati exortæ in partibus Pannoniæ largam benedictionem porrigeret, Strigonienſem Eccleſiam in Metropolim ſuæ SVBSCRIPTIONIS AVCTORITATE ſanciret, & reliquos epiſcopatus ſua benedictione muniret.* De aliis litteris, quarum hic mentio, eæ, ut jam ante dixi, irreparabili Hiſtoriæ Hungaricæ damno deſiderantur. Utinam feliciter lateant alicubi, & lucem adſpiciant aliquando! nam minime dubito, quin iſtæ itidem confirmaturæ ſint, quæ de Reip. noſtræ ſub Divo *Stephano* forma; de regno ab eodem, Divo Petro, pie & devote oblato; deque converſione gentis noſtræ, ex *pacto* juris hujus regii, prolixius ſupra diſſerui. Addit denique Pontifex: *Oramus omnipotentem Deum, qui te de utero matris tuæ vocavit* nomine tuo *ad regnum & coronam.* Clare his Pontifex nomen *Stephani* innuit, quod Græcis *coronam* notat. Hinc non ſine ratione *Carthuitius* Cap. I. *Nomen ſibi impoſitum eſt Stephanus; quod alienum a conſilio Dei fuiſſe non credimus. Stephanus quippe Græce, Corona ſonat Latine. Ipſum quidem & in hoc ſæculo coronare Deus voluit ad regni potentiam, & in futuro corona beatitudinis, ſemper manentis, redimire decrevit, ad percipiendam vitæ jugis indeficientem gloriam.* Atque hæc in præſenti ad litteras Silveſtri adnotaſſe ſufficiet.

CAPVT XII.

De titulo Apoſtolici, *Divo* Stephano, *ceteriſque Hungariæ regibus, ad annum* CIϽIϽCCLVIII. *diem. XIX. Auguſti paſſim dari ſoliti.*

Reſtat, ut de adpellatione ſane perhonorifica, qua ad noſtram uſque memoriam tum Divus rex ipſe, tum alii Hungariæ reges,

ges, adpellari ſalutarique conſueverant, mentem meam paucis explicem. *Inchoferus* plane exiſtimat, *Apoſtolici* titulum *Divo Stephano*, conceſſione *Silveſtri*, adhæſiſſe: quippe pag. 261. *Scio*, inquit, *non primum fuiſſe Stephanum, regem Hungariæ, cui appellatio Apoſtolici ſacra autboritate adhæſerit.* Honoratum deinde eo titulo fuiſſe ait, *Reccaredum*, Gothorum regem, anno IↃLXXX. in Concilio Toletano Tertio, & ſubdit: *Quæ ratio poſtea obtinuit, cur in picturis Reccaredus crucem, tanquam Gothorum Apoſtolus, manu ferat. Verum enim hoc excellentior eſt Stephani prærogativa, quod non a Patribus Concilii Provincialis, ſed a Summi Pontificis oraculo, non Apoſtolicus duntaxat, ſed ut Carthuitius refert, vere APOSTOLVS, facta ſui nominis comparatione, ſit adpellatus.* Hæc ille. *Stiltingus* in vita Sancti §. *XXI. n.* 217. ſcribit hunc in modum: *Schwartzius num.* 20. *contra cognomen Apoſtolici regis diſputat, vultque illud eſſe PRIVATAE originis, atque uſurpari cæptum diu poſt mortem Sancti. Utrumque mihi veriſimile ſit, hoc tamen ſenſu, quod Hungari illud cognomen Stephano, poſteriſque regibus, attribuerint, occaſione ſumpta, tum ex legatione Apoſtolica S. Stephani, tum ex gentis ipſius Apoſtolicis, tum ex ſimilitudine tituli per Silveſtrum II. alioſque Pontifices Stephano dati.* Hæc *Stiltingus*; ſed Cl. *Schwartzium* ipſum audire juverit: *Quamobrem*, inquit, *licet optimo jure Apoſtolici regis titulus Stephano conveniat, ex his tamen, quæ hactenus diſputavimus, plus ſatis efficitur, illo ipſum non PVBLICO, ſed PRIVATO inſtituto; neque inſigniri prius cæpiſſe, quam cum gens Hungarica, in religione Chriſtiana confirmata, maxima regis optimi beneficia in dies magis agnoſceret, & quibus poterat encomiis gratam mentem declarare laboraret. Stephani quoque ſucceſſores, inclytos Hungariæ reges, quis reges APOSTOLICOS digne vocari neget? cum in omnia jura, quæ Stephanus ob propagatam ſtabilitamque ſuis unice auſpiciis religionem in regno Chriſtianam ſibi ſuisque acquiſivit, rite ſucceſſerint.* At quæ *Stiltingus*: *Poſteriora*, inquit, *ſic corrige*: *Cum privilegium S. Stephani, crucem ſibi præferendi, in ſignum Apoſtolatus, ad ſucceſſores quoque ipſius extenſum fuerit.* Iſta prorſus ratione vir *religioſus* in Hiſtoria Juris hujus Regii hoſpitem ſe eſſe, aut prodit paſſim, aut ſimulat. Crucem, ô bone! crucem; ſed non ſcenicam, neque inanem illam tuam, ſed veri, non perſonati Apoſtolatus, ſed Vicariæ Apoſtolicæ poteſtatis *in diſponendis atque ordinandis*, per Pannonias, Chriſti eccleſiis inſi-

Digitized by Google

inſigne. Ac de *Apoſtolici* Regis titulo, tum Divo regi, tum ſucceſſoribus ejus adhuc tributo, docte hic quidem & vere Cl. *Schwartzius.* Nam *Sicut Papæ appellatio*, inquit Illuſtris Cangius (1) *quæ Epiſcopis omnibus communis primo fuit, poſtmodum ſoli ſummo Pontifici adſcripta legitur, ita & APOSTOLICI; qua quidem ſcriptores ævi medii ſæpe, ne dicam ſemper, Papam indigitant.* Fuit igitur ætate *Silveſtri* titulus *Apoſtolici* ſolis Pontificibus Romanis proprius, quam ob rem vero non eſt ſimile, *Stephano* Regi vel *publice*, vel *privatim* dari potuiſſe: minus vero etiam credi poteſt, conceſſum fuiſſe cuipiam alii poſt annum 1049, quo in Remenſi Concilio, *Lectis*, ut eſt apud eundem Ill. *Cangium, ſententiis ſuper hac re olim promulgatis ab orthodoxis Patribus, declaratum eſt, quod ſolus Romanæ ſedis Pontifex, univerſalis Eccleſiæ Primas eſſet, & APOSTOLICVS.* Præclare idcirco & pro vetuſtate ſua, & rei, quam explicamus, veritate, *Carthuitius* ſcribit, *Silveſtrum* Pontificem, ad Legatos Stephani Ducis, his verbis fuiſſe uſum: *Ego, inquiens, ſum* Apoſtolicus, *ille vero merito Chriſti* Apoſtolus, *per quem ſibi tantum populum Chriſtus convertit. Quapropter diſpoſitioni ejuſdem, prout divina gratia ipſum inſtruet, Eccleſias Dei ſimul cum populis noſtra VICE ei ordinandas relinquimus.* Habes hic *Divum Stephanum* non *Apoſtolicum*, ſed ex more ejus ſeculi *Apoſtolum.* Neque titulo tenus tantum, ſed cui, legitimiſque ejus ſucceſſoribus, eccleſiæ Dei ſimul cum populo, ad Chriſtum traducto, Apoſtolica VICE *Diſponendæ atque ordinandæ* ſunt relictæ; in cujus veri & legitimi Apoſtolatus argumentum, Crux etiam fuit ſubmiſſa. Quibus vero temporibus *Divus Stephanus*, ceterique Hungariæ Reges *privata authoritate Apoſtolici* adpellari cœperint, exacte definiri vix poteſt: factum id eſſe arbitror recenti admodum ævo, quo videlicet Romani Pontifices minus tenaces ejus moris & honoris eſſe cœperunt.

** ** **

CAPVT

(1) *Vide Lexic. Med. Latin.*

CAPVT XIII.

Apoſtolici Regis titulus Regibus Hungariæ a CLEMENTE XIII. ſummo Pontifice, Anno CIƆIƆCCLVIII. *die XIX. Auguſti conceſſus.*

At vero hæc utcunque ſint, certiſſimum illud mandare hic litteris non omittam, quod ætatem apud poſteros noſtram plurimum commendabit. CLEMENS. XIII. Summus, dum hæc ſcribimus, Eccleſiæ Chriſti Pontifex, nunquam melius Pontificatûs ſui initia, ut ipſe in litteris ſuis teſtatur, auſpicari ſe poſſe exiſtimavit, quam ſi animum ad dignitatem MARIAE THERESIAE, Auguſtæ Dominæ noſtræ, Regnique Ungarici amplificandam, converteret. Ea propter motu proprio, & certa ſcientia, ac matura deliberatione ſua, deque Pontificiæ auctoritatis plenitudine, MARIAM THERESIAM AVG. Hungariæ Reginam, ſeculi noſtri divinum munus, futuri vero æternum deſiderium, ejuſque ſucceſſores, titulo *Apoſtolici Regis* authoritate publica condecoravit. Pontificiæ litteræ, *in forma brevis*, ut dicitur, ea in Auguſtam Dominam noſtram pietate, & gentem Hungaricam amore, ſcriptæ ſunt; ut facile cuivis perſuadeant, ab ipſa tenerrima Optimi, ſuorumque amantiſſimi Patris charitate eſſe dictatas. Quam ob rem, tametſi cedro digniſſimæ ſint, publici hic eas juris facere libuit, ut lucida veluti gemma in opere hoc noſtro, qualecunque illud ſit, fulgeant.

CLEMENS PP. XIII.

Cariſſima in Chriſto Filia noſtra ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum multa alia Romani Pontifices, quibus Nos plane quidem immerentes ſucceſſimus, tum hoc præclare ſapienterque fecerunt, ut, quæ Provinciæ ac Nationes in finibus perpetuorum chriſtiani nominis hoſtium poſitæ, tanquam Valli quidam atque aggeres munitiſſimi contra ipſorum impetum exiſtimantur, eas illi quam diligentiſſime obſervarent, præcipua benevolentia complecterentur, & ſingularibus etiam, ubi res ferret, beneficiis exornarent. Ejusmodi eſt florentiſſimum Hungariæ Regnum, quod Tu, Cariſſima in Chriſto filia noſtra, hæreditarium accepiſti, quodque ad Chriſtianæ

ditionis & gloriæ terminos proferendos, vel propter bellicoſiſſimæ Gentis fortitudinem omnium aptiſſimum, vel propter locorum naturam opportuniſſimum adhuc quidem ſemper habitum eſt & fuit. Neque vero quiſquam ignorat, quam multa & quam egregia facinora pro tuenda propagandaque Jeſu Chriſti Religione geſſit nobiliſſima Hungarorum Natio; quam ſæpe manus conſeruit cum teterrimis hoſtibus, iisdemque ad communem Chriſtianæ Reipublicæ perniciem erumpentibus ſuo veluti corpore aditum intercluſit, maximaſque de illis atque incredibiles victorias reportavit. Celebrantur ea quidem fama ſcientiaque omnium, clariſſimisque prodita ſunt monumentis litterarum. Hic autem ſilentio nullo modo præterire poſſumus Stephanum illum ſanctiſſimum fortiſſimumque Hungariæ Principem, cujus memoriam cœleſtibus honoribus conſecratam, atque in Sanctorum numero collocatam rite veneramur. Ejus autem virtutis, ſanctitatis, fortitudinis veſtigia exſtant iſtis in locis ad laudem Hungarici nominis ſempiternam. Neque illius pulcherrima exempla virtutum reliqui in regno ſucceſſores non ſunt perpetuis temporibus imitati. Quamobrem nemini mirum videri debet, ſi Romani Pontifices Hungaricam Nationem, ejusdemque Principes & reges ob maxima & egregia illorum erga Catholicam Fidem & Romanam ſedem merita ampliſſimis ſemper laudibus ac privilegiis condecoraverint. Quale eſt illud in primis ſane honorificum, quod ante reges, quando prodeunt in publicum, tamquam ſplendidiſſimum Apoſtolatus Inſigne, Crucem geſtat Epiſcopus, idque ex hujus ſanctæ ſedis conceſſione; quo oſtendatur Hungaricam Nationem atque ejus reges gloriari unice in Cruce Domini noſtri JEſu Chriſti, atque in eo ſigno pro Catholica fide & dimicare ſemper, & vincere conſueviſſe. Habent hoc etiam Hungariæ reges, ut a pleriſque omnibus iſtic appellatione certe magnifica & glorioſa reges Apoſtolici ſalutari & nominari ſoleant. Cujus quidem ſive conſuetudinis ſive privilegii fons & caput ignoratur. Nos autem, qui prædeceſſorum noſtrorum, quando ſapientiam aſſequi non poſſumus, certe in exornandis honeſtandisque iis Principibus & regibus, quos ſanctæ ſedi devinctos maxime atque addictos novimus, inſtituta imitari ſtudemus, nunquam melius hæc Pontificatus noſtri initia auſpicari poſſe exiſtimamus, quam ſi animum ad dignitatem Majeſtatis Tuæ Apoſtolicæ, atque iſtius Hungarici regni amplificandam ſtatim convertamus. Id autem recte atque ordine præſtabimus, ſi perhonorificæ illi Apoſtolatus appellationi, modo, quam diximus, Pontificiam auctoritatem, vim, ac robur (quatenus opus ſit) adjungamas. Ea propter

motu

Digitized by Google

motu proprio & certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, deque Pontificiæ auctoritatis plenitudine, Majeſtatem Tuam Apoſtolicam, tamquam Hungariæ Reginam, Tuoſque in illo Regno ſucceſſores titulo, appellatione, nomine Apoſtolici Regis harum vi litterarum in forma Brevis ornamus, honeſtamus, condecoramus, inſignimus, atque etiam ab omnibus Te quidem Reginam Apoſtolicam; Tuos vero in Hungarico Regno ſucceſſores Reges Apoſtolicos nominari, appellari, inſcribi, ſalutari, ac tractari mandamus. Non obſtantibus quibuſcunque, quæ huic noſtræ voluntati adverſari poſſe videantur. Gratum igitur, acceptumque habeas, Cariſſima in Chriſto filia noſtra, hunc titulum, non eum quidem indicem potentiæ ac dominatus (quales ad inanem oſtentationem ambitio ſeculi excogitavit) ſed propriam Chriſtianæ modeſtiæ notam & miniſterii Jeſu Chriſti; quo tamen Jeſu Chriſti famulatu veriſſima ac nunquam interitura Regni gloria continetur. Habeas hoc ſive teſtimonium, ſive præmium ardentiſſimi illius propagandæ Catholicæ Religionis ſtudii, quod a Majoribus Tuis antiquiſſima laudatiſſimaque ſerie deductum ſervare ſemper, majoremque in modum augere ſtuduiſti. Quod quidem honoris ornamentum trades optimo ſuaviſſimoque filio, ad quem materna hæreditas gloriæ, & factorum imitatio pertinet. Habeas denique has quaſi primitias Pontificiæ caritatis & benevolentiæ, qua Majeſtatem Tuam Apoſtolicam proſequimur, & cui pignus alterum addimus in Apoſtolica Benedictione, quam Tibi, Cariſſima in Chriſto filia noſtra, amantiſſime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XIX. Auguſti MDCCLVIII. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

CAIETANVS AMATVS.

Cariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ MARIAE THERESIAE *Hungariæ Reginæ Apoſtolicæ, nec non Bohemiæ Reginæ Illuſtri, in Romanorum Imperatricem electæ.*

Hactenus Summi Pontificis litteræ, maximas Auguſtæ noſtræ, & gentis Hungaricæ virtutes, laudeſque complexæ, & ad rem noſtram in primis utiles. Dicit quippe Summus Pontifex: *Habent*

bent hoc etiam Hungariæ Reges, ut a pleriſque omnibus iſtic appellatione certe magnifica & glorioſa Reges Apoſtolici ſalutari & nominari ſoleant. Cujus quidem ſive conſuetudinis ſive privilegii fons & caput ignoratur. Quæ de privata & incerta *tituli Apoſtolici* origine opinionem noſtram opportune confirmant. Quod autem pretium ſtatuemus pericopæ illi? *Quale eſt illud inprimis ſane honorificum, quod ante Reges, quando prodeunt in publicum, tamquam ſplendidiſſimum* Apoſtolatus inſigne *crucem geſtat Epiſcopus, idque ex hujus ſanctæ ſedis conceſſione.* An in his videre non licet illam Silveſtri II. conceſſionem: *Ut . . . crucem ante ſe, Apoſtolatus inſigne, geſtare facere poſſis & valeas, atque illi poſſint valeantque?* Atqui hanc Summus Pontifex noſter *Conceſſionem Apoſtolicam* adpellat; quis igitur dubitet, quin illa quoque *Conceſſio Apoſtolica* ſint, quæ in laudatis *Silveſtri* litteris priora illa verba continuo excipiunt: *Et ſecundum quod divina gratia te & illos docuerit, Eccleſias Regni tui præſentes & futuras noſtra ac ſucceſſorum noſtrorum VICE diſponere atque ordinare Apoſtolica authoritate ſimiliter conceſſimus, volumus, & rogamus.* Quæ cum clariſſima ſint, & a ſummo etiam Pontifice noſtro *Conceſſio Apoſtolica* non obſcure dicuntur; quis porro dubitare audeat? quin ea omnia, quæ de *Silveſtrinæ epiſtolæ* vetuſtate ac fide, deque Juris noſtri Regii prima & vera origine hactenus diſſerui, ſint certiſſima.

HISTO-

Digitized by Google

)o(

HISTORIAE DIPLOMATICAE
IVRIS PATRONATVS
APOSTOLICORVM
REGVM HVNGARIAE &c. &c.

LIBER SECVNDVS.

In quo oſtenditur, Divum Stephanum, primum Hungariæ Chriſtianum Regem, conceſſa ſibi & ſucceſſoribus ſuis Apoſtolici Legati poteſtate, in diſponendis per Hungariam Chriſti Eccleſiis, fuiſſe uſum; deinde fortuna & uſus legitimus ejusdem poteſtatis ab obitu Divi Regis ad annum **CIↃCCLXX**, ***ſive bina, nullo intercedente ſchiſmate,*** **Centenaria *Præſcriptio.***

CAPVT I.

Primus Juris Regii uſus litteris fundationis Monaſterii S. Martini *in monte Pannoniæ, a Divo Rege* Stephano *conceſſis, oſtenditur.*

Atque hæc, Deo bene favente, de vera, deque prima Juris noſtri Regii origine. Succedat jam propoſiti pars altera mei, uſus videlicet illius apud Hungaros perpetuus æque, ac legitimus. Pertentandum quippe iſtud etiam unius ſpe non ſpernendæ laudis; quæ autem illa? nempe ſi opera iſta mea certum exploratumque dedero, Eccleſias noſtras jam inde a prima Chriſtianæ inter nos religionis origine conceſſione *Silveſtri II.* Summi Pontificis, a Regibus noſtris ſemper fuiſſe *diſpoſitas atque ordinatas*: manifeſtum utique atque certiſſimum fiet, gentem Hungaricam prope unam eſſe, quæ de legitima Juris ſui Regii origine, amplitudine, uſu de-

denique perpetuo, ac nulla unquam temporum viciſſitudine interrupto, gloriari merito poſſit.

Celeberrimum juxta atque antiquiſſimum per Pannonias noſtras monaſterium illud eſt, quod in monte Pannoniæ pro aſcetis, ex inſtitutione *Divi Benedicti*, a *Geyſa* Duce condi cœptum, & a *Divo Stephano* omni ex parte perfectum fuiſſe, jam ante diximus. Plurima ſunt, quæ regnum Hungariæ Cœnobio huic in acceptis ferre debet; litteras in primis, & Chriſti doctrinam; tum etiam, quod non poſtremum eſt, prima uſûs Juris Regii eaque vel maxima locupletiſſimaque teſtimonia. Quippe cuſtodiuntur hic, iſta etiam ætate noſtra, *Divi Stephani* tabulæ, quibus inſtitutionem laudati monaſterii ſuam Sanctus Rex poſteris commendavit. *Datæ ſunt* eæ litteræ, ut recte de illis *Stiltingus* n. 149. *ſub finem anni* 1001 *: nam ſic exigit appoſita illis epocha* : Datum anno CIƆI, regni noſtri ſecundo, Indictione XV. *Hæc indictio currere incipiebat menſe Septembri anni* CIƆI, *quo & regni S. Stephani annus currebat ſecundus. Litteræ igitur datæ ſunt menſe Septembri, aut alio ex menſibus ſequentibus anni* CIƆI. *Edidit haſce litteras Joannes Sambucus inter Decreta regum Hungariæ poſt Bonfinii aliorumque opera pag. XI. Eædemque deinde variis locis recuſæ ſunt, ſed non ſine mendis. Titulum ibi hunc habent præfixum* : Privilegium datum proto-abbatiæ S. Martini Pannoniæ. *Easdem quoque litteras dedit Odoricus Raynaldus ad annum* 1232, *num.* 24. *prout inſertæ erant litteris Gregorii Papæ IX, qui privilegium abbatiæ confirmavit. Cum hic paulo videantur correctiores, eas ex Raynaldo ſubjicio, notatis in margine differentiis editionis Sambuci, ubi menda non ſunt clara. Sic habent:*

In Nomine Domini Dei ſummi. Stephanus ſuperna (1) *providente clementia Ungarorum rex. Credimus & vere ſcimus, ſi locis divino cultui mancipatis poteſtates, atque honores adaugmentaverimus, id non ſolum laude humana prædicandum, verum divina mercede remunerandum. Quocirca omnium ſanctæ Eccleſiæ Dei fidelium, noſtrorumque, præſentium ac futurorum ſolers comperiat intentio, quod nos interventu, conſilio, & conſenſu domini Anaſtaſii Abbatis de* (2) *monaſterio S. Martini, in monte ſupra Pannoniam ſito, a genitore noſtro incœpto, quod nos per Dei ſubſidium ob animæ noſtræ remedium, pro ſtabilitate regni noſtri ad finem perduximus,*
talem

1) *Al. divina.* 2) *Al. de* omittitur.

Digitized by Google

talem conceſſimus libertatem, qualem detinet monaſterium S. Benedicti in monte Caſſino, quia propter orationes ſanctas fratrum ejusdem monaſterii, conſiliante domino Anaſtaſio præſcripto Abbate, & jugiter adjuvante, confortati & laureati ſumus: ſingulare namque ſuffragium, quod per merita B. Martini in pueritia mea expertus ſum, memoriæ poſterorum tradere curavi. Ingruente namque bellorum tempeſtate, quia (1) inter Theutonicos & Ungaros ſeditio maxima excreverat, præcipueque cum civilis belli ruina urgeret, volente comitatu quodam Symigienſi (2) paterna me ſede repellere, quid fluctuanti animo conſilii darem, quaque me verterem tanta tactus verecundia, aſtantibus ducibus videlicet Pagzano (3) Contio (4), Orzio (5), donno quoque Dominico (6) Archiepiſcopo, votum vovi S. Martino, quod, ſi de hoſtibus interioribus, & (7) exterioribus ejus meritis victor exiſterem, ſupranominati comitatus decimationem de omnibus negotiis, prædiis, terris, vineis, ſegetibus, vectigalibus, vinoque hoſpitum, quod in prædiis eorum creſceret, ne parochiano epiſcopo pertinere videretur, ſed magis abbati ejusdem monaſterii, ſub teſtimonio præfatorum ducum multorumque comitum, abſque ulla mora ſubjugarem, dumque poſt cogitatum victoria potirer, quod animo revolveram, operis efficacia complere ſtudui. Nec dum enim (8) epiſcopatus & abbatiæ præter ipſum locum in regno Ungarico fuerant (9). Quodſi, vos fideles, licuit mihi, quo volui, loco, epiſcopatus & abbatias ſtatuere, an non licuit cuipiam loco, quod volui, ut facerem? Et ne adhuc Eccleſia S. Michaëlis vacua eſſe videretur, vel epiſcopus parochianus injurias, querimoniaſque in collectione decimationis pateretur, ei curtem, quæ vocatur Cortou (10), cum omnibus eidem (11) pertinentibus tradidi. Quodſi ipſe contra mea ſtatuta quid inique agere, vel acquirere voluerit, ante Deum judicem vivorum & mortuorum in die judicii ſe contendere mecum ſciat. Adbuc autem ſubjungens dico: ſit autem id ipſum monaſterium ab omni inquietudine ſemotum, habeantque monachi poſt tranſitum ſui cujusque abbatis alium abbatem ſecuriter eligendi auctoritatem, a quocumque velint epiſcopo conſecrandi eum, ſitque illis licitum ordines recipere in quo-

vis

1) *Al. quâ.*
2) *Al. nomine Simigenſi.*
3) *Al. Poznano.*
4) *Al. Cincio.*
5) *Al. Orthio.*
6) *Al. dominoque meo.*
7) *Al. aut.*
8) *Al. etiam.*
9) *Al. ſitæ erant.*
10) *Al. Corteu.*
11) *Al. cum hominibus eodem.*

Digitized by Google

vis loco, & a quocumque, &c. Signum domini Stephani regis. Dominicus archiepiſcopus vicecancellarius fecit anno dominicæ incarnationes MI. Indictione XV. anno Stephani primi regis ſecundo.

Hactenus Divi Regis litteræ; ad quas *Raynaldus* adnotat, quæ adſcripſi: *Hic forte*, inquit, *lector mirabitur, regem eccleſiaſtica privilegia in abbatem contuliſſe, quorum auctoritas ad ſedem Apoſtolicam ſpectare tantummodo poſſit. Verum difficultas omnis evaneſcet, ſi ſecum cogitatione reputarit, Stephanum ob egregias animi virtutes, atque in dilatanda fide ardentiſſimum zelum, ob quem optime de Eccleſia meritus dictuſque Ungarorum Apoſtolus, legati dignitate ab Romano Pontifice auctum & inſignitum eſſe eaque non ut regem, ſed ut LEGATVM, privilegia indulſiſſe.* Hæc *Raynaldus*; ablegans ſimul lectorem ad *Baronii* annum 1000. num. 13. ubi is ex vita *ſancti Stephani*, a *Carthuitio* ſcripta, excerptum dederat, ex quo *Raynaldus*, quæ hic adnotavi, legitime deduxit, & viri non minus eruditi, quam candidi perfunctus eſt munere. Atque utinam erudito itidem *Manſio*, Annalium Eccleſiaſticorum diligentiſſimo editori, parem laudem adſcribere; vel, quam detegere cogor, ſive oſcitantiam, ſive malam fidem diſſimulare licuiſſet! ſed enim, ut *Iſidorus Peluſiota* Epiſt. cıɔıɔı. probe adnotat: χρὴ τὸν βασανίσαι συγγράμματα δεινὸν, πάσης χάριτος ϗ ἀπεχθείας εἶναι κρείττονα. *Eum, qui aliorum ſcripta ſcite probeque explorare voluerit, omni gratia atque odio ſuperiorem eſſe, oportet.* Igitur Cl. *Manſius* ad laudatum ante *Raynaldi* locum annotavit, quæ non ſine admiratione legi. *Conſtitutinem*, inquit, *banc, Stephano I. Hungariæ regi adſcriptam, in lucem proferendam fuiſſe ab Analiſta, libens ego quidem admiſerim; ſed monendi ſimul erant lectores, ne quid fiderent ſcripto ſuſpicionis pleno & prorſus apocrypho. Quid eſt enim illud, quod Stephanus rex ſcribit: ſe ſcilicet ab Anaſtaſio abbate* confortatum & laureatum eſſe? *Phraſis etiam illa ab ejus ætatis moribus abhorret*, Parochiano Epiſcopo. *Denique Stephanus I. an.* 1001. *jam deceſſerat, ut ex Pagio in critica ad A.* 997. 3. *dicitur.* En bellum, ſi ſuperis placet, ac dignum etiam Annalibus Eccleſiaſticis *Scholion*! ex cujus verbis, & apicibus fere omnibus mercenaria primum fides, tum maxima rerum noſtrarum incuria ellucent. Enimvero, inquit, admonere *Raynaldus* debebat lectores, Conſtitutioni iſti ne quid fiderent; utpote ſcripto ſuſpicionis pleno & prorſus apocrypho. Imo, inquam, plane omittere po-

Digitized by Google

potius; ea prorſus libertate, qua in edendis *Conciliorum Supplementis* Cl. *Manſius* eſt uſus. Sic nempe *Supplementorum* ſuorum *Tom. IV. pag.* 264. vulgavit vir doctus *Sigiſmundi Imp.* litteras, die 5. Martii Anno 1432. ad Concilium Baſileenſe miſſas, omiſſa *Schedula* Imperatoris, in eas litteras conjecta (1), qua *Sigiſmundus* Concilio nunciabat, *Joannem de Monte*, Canonicum Leodienſem, cum Florentiam perveniſſet, latuiſſe ibi dies aliquot, & mandata ſibi, ad Pontificem deferri curaſſe; a quo juſſus fuerit, ſe ejuſmodi negotiis prætermiſſis, ad ea loca conferre, ad quæ miſſus fuerat &c. Eodem *Supplementorum Tom. IV. p.* 266. Edita legitur ejuſdem *Sigiſmundi Imperatoris* epiſtola ad Concilium Baſileenſe, ad quam ſimiliter deſideratur reſecta, niſi fallor, a Cl. *Manſio* ſchedula *Sigiſmundi*, in eandem epiſtolam conjecta (2), qua vehementer probabat Imperator Decreta Concilii Seſſionis ſecundæ. Quid autem de Codicibus Cæſareis dicam? ex quibus, omiſſis, ad rerum in Baſileenſi cum primis Concilio geſtarum veritatem cognoſcendam, monumentis quam maxime neceſſariis, ea ſolummodo collegit, quæ placitura aliis potius, quam veri amantibus profutura eſſe prævidererat: adnotare etiam non gravatus (3): ſe in magna apud nos temporis & rerum ceterarum anguſtia conſtitutum, ex multis bonis optima tantum huc illucque ſelegiſſe; tametſi candide mihi faſſus ſit, nequicquam ſe reliqua exſcripturum, cum a typographis ſuis, uti adfirmabat, in lucem proferri non poſſent. Sed de his, volente Deo, opportunius alias. Nunc viro, admodum cauto, nunciare ſufficiet, infelicem adnotationem ſuam qualibet prope ſui parte male ſanam eſſe. De ſcripto ſuſpicionis pleno & prorſus apocrypho noverit, ne Cl. quidem *Schwartzium*, virum Latinis monumentis noſtris vel maxime infeſtum, & naſcentis apud Hungaros religionis Chriſtianæ cenſorem acerrimum, de laudatis *Divi Stephani* Regis noſtri litteris, tametſi opinionibus ſuis non parum adverſari videret, adeo inique pronunciare fuiſſe auſum. *Ad Stephani*, inquit ille, *Privilegium, Abbatiæ S. Martini elargitum, quod attinet, Petrus Pazmány, Cardinalis & Archiepiſcopus Strigonienſis, id ipſum ſe apud Abbatem vidiſſe teſtatur . . . Nos*

K *ſty-*

1) *Exſtat in Cod. Cæs. inter Juris Canonici LXIX. fol.* 385. *p.* 2.

2) *Exſtat in eodem Cæſareo Codice fol.* 3?4. *p.* 1.

3) *Supplem. T. IV. p.* 547.

ſtylum diplomatis præcipue ſuſpicimus, ex eoque de tabulæ fide & antiquitate judicium facimus (1). Hæc *Schwartzius*; quid autem de ſtylo *Manſius?* nempe, *quid eſt enim illud*, inquit, *quod Stephanus Rex ſcribit: ſe ſcilicet ab Anaſtaſio Abbate confortatum & laureatum eſſe?* nimirum id ipſum, quod maxime clarum & perſpicuum, Cl. *Manſius* non vidit: non enim ſanctus rex dicit, ſe ab *Anaſtaſio* confortatum laureatumque fuiſſe, verum a Deo Optimo Maximo, *propter orationes ſanctas fratrum ejuſdem monaſterii*, *conſiliante* aſcetis ſuis, ut id facerent, *domino Anaſtaſio præſcripto Abbate*, & ſuis pariter precibus *jugiter adjuvante*. Sed pergit: *Phraſis etiam illa*, inquit, *ab ejus ætatis moribus abhorret: Parochiano epiſcopo.* Hem! a phraſi, a ſtylo, ab uſu, argumentum! An non vero jam pridem in LEXICO (2) docuit Illuſtris *Cangius*, *Parochianum Epiſcopum eum eſſe*, *qui de Archiepiſcopi Parochia ſit?* An non ea phraſis *ab ejus ætatis moribus* ita non *abhorret*, ut etiam frequentiſſimo tum in uſu fuerit? ſic *Benedictus VII.* ſummus Pontifex, in epiſtola ſua (3) ad *Ottonem II.* Imperatorem de *Piligrino*, *Divo Stephano* coævo, & naſcentis Eccleſiæ Hungaricæ Apoſtolo, ſcribit: *Suæ Parochiæ finitimis*, *illic ordinatis Epiſcopis*, *ſecundum quod antiquitus diſpoſiti erant*, *eis hunc conſtitueremus Archiepiſcopum.* Idem Pontifex in eadem epiſtola de Salzburgenſi & Lauriacenſi Metropolibus agens: *Parochiis*, inquit, *ab invicem certis limitibus ſequeſtratis*, quo ſenſu ter omnio idem Pontifex in laudata epiſtola eo vocabulo utitur. Sed neque a moribus Hungarorum ea phraſis unquam abhorruit: quippe Decretorum *S. Ladislai Lib. III. Cap.* 16. *Parochia* pro diſtrictu judicis ponitur: *Unusquisque judex in parochia ſua judicet.* Hinc nobis *Comites Parochiani*, & *Comites Curiæ Parochiani* itidem dicuntur, uti ex Andreæ II. Decret. Art. 5. vel tyronibus rerum noſtrarum probe cognitum. Coronat Cl. *Manſius* adnotationem ſuam his verbis: *Denique*, inquit, *Stephanus I. anno* 1001. *jam deceſſerat*, *ut ex Pagio in critica ad A.* 997. 3. *dicitur.* At vero *Pagius*, indicato a Cl. *Manſio* loco, *Geyſam*, non *Stephanum*; *patrem*, non *filium* anno 997. diem ſuum obiiſſe ſcribit: ut adeo vir doctus quis *Geyſa*, quiſve *Stephanus* fuerit, plane ignoraviſſe

1) *Vide Stiltingi vit. S. Stephani n.* 244.

2) *Mediæ & infimæ Latinitatis ad vocem:* Parochianus.

3) *A Lambecio edita Comment. Lib. II. p.* 645.

Digitized by Google

viſſe videatur: quippe ad eundem annum pag. 371. adnotat: *Baptiſmus iſte Geyſæ, qui & Stephanus, a S. Brunone collatus &c.* quibus clariſſime prodit, *Geyſam* & *Stephanum*, unum atque eumdem Hungariæ Regem ſibi eſſe viſum. At poſt paulo ſubdit: *Nec Stephani alicujus Hungariæ regis baptiſmus ab idoneis ſcriptoribus commemoratur alius, niſi Stephani illius, qui Gislam duxit; quas nuptias Henricus ipſe Imperator anno* 1009 . . . *conciliavit, & quarum occaſione* Geiſa, *in baptiſmo* Stephanus, *ad fidem venit.* Idem igitur eſt Cl. *Manſio Geyſa* & *Stephanus;* non detegam abſurda reliqua: hoc ſolum ad extremum eruditum *Manſium* etiam atque etiam oro, ut nos docere velit, quo miraculo, per Pannonias noſtras adhuc ignorato, factum eſſe exiſtimet, ut hic *Stephanus*, quem ex *Pagio* anno 1001. e vivorum numero ſublatum eſſe vult, anno 1009, *conciliante Henrico, Gislam* ducere in uxorem potuerit? καὶ ταῦτα περὶ τούτων. Æquius multo doctiuſque de litteris noſtris ſentit eruditiſſimus Stiltingus (1): *Pauca*, inquit, *de biſce litteris veniunt obſervanda. Primo epiſcopus parochianus, de quo hic fit mentio, eſt epiſcopus Veſprimienſis, atque Eccleſia Cathedralis Veſprimienſis dicta eſt S. Michaëlis. Itaque falluntur ſcriptores nonnulli, qui crediderunt pro Eccleſia S. Michaëlis, hic memorata, ſubſtituendam eſſe S. Martini Eccleſiam: nam refert S. Stephanus, quid conceſſerit Eccleſiæ Veſprimienſi pro damno, quod alias pateretur ex privilegio abbatiæ S. Martini conceſſo. Secundo* Dominicus *archiepiſcopus, qui memoratur apud Raynaldum in biſce litteris, in aliis editionibus non exprimitur nominatim. Et ſane non novi ullum Archiepiſcopum illo tempore fuiſſe in Hungaria, qui vocabatur* Dominicus: *niſi forſan primus archiepiſcopus Strigonienſis eo fuerit nomine, quod magis examinabo* §. 24. *Obſcurum igitur eſt, qui ille fuerit, imo non omnino certum, an illa lectio ſit certa.* Loco deinde indicato egregiam hac de re diſſertationem ſuam obſignat his verbis: *Itaque vebementer ſuſpicor* Dominicum *illum, de quo in laudatis Stephani litteris, primum fuiſſe archiepiſcopum Strigonienſem, eique defuncto ſubſtitutum eſſe Sebaſtianum* . . . Hæc *probabilia appareut: certiora lubens ſequar, ſi quis ea adduxerit.* Hæc *Stiltingus.* Ac de *Parochiano* epiſcopo, deque ſancti Michaëlis Eccleſia, nemo unquam certiora proferet: de primo autem Strigonienſi Metropolita, quin *Dominicus* ſit, nulla videtur ſupereſſe cauſa, cur quis-

 quam

1) *In Vita Sancti* §. *XV.*

Digitized by Google

quam dubitet; nam lectionem illam certam omnino eſſe, teſtis locuples eſt *Caſpar Jongelinus*, qui Catalogum ſuum Palatinorum Regni Hungariæ cum ſcriberet, laudatas *Stephani* litteras inſpexiſſe debuit, ſcribit enim: *Ceba Comes Palatinalis, qui in privilegio Archiabbatiæ S. Martini, Ordinis ſancti Benedicti, in Diœceſi Jaurinenſi, immediate ſubſcribit, & collocatur poſt Dominicum Archiepiſcopum Strigonienſem A. D. MI. ſub S. Stephano Rege* (1). Hæc de fide, ſtylo, rebuſque memoria dignioribus tabulæ. Ad propoſitum meum quod attinet, adnotavit jam eruditus *Raynaldus*, *Divum Stephanum* non ut Regem, ſed Legatum Apoſtolicum, & vicibus Summi Pontificis fungentem, privilegia iſta monaſterio S. Martini montis Pannoniæ indulſiſſe. *Sit autem*, inquit Divus Rex, *id ipſum monaſterium ab omni inquietudine ſemotum, habeantque monachi poſt tranſitum ſui cujuſque abbatis alium abbatem ſecuriter eligendi auctoritatem, a quocunque velint epiſcopo conſecrandi eum, ſitque illis licitum ordines recipere in quovis loco, & a quocunque &c.* Utinam is, qui exſcripſit, integre dediſſet reliqua; ſic enim de amplitudine juris, hic a ſancto exerciti, certius judicium ferre potuiſſemus. Atque vel hinc diſcant, quid ſibi, quid civibus, quid charæ patriæ invideant, qui inerudito frequenter & ſubruſtico metu vetuſta monumenta ne oſtendere quidem doctis hominibus volunt; digni profecto, quos terror panicus in vita continenter exagitet.

CAPVT II.

Eadem Legati Apoſtolici poteſtate privilegia Epiſcopo Quinqueeccleſienſi indulget S. Rex Stephanus.

Anno ab reparata humani generis ſalute cıɔıx. *Joanne* XIX. Summo Pontifice, Epiſcopatus Quinqueeccleſienſis, & Veſprimienſis, ab eodem Divo Rege conditi, immunitates ſuas & bona, regiis litteris confirmata, obtinuere. De utroque iſto Epiſcopatu differit *Stiltingus* §. 24. Fragmentum litterarum fundationis Epiſcopatus Quinqueeccleſienſis juris publici fecit *Inchoferus* noti Operis pag. 290. hoc exemplo:

In

1) *Vide Scriptor. Rer. Hung. Tom. II. Par. II. p.* 119.

In Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, & Individuæ Unitatis.

Stephanus Hungarorum Rex.

Noverint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet & futuri, qualiter Nos, cum conſenſu Sanctiſſimi Apoſtolici, & in præſentia ejus Nuncii Annis Epiſcopi, & aliorum omnium noſtrorum fidelium Epiſcoporum, Marchionum, Comitum, nec non minorum quoque perſonarum, electionem (1) *Epiſcopatus, qui vocabitur Quinqueeccleſienſis, ſtatuimus in honorem Dei & omnium Sanctorum, Beniperto ibi Epiſcopo facto, privilegiis terminiſque ordinavimus & confirmavimus. Primum terminum Zemegny viculum, uſque ad Thapeon vicum poſuimus, ſecundum Ozora, donec perveniatur ad aliam aquam, quæ Clupa nuncupatur: Tertium Ropus usque ad Almas aquam: Quartum, ut dicitur Reo - Arok, ſicuti incipiens a Danubio ſuper ſauum fluvium terminatur. Et ut hæc noſtræ ingenuitas authoritatis ſtabilis & inconcuſſa permaneat, hanc chartam inde conſcriptam, ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus.*

† *Signum Stephani Regis Hungarorum.*

Quos terminos ſi quis violare præſumpſerit in poſterum, componat centum libras auri optimi, medium Cameræ noſtræ, ac medium præfato Epiſcopatui, ac Rectori eius. Et ut plus divinæ iræ occurſum paveat, ſciat ſe a Deo Patre, & filio, & ſpiritu ſancto, & Glorioſa Dei Genitrice Maria, & ſancto Petro Apoſtolo, in cujus honorem ſupramemoratus conſtructus eſt Epiſcopatus, perpetuo anathemate damnandum, & ante tribunal Chriſti rationem rediturum. Dat. decimo Kalend. Septemb. Indictione ſeptima, Anno Incarnationis Domini milleſimo nono, Pio Stephano regnante, anno nono. Actum in Civitate Jauryana.

Hactenus, inquit Inchoferus, *eæ litteræ, quarum & Divus Ladislaus Rex in ſuis meminit, ſuo loco recitandis.* Cl. *Schwartzius* haſce itidem ſolicitat de ultima voce *Jauryana.* Nodum in ſcirpo a viro docto eſſe quæſitum, *Stiltingus* oſtendit. Indictioni cum anno epochæ optime convenit: vigeſima autem tertia adnotato anno in diem Martis & Vigiliam *S. Bartholomæi* inciderat; unde clare ellucet, geſta hæc eſſe vacante ſede Apoſtolica: quippe *Joannes XVIII vel* K 3 *XIX.*

1) *Al. Erectionem.*

Digitized by Google

XIX. eodem anno die XVIII. Julii, diem ſuum obierat, *Sergio IV.* non prius, quam poſt duos menſes & dies XIII. undecima videlicet Octobris in ſummum Ponotificem electo. At hoc utcunque ſit, clara nihilominus ſunt illa Divi Regis verba: *Qualiter nos cum conſenſu Sanctiſſimi Apoſtolici, & in præſentia ejus nuncii Anonis epiſcopi, erectionem epiſcopatus, qui vocabitur Quinqueeccleſienſis, ſtatuimus in honorem Dei & omnium ſanctorum, Beniperto ibi epiſcopo facto, privilegiis, terminiſque ordinavimus & confirmavimus.* Quæ abunde docent, Quinqueeccleſienſem Epiſcopatum, a S. Rege inſtitutum, Epiſcopum electum, privilegiis eccleſiaſticis & bonis temporalibus auctum fuiſſe, accedente ſolo *Apoſtolici*, ſive ſummi Pontificis conſenſu; idque in præſentia ejus Nuncii, fungente videlicet vicaria ſummi Pontificis poteſtate *Divo Stephano*, & præſente tantum, ſive adſpectante *Anone* epiſcopo, Apoſtolico Legato.

Epiſcopatus Veſprimienſis tabulas fundationis reperire mihi adhuc non contigit; earum fragmentum luci publicæ expoſuit Péterfius Concil. Hung. P. I. pag. 6. quod cum præſenti propoſito meo parum utile ſit, indicaſſe hic illud ſufficiet. Fundationis litteras ſacrarum Deo Virginum monaſterii Vallis Veſprimienſis, Græco idiomate ſcriptas, diu pariter multumque fruſtra quæſivi. Indicium earum mihi fecerat Péterſius *Concil. Hung. Par. I. pag.* 7. cujus margini imæ fragmentum ex iis adſcripſit. Eas videndi legendique ſpem ferme abjeceram; cum ecce ab eruditiſſimo atque amantiſſimo amicorum pari e Soc. Jeſu admoneor, earum verſionem Latinam typis jam evulgatam fuiſſe Jaurini anno cIↃIↃCCL. in opuſculo, cui epigraphe: *Aſſertor libertatis Hungaricæ &c. Andreas II. Rex Hieroſolimitanus.* Auctorem eruditi opuſculi Rev. & Cl. Virum *Jo. Szegedium* e S. J. eſſe, cauſa nulla eſt, cur addubitem; quippe pag. 82. ſcribit: *Sed de hac*, inquit, *quæſtione prolixius nunc diſputare haud vacat. Adiri poteſt libellus, a nobis in Tranſylvania typis Claudiopolitanis Anno* 1744. *vulgatus, ſub titulo: Decreta & Vitæ Regum Ungariæ, qui Tranſylvaniam poſſederunt. Pars ſecunda, pag.* 68. *& ſeqq.* Porro laudatus auctor de Tabula noſtra Græca pag. 83. hæc ſcribit: *Non abſimile*, inquit, *diplomati archi-Cœnobii S. Martini Montis Pannoniæ eſt illud, quod idem ſanctiſſimus Primus Rex noſter Stephanus dedit Monialibus Monaſterii B. M. V. de Valle Weſprimienſi, lin-*

gua

gua Græca ſuper majori Pargamenæ, ſeu membranæ phylira, eleganter ſcriptum; Sigilloque Majori ceræ impreſſo, ipſiuſmet S. Regis ſedentis, ac ſceptrum dextra, mundi globum ſiniſtra, tenentis effigiem referente, munitum: cum adjecta, quantum legi poteſt, circumſcriptione, latinis characteribus expreſſa: STEPHANVS D. G. REX TOTIVS UNGARIÆ. Quod quia ipſi vidimus, & cum veneratione legimus, verſionemque latinam, cum Originali Græco contulimus; non fraudabimus guſtum eruditi lectoris, pretioſis id genus antiquitatum cimeliis delectari, ac irritari ſolitum. Hæc Cl. Auctor; Porro vetuſtæ verſionis Latinæ, quam legendam lectori dat, principium eſt ſequens: *In nomine Patris, & filii, & Sancti Spiritus. Conſtituo ego Stephanus, qui & Rex totius Ungariæ curantem & adminiſtrantem & gubernantem monaſterium Super Sanctæ Dei Genitricis Metropolitanum, quod eſt in Weſprém, & in illo collectam multitudinem Monialium &c. Colomani* Regis juſſu his, & quæ ſequuntur, verbis laudatam tabulam Latine fuiſſe redditam, teſtes ſunt ejuſdem Regis litteræ, a Viro docto memorati opuſculi pag. 86. vulgatæ, quarum initium eſt: *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo Nono, præcipiente Chriſtianiſſimo Rege Colomano, renovatum eſt hoc Privilegium Bezprimenſium monialium &c.* Cum ipſum Originale Græcum, tum etiam ejus verſionem, ſive renovationem *Colomani* Regis latinam, in Jaurinenſi Soc. JEſu Collegio adſervari nunc, ibidemque a Rev. *Szegedio* lectam, & cum autographo Græco fuiſſe conlatam, arbitror: quippe teſte eodem Viro docto pag. 100. Poſt cladem Mohacſianam, quum Sanctimoniales Veſprimienſes Koermendinum translatæ, ibidemque eſſent extinctæ, earum jura & poſſeſſiones, donatione Impp. & Regg. *Ferdinandi* II, & III. in Jaurinenſe Societatis Jeſu Collegium, fundationis nomine translata ſunt. Utinam vir doctus autographum itidem Græcum in lucem protuliſſet! ea enim diligentia & ſecurius & jucundius venerando lipſano in rem noſtram uti poteramus; ſuſpecta quippe nobis eſt eruditio græca barbari interpretis, qui τὸ ὑπεραγίας θεοτόκου, quod in autographo habuiſſe videtur, *Super Sanctæ Deiparæ* reddiderit; ne alia commemorem, quæ ſine autographo vix recte intelligi poſſunt. Atque hæc de fortuna tabulæ. Ad memorias, quas ſervat, quod attinet; luculentiſſimum hæc itidem fert teſtimonium, & propoſito meo vel maxime opportunum. Quippe poſtquam Divus Rex villas quaſpiam & poſſeſſio-

ſeſſiones eidem monaſterio addixit, ſubdit: *Ita tamen quod dictas poſſeſſiones tam in Decimis, quam in Magiſtratibus Capellæ dictarum villarum Epiſcopus Bezprinenſis in nullo debeat moleſtare, vel in aliquo perturbare. Totum Monaſterio noſtro duximus pertinendum: ſicut in Donationibus Regalium exſtitit conſuetum. Et eædem Dominæ, in Conſecratione Chriſmatis & Olei, Eccleſiæ Sanctæ Strigonenſi pertineant.* Ex quibus ſole meridiano clarius elucet, conceſſa Divo Regi noſtro poteſtas Apoſtolica, qua Veſprimienſe iſtud Monaſterium ab Ordinarii Epiſcopi juriſdictione exemit, & Strigonienſi Metropolitæ ſubdidit. Atque hoc quidem ſententia mea nullus, qui ratione uti volet, in dubium vocaverit. Exultaverit fortaſſe contra Cl. *Schwartzius*, mihique iſtas Græcas Divi *Stephani* litteras oſtentaverit; qui Lib. I. cap. III. Initia Religionis Chriſtianæ inter Hungaros Latinæ Eccleſiæ adſertum iverim, rationibus ab inſtitutione Divi Regis *Latina* petitis. Atque idiomatis quidem Græci Sanctum *Stephanum* habuiſſe notitiam extra controverſiam eſſe, exiſtimat laudatus mihi ante Szegedius, pag. 85. quod tamen vereor, ne audactius, quam verius dictum ab eo adſertumque eſſe exiſtiment viri, artis itidem criticæ non imperiti. Sed dabo Divum Regem Græci ſermonis non fuiſſe ignarum; numne idcirco Initia religionis Chriſtianæ inter nos ad Græcos eſſe referenda Cl. *Schwartzius* contendet? Si ſapit, me judice, haudquaquam contendet: nam ſigillum, diplomatis anima, *Latinis* characteribus inſcriptum eſt; deinde Veſprimienſe Monaſterium ſuum Divus Rex ab Ordinarii juriſdictione exemit quidem, ſed Strigonienſi Metropolitæ ſubjecit, cujus Metropolim ad preces ſancti Regis a Pontifice Romano fuiſſe conſtitutam, pluribus docui Lib. I. cap. XI. Igitur ſanctus Rex noſter *Stephanus* etiam dum Græce loquitur, cum Latinis ſapit; quo argumento tuendæ ſententiæ meæ nihil poteſt dari firmius, nihil illuſtrius. At vero quæ genuina videri queat cauſa, cur hæ ſolæ, quantum quidem ſcimus, fundationis tabulæ ſermone Græco ſint conſcriptæ? Nempe is vir pius ac religioſus, qui Moniales Veſprimienſes ſive ex Græcia in Hungariam deduxit, ſive, ab Hungaris, adhuc ethnicis, in captivitatem abductas, *collegit*, Græcus gente & lingua fuit. Teſtis hujus mihi eſt *Colomanus* Rex, qui in laudata ſupra *Renovatione* ſua hæc addidit. *Vetus autem Privilegium, juxta linguam autoris Monaſterii, Græce ſcriptum, ideo adnotavimus &c.*

En

En Auctorem Monaſterii lingua Græcum; qui ſimul & Moniales fortaſſe etiam ut fundationis litteras ſine interprete intelligerent, eas Divus Rex familiari ac nativo eorum idiomate exarari juſſit; futuras poſteris teſtimonio, primum Hungaricæ Gentis Chriſtianum Regem, vel dum Græce loqueretur, cum Latina, Orthodoxa, Catholica & Apoſtolica Eccleſia ſenſiſſe.

CAPVT III.

Eadem Apoſtolica poteſtate S. Rex monaſterium Pécs-Várad, alias de Várad dictum, condit, ac privilegiis eccleſiaſticis exornat.

Quintum monumentum, ex quo poſteritas diſcere queat, *Divum* Regem *Stephanum* Apoſtolica poteſtate, *a Silveſtro II.* ſibi conceſſa, fuiſſe uſum, tabulæ ſunt fundationis monaſterii Benedictinæ familiæ ad radicem *Montis Ferrei* B. Mariæ Virginis, Diœceſis Quinqueeccleſienſis, in Comitatu Tolnenſi ſitum, & *Pécs-Várad*, alias *de Várad* dictum. *Veriſimile* quidem *eſt*, ut obſervat *Stiltingus*, *incboatum revera eſſe, quod tradit Incboferus, dictum monaſterium ab anno* 999. *cum ejus fundatio referatur a Cartbuitio ante fundationem epiſcopatuum; cumque Rex clare innuat in litteris* (Monaſterio S. Martini) *datis, plures abbatias conſtructas fuiſſe ante tempus, quo dedit prædictas litteras, ideſt ante finem* 1001. *Verba, accipe*: Quodſi licuit mihi, quo volui loco, epiſcopatus & abbatias ſtatuere &c. *Hinc etiam credo, non diu poſt inhabitari cœptum. Attamen ædificatio ad multos annos protracta videtur: templi certe, cujus conſecratio anno* 1015. *peracta eſt, ut colligitur ex litteris S. Stephani, eodem anno in die conſecrationis templi datis.* Hactenus *Stiltingus* §. *XV. n.* 158. Litteras fundationis hujus monaſterii vulgavit Péterfius Concil. Hungar. P. I. p. 4. hoc exemplo:

Stephanus Superna Favente Clementia Rex Hungarorum &c.

Credimus, & vere dicimus, ſi locis Divino cultui mancipatis, poteſtates, atque honores adaugmentaverimus, id non ſolum laude humana prædicandum, verum etiam Divina mercede remunerandum. Quocirca omnes

ſanctæ Dei Eccleſiæ, & fidelium noſtrorum præſentium, atque futurorum conſpiciat intentio, quod nos per Dei ſubſidium, ob animæ noſtræ remedium, & pro ſtabilitate regni noſtri, Monaſterium ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, & ſancti Benedicti ad radicem Montis Ferrei diligenter conſtruximus &c. Præterea ex conſenſu, & confirmatione authoritatis Apoſtolicæ, non ſolum præſcripti populi &c. Eadem authoritate Apoſtolica mediante, decrevimus, ut præfati Cœnobii Abbas, generali tamen & ſolenni Synodo duntaxat, Strigonienſi Epiſcopo intereſſe teneatur, &c. Quod, ut verius credatur, hanc paginam manibus propriis roboravimus, ſigilli munimine, in ipſo die conſecrationis dicti Monaſterii, per miniſterium Domini Aſtrici, Archiepiſcopi Colocenſis, & Pauli Abbatis prædicti Monaſterii, nobiſcum omnibus Regni Principibus ibidem aſſiſtentibus confirmavimus. Anno ab Incarnatione MXV.



Signum Dñni Stephani Inclyti Regis.

Hactenus litteræ fundationis monaſterii *Pécs - Vdradienſis.* Quæ ad propoſitum noſtrum faciunt, ſunt hæc: *Præterea ex conſenſu & confirmatione authoritatis Apoſtolicæ.* Quæ manifeſto indicio ſunt, Romanos Pontifices etiam ab Silveſtri II. morte primas tantum confirmationis ad conſecrationem ſibi vendicaſſe, reliquis Apoſtolicæ poteſtatis partibus, in diſponendis per Hangariam Chriſti Eccleſiis, Sancto Regi noſtro ejusque legitimis ſucceſſoribus, conceſſis. Pro iſtaj igitur poteſtate ſua ſubdit Sanctus Rex: *Eadem authoritate Apoſtolica mediante, decrevimus, ut præfati cœnobii abbas generali tamen & ſolemni Synodo duntaxat, Strigonienſi epiſcopo intereſſe teneatur.* Quæ aliud non continent, niſi immunitatem iſtam eximiam *Silveſtri II.* Summi Pontificis laudato ante monaſterio a S. Rege fuiſſe conceſſam. Ecquidem doleo, integrum pretioſæ tabulæ exemplum vulgari hic a me non poſſe. Habuit,

Digitized by Google

buit, qualem deſidero, *Péterfius*, unde eruditam adnotationem exſcripſit *Concil. Hung. P. I. p.* 10. quam huc integre transferre neceſſarium eſſe duxi: *Magnam,* inquit, *S. Regis curam, & providentiam in ornanda Dei domo docent ea, quæ Eccleſiæ S. Benedicti de radice montis Ferrei dono obtulerat An.* 1015. Altaria his decoravimus ornamentis. Videlicet 29. Caſulis, Dalmaticis 14. Tunicis 18. *Veſtis Epiſcopi, quam duplicem induit, aut Tunica caputiata Monachorum.* Cappis 60. *Erant diverſæ formæ, & uſus varii: quædam inſtar tunicæ laxioris, & talaris: quid ſi veſtem dicam, quam Religioſi S. Benedicti, dum ad pſallendum conveniunt, ſibi imponunt?* Pallis altarium 27. Mantilibus 29. Pallis ad cooperiendum ſedilia 4. Albis 50. Camiſiis de Pallio 10. & aliis 15. Tapetibus ante Altaria 10. Crucibus 9. Pulvinariis 7. Altaribus ad viam 5. Thuribulis 4. Candelabris 6. Calicibus 11. Bacollibus 12. Urceis 4. Scriniis (*Feretrum conditorium in quo Reliquiæ ſacræ reponebantur*) de argento tribus. Stolis & manipulis 30. Libris vero, quorum præcipue authoritas fulget in Eccleſia: tum Bibliotheca, duobus voluminibus nocturnalibus 4. Antiphonalibus 5. Lectionariis cum Evangeliis, Miſſalibus 6. Pſalteriis 4. Gradualibus 5. Regulis 2. Baptiſteriis 2. Gloſſariis 3. Omeliarum Volumine uno. *Sequitur dos Eccleſiæ: Equis* 120. *Vaccis* 84. *Ovibus* 464. *&c.* Hactenus Péterfius.

CAPVT. IV.

Abbatia S. Adriani M. de Szala a Divo Rege condita & immunitatibus eccleſiaſticis pro munere Legati Apoſtolici ab eodem ornata.

Feliciori via ad manus meas pervenerunt aliæ Divi Regis noſtri litteræ, Abbati *S. Adriani M.* de Szala datæ. Servantur nunc Poſonii in ſanctiori regni tabulario quemadmodum relectæ & confirmatæ aliis Sigiſmundi Imp. & Regis noſtri litteris habentur inſertæ. Eæ ad Bibliothecam noſtram delatæ ſunt cum aliis quibuſdam ejuſdem Tabularii diplomatum apographis anno CIↃIↃCCXL, quo vir nobilitate æque & doctrina illuſtris *Adamus Rajcſány*, eidem Tabulario Præfectus, MARIAE THERESIAE AVG. ſpecimen quoddam induſtriæ ſuæ manu exaratum obtulit, cui epigraphe: *Maria, Ludovici I. Hungariæ*

 Re-

Regis filia, ejuſdem Regni Hungariæ Hæres ... In MARIA THERESIA Auſtriaca ... Diplomatum & Sigillorum veterum fide & authoritate rediviva. Porro in laudata iſta veterum diplomatum Sylloge fol. 21. p. 2. memoratæ Divi Regis litteræ, *Sigiſmundi Imp.* & *Regis* diplomati inſertæ, ſunt in hunc modum:

Nos Sigiſmundus Dei Gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Memoriæ commendamus tenore præſentium ſignificantes quibus expedit Univerſis. Quod fidelis noſter Venerabilis Vir Frater Benedictus ad Noſtram veniens præſentiam, exhibuit Nobis Litteras Sanctiſſimi Hungarorum Regis Stephani fundationales Beatiſſimæ recordationis tenoris infraſcripti, ſupplicans Noſtræ Majeſtati humiliter, & devote, ut earum Continentiam de verbo ad verbum ſine diminutione & augmento tranſcribi & tranſummi, tranſumptumque earundem ipſi ſub Appenſione Sigilli Noſtri dari facere dignaremur; Quarum tenor ſequitur in hæc verba: In Nomine Domini Dei Summi. STEPHANVS ſuperna providente Clementia Hungarorum REX. Credimus, & vere ſcimus, quod ſi locis Divino cultui mancipatis poſſeſſiones, atque honores adaugmentaverimus, id non ſolum laude humana prædicandum, verum Divina mercede remunerandum. Quocirca omnium ſanctæ Eccleſiæ Fidelium Noſtrorumque præſentium, atque futurorum ſolers comperiat intentio: Quod nos Divino inſtinctu fundavimus Monaſterium in Inſula Szaladienſi Ordinis ſancti Benedicti, quod ab anno Incarnationis Domini Milleſimo] Decimo Nono per Dei ſubſidium ob animæ Noſtræ remedium, pro ſtabilitate Regni Noſtri ad fidem (1) perduximus, in quo juſſu Noſtro dedicata eſt Eccleſia Beati Adriani, quæ eſt in Szala, ſimul cum duabus Capellis: una, quæ eſt in honorem ſancti Georgii; altera, quæ eſt in honorem S. Laurentii a duobus Epiſcopis Modeſto & Boniperto, ubi ordinavimus Abbatem Latinum nomine Petrum, conferendo eidem poteſtatem, ut in Diœceſi Capellarum antedictarum proceſſu temporis, quod neceſſe eſt fieri, plures Capellæ poſſint ædificari, quæ tamen ad jam nominatas Capellas tenebuntur habere reſpectum. Contulimus etiam eidem, auctoritate Apoſtolica Nobis annuente, ut in præſcriptis ſolennitatibus ornamentis Pontificalibus uteretur. Condonavimus etiam, ut Capellas Sacerdotibus

1) *Sic in apographo; ſed ex aliis diplomatibus reponendum* finem.

Digitized by Google

tibus poſſit inveſtire, & dedimus ſancto Adriano ad ſerviendum, Prædia, Decimas, & Piſcinas, quorum nomina hæc ſunt: Tiſciam cum Eccleſia ſancti Adriani, Rada, Sniger, Szalavár, Chaz, Borúl, Cendy, Nimygh, Beſſynéw, Fizek, cum duodecim Aratris. Et etiam dedimus Redditus Fori Chán, Csorgów, & Redditus Colonien. (1) Aquæ, & Pontis Civitatis, & decimam equorum Noſtrorum in Inſula, quæ vocatur Cſepel, in paledris, & ducentas ulnas de ſubtili panno pro indumentis Fratrum, de Camera Noſtra. Villæ decimarum hæ ſunt: Pobor, Kurkow, Szölöſs, Kuſtyan, Mand, Devecſer, Egrugh, Patſch, Keſztel, Korunthal, Varvus, Hydvégh, Mayarad, Sklot, Kolon, Komár, Kolumbok, Schopy, Stolcz, Biqui, Wolupna, Reche, Merenye, Karus, Sobor, Zobor, Uruſtun, Urugh, vel Ung, Kerechen, Gelſe alias Gerſe, Rayk, Bigug, Patha, Igruz, Raduk, Geſtred, Slavonica Rakolyan, Hungarica Rakolyan, Lengyel, Gethye, Piſteka, Horváth Iſtebor, Kal, Poklonya, Aracha. Et ne Epiſcopus Parochianus injurias, querimonias, in collatione decimationis prædictarum Villarum pateretur, ſibi alios terminos decimationis aſſignando contulimus. Quod ſi ipſe contra Noſtra ſtatuta, quod abſit, inique agere, vel quærere voluerit, ante Deum judicem vivorum, & mortuorum in die judicii ſe contendere Nobiſcum ſciat. Sit idipſum Monaſterium ab omni inquietudine ſemotum. Præcipimus etiam ſub teſtificatione Domini noſtri JEſu Chriſti, ut nullus Potentum, vel aliquis magnus, ſive parvus de jam dicto Monaſterio aliquo modo ſe intromittere, in Mancipiis aut Terris, Vineis, Decimationibus, Piſcationibus, Rippis placitis ſine conſenſu ejusdem Abbatis audeat, vel præſummat. Piſcinæ autem hæ ſunt: Alba piſcina cum 50. piſcatoribus, in Villa Podgrod. Aliæ minores piſcinæ Madacſa pro Uzonibus. Piſcina civitatis juxta Dravam in Boka cum 12. piſcatoribus, & in Inſula. Item in Drava 12. libras ceræ, & 12. pelles Vulpinas, cum 200. pellibus Spilonorum. Si quis autem Potens voluerit auferre, aut abſtulerit, vel deſtruere de hoc, quod Nos Rex Stephanus dedimus ſancto Adriano, ira Dei & noſtra ſit contra illum, & componat 50. libras auri optimi, medium Cameræ Noſtræ, ac medium præfato Monaſterio ſuisque rectoribus, maledictionisque perpetuæ vinculo æternali-

1) *Sic in apographo; vulgari jam errore pro* Colocenſis.

naliter feriatur. Et ut acrius credatur, hanc paginam Sigillo Noſtro authentico Corigiæ appenſione juſſimus ſignari. *Nos itaque juſta ſupplicatione præfati Fratris Benedicti Noſtræ Majeſtati humiliter porrecta, pie exaudita, Tenorem prædictarum literarum ſanctiſſimi Stephani Regis de verbo ad verbum ſine diminutione, & augmento tranſummi, tranſumptumque earundem ſub appenſione Sigilli Noſtri eidem dari fecimus, communi Juſtitia ſuadente. Datum Budæ Sexto Calen. Junii, Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo Decimo Septimo.*

Commiſſio ppria Dñi Imperatoris Michaële Orſzdg Summo Theſaurario referente.



Ha-

Hactenus Divi Regis *Stephani* & *Sigiſmundi* litteræ, monumentum plane eximium, & illuſtrandis Hungariæ rebus vel maxime opportunum. Quæ argumento meo lucem fœnerantur ſunt hæc præcipua. Dicit quippe Sanctus Rex, ſe ab anno milleſimo decimo nono condendo iſto monaſterio fuiſſe occupatum, unde nota chronica, in ima cera adſcripta, & hic omiſſa, recte conjici non poteſt. Dicit porro: *Ubi ordinavimus Abbatem* Latinum *nomine Petrum.* Sive *Italum;* hoc enim tum nomine deſignabantur *Itali*; ut cum aliunde, tum ex legibus noſtris certum eſt. Subdit S. Rex: *Conferendo eidem poteſtatem, ut in diœceſi capellarum antedictarum proceſſu temporis, quod neceſſe eſt fieri, plures capellæ poſſint ædificari, quæ tamen ad jam nominatas capellas tenebuntur habare reſpectum. Contulimus etiam eidem, authoritate Apoſtolica nobis annuente, ut in præſcriptis ſolennitatibus ornamentis Pontificalibus uteretur. Condonavimus etiam, ut capellas ſacerdotibus poſſit INVESTIRE.* Levant hæc quadamtenus deſiderium earum litterarum, in quibus Silveſter II. conceſſionem ſuam, pluribus explicatam fuiſſe, ait: quippe S. Rex electo ab ſe abbati *confert*, *condonat*, ſive jus ſuum in eum transfert, ædificandi plures capellas; utendi in ſolennitatibus ornamentis Pontificiis; *inveſtiendi* capellas Sacerdotibus: idque *auctoritate Apoſtolica ſibi annuente;* quis igitur eadem auctoritate jus hoc habuiſſe neget, quod hic abbati indulget? quis limites poteſtatis Apoſtolicæ, Divo Regi Noſtro a Silveſtro II. conceſſæ, clare non videat?

CAPVT V.

Litteræ fundationis, Monaſterio Bakon-Belienſi a S. Rege conceſſæ, eandem Vicariam Apoſtolicam poteſtatem continent.

Anno CIↃXXXVII, *Benedicto IX.* Summo Pontifice, *Divus Stephanus* abbatiam *Divi Mauritii* in ſilva interiori Bakonia pro aſcetis ex inſtituto *ſancti Benedicti* conditam, Deo Optimo Maximo conſecrat. Silvam Bakoniam anno CIↃIↃCCLII. emenſus ſum, & meis ipſe oculis uſurpavi, quæ recte adnotat autor Topographiæ Regni Hungariæ p. 140. *Paſſim*, inquit, *in ea deprehendere eſt deſertos pagorum campos, templorum monaſteriorumque rudera, ut ex vero ſcripſiſſe videantur*

com-

complures, *ſilvam Bakoniam*, *quanta eſt*, *non tam ferarum latibulum*, *quam ſanctorum virorum fuiſſe receptaculum*, *ſeminarium*, *aſylum . . . quaſi in viſceribus*, *unde & dicta eſt*, *eminebat Bakon-Belienſis* (1) *ſacri Benedictinorum Ordinis*, *Abbatia*, *Divi Mauritii honoribus tranſcripta ab ipſo S. Rege Stephano circa annum* cıↄxxx. Hæc ille; ſequutus, ut opinor, opinionem *Pazmáni*, qui apud *Péterſium P. II. pag.* 273. hæc habet: *Bakon-Beel*, *S. Mauritii*, *in Veſprimienſi Diœceſi*, *a S. Stephano rege fundata circa annum Domini* cıↄxxx. Litteras fundationis, manu *ſancti Stephani* ſignatas, juris publici fecit laudatus *Péterſius Concil. Hungar. P. I. p.* 5. quarum exemplum eſt ſequens:

Stephanus ſuperna favente clementia Hungarorum Rex. Univerſorum Chriſti fidelium ſane intendat diſcretio, quod &c. Igitur inter cætera, *in illo loco*, *qui Beel dicitur in ſylva Bocon*, *quia divino cultu videbatur mancipari valde idoneus*, *ſub titulo Beati Mauritii*, *Chriſti Martyris*, *Monaſterium incœpi conſtruere*, *quod & per Dei adjutorium conſummavi. Regiis quoque munificentiis*, *ſicut potui*, *ditavi*; *in quo Gerardus Monachus*, *de Venetia veniens*, *primus cœpit converſari*, *& ſic hujus poteſtatem* (2), *ut ubicunque*, *vel in quocunque vellem loco*, *Eccleſias*, *aut Monaſteria conſtruerem*, *ita nihilominus a Romanæ ſedis ſupremo Pontifice habui authoritatem*, *ut quibus vellem Eccleſiis*, *ſeu Monaſteriis libertates & dignitates conferrem. Quamobrem &c. Abbas . . . infula quoque*, *annulo*, *baculo paſtorali decoratus*, *nullius Epiſcopi ſubjaceat poteſtati*; *niſi Strigonienſis Archiepiſcopi tantummodo*, *Generali aſſiſtat Synodo*, *ut ibi ſalutaria monita audiendo*, *ſe ſuoſque ſubjectos valeat ſalubriter inſtruere* reliqua. *Cunctis autem ſervantibus illius jura* (Monaſterii) *ſit pax*, *a Deo Patre*, *& Jeſu Chriſto filio ejus*, *Amen. Anno Dominicæ Incarnationis M. XXXVII. Indictione quinta &c.*



Signum Domini Stephani Regis.

Ha-

1) Bél, *Hungaris* interius quid *notat*, *item* viſcera; *habet præterea notionem præpoſ.* in.

2) *Sic*; *forte*: habui poteſtatem.

Digitized by Google

Hactenus *Divi Stephani* litteræ; ad quas *Péterſius* obſervat: *Quam vellem*, inquit, *hoc fragmentum ad Joannem Schwartz perveniat! cum in eo reverentiam erga ſedem Apoſtolicam, qua S. Stephanus in eandem ferebatur, aperte leget. Magnum præterea pondus accedit Bullæ Silveſtri II. Sancto Regi donatæ (quam multi Heterodoxorum confictam eſſe ajunt) ex verbis illis: Ita nihilominus a Romanæ ſedis ſupremo &c.* Hæc *Péterſius*; Sed hoc ex Hiſtoria iſta noſtra, ut ſperamus, melius quam ex fragmento uno, tum Cl. *Schwartzius*, tum alii etiam certius perſpicient. Porro ſcribit S. Rex: *Et ſic habui poteſtatem, ut ubicunque, vel in quocunque vellem loco, Eccleſias aut monaſteria conſtruerem.* Mutuantur ab his lucem Litterarum fundationis *S. Martini* in monte Pannoniæ verba illa: *Quod ſi, vos fideles, licuit mihi, quo volui loco, epiſcopatus, & abbatias ſtatuere, an non licuit cuipiam loco, quod volui, ut facerem.* Utraque autem ſupplent litteras, quæ deſiderantur, & clare explicant verba *Silveſtri*: *Eccleſias Regni tui præſentes, & futuras.* Dicit deinde: *Ita nihilominus a Romanæ ſedis ſupremo Pontifice habui authoritatem, ut quibus vellem eccleſiis ſeu monaſteriis libertates & dignitates conferrem.* Is profecto Pontifex alius non eſt, niſi *Silveſter II*, qui, ut vidimus, ampliſſimam illam Divo Regi, ejuſque legitimis ſucceſſoribus, poteſtatem litteris ſuis contulit, *præſentes & futuras* regni ſui eccleſias *diſponendi atque ordinandi*; ſive condendi ubi vellent, & quibus vellent immunitates & dignitates ECCLESIASTICAS conferendi. *Quamobrem &c.* inquit Sanctus: *Abbas . . . infula quoque, annulo, baculo paſtorali decoratus, nullius epiſcopi ſubjaceat poteſtati, niſi Strigonienſis Archiepiſcopi, tantummodo Generali aſſiſtat ſynodo &c.* illuſtrant hæc & lucem pulcherrimam adfundunt illis *Silveſtri* verbis: *Et ſecundum quod divina gratia te & illos docuerit eccleſias regni tui . . . noſtra & ſucceſſorum noſtrorum VICE diſponere atque ordinare . . . conceſſimus.* Reliqua, cum ſint clariſſima, interpretatione mea non egent.

Atque hæ ſex illæ tabulæ ſunt, quas, graviſſima veluti tempeſtate in litus ejectas, pio officio collegi, & lectoribus meis notas eſſe volui. Dum enim hæ ſupererunt, dum a viris doctis & rerum peritis legentur, aut hoc ſane, aut nihil in veterum monumentis certum erit, *Silveſtrum II.* ſummum Pontificem, retenta ſibi ſeceſſoribuſque ſuis confirmatione, ad conſecrationem Præla-

torum Coronæ Hungaricæ reliquas omnes Pontificæ poteſtatis vices in *diſponendis & ordinandis* Hungariæ eccleſiis S. Regi *Stephano*, ejusque legitimis ſucceſſoribus, conceſſiſſe; ad ſummam, LEGATI APOSTOLICI munus contuliſſe. Adquiſivit igitur S. Rex, cum ſibi, tum Succeſſoribus ſuis iſta præcipua: jus primum condendi, quas vellet, & ubi vellet eccleſias, epiſcopatus, abbatias, monaſteria &c; deinde eligendi, transferendi, deponendi Prælatos ſuos, eoſque præterea *per annulum & virgam* inveſtiendi, tum occupandi bona eccleſiaſtica, a morte Prælatorum vacantia, & eadem, quibus vellet, conferendi. Ac de Sancto quidem Rege *Stephano*, quin iſta poteſtate ſit uſus, nullus unquam, credo, dubitaverit; de legitimis vero ejus ſucceſſoribus, adſunt duo graviſſimi æque ac locupletiſſimi teſtes, qui poteſtatem iſtam Apoſtolicam, ad eoſdem legitime eſſe transmiſſam, clariſſima voce teſtantur. Qui autem illi? nempe *Silveſter II.* Summus Pontifex, & *S. Stephanus* Rex. Nam quid, amabo, clarius illis *Silveſtri* verbis: *Ut poſtquam tu, & illi corona, quam mittimus . . . coronati extiteritis, Crucem ante ſe . . . geſtare facere poſſis & valeas, atque illi poſſint, valeantque: & ſecundum quod divina gratia te, & ILLOS docuerit, Eccleſias regni tui præſentes & futuras, noſtra ac ſucceſſorum noſtrorum vice diſponere atque ordinare . . . conceſſimus?* Quid autem Divus Rex? nimirum Decretorum ſuorum Lib. II. Cap. XXXIV. legem ſucceſſoribus ſuis ſcripſit ſequentem: *Decem villæ Eccleſiam ædificent, quam duabus manſionibus, totidemque mancipiis dotent, equo & jumento, ſex bobus, & duabus vaccis, triginta quatuor minutis beſtiis. Veſtimenta vero, & corporalia & coopertoria REX provideat, Presbyterum & libros, Epiſcopi.* Item ejuſdem Libri Cap. XXXV. *Conſenſimus igitur petitioni totius ſenatus, ut unuſquiſque dominetur propriorum, ſimiliter & DONORVM Regis dum vivit: Excepto, quod ad EPISCOPATVM pertinet, & Comitatum.* Voluit nempe Sanctus Rex normam quampiam præſcribere, qua legitimi ſucceſſores ſui *in diſponendis atque ordinandis* Apoſtolica poteſtate eccleſiis uterentur; prior Lex ad propagationem eccleſiarum pertinet; poſterior, ad Bona eccleſiaſtica, item ad *electionem, translationem, &c.* Epiſcoporum: quos non ſecus, atque ſeculares *Comites*, *Donis Regiis*, ſive *Regalibus*, tota vita adfixos eſſe, noluit. Atque hæc de Jure Patronatus ſub *S. Rege Stephano.*

CA-

Digitized by Google

CAPVT VI.

Fortuna bujus Juris ab obitu Divi Regis.

Anno CIↃXXXVIII. ſanctus Rex æterna Apoſtolicorum laborum ſuorum præmia recepturus, ad meliorem vitam abiit. Eccleſias Chriſti in regno ſuo Apoſtolica poteſtate gubernavit annis octo & triginta, ſub Romanis Pontificibus omnino ſeptem, videlicet: *Silveſtro II.*, *Joanne* XVIII, *Joanne* XIX, *Sergio* IV, *Benedicto* VIII, *Joanne* XX, & *Benedicto* IX. *Fuit ſane*, inquit *Carthuitius*, *Rex ille fidelis & integer in omnibus factis ſuis, Deo toto pectore deditus & addictus: ſe ipſum quoque & regnum ſuum per votum & oblationem in perpetuæ Virginis Mariæ tutelam aſſiduis precibus contulit . . . Atque ut rex piiſſimus propenſiorem tantæ Virginis defenſionem & patrocinium poſſet promereri, in ipſa regiæ ſedis civitate, quam Albam vocant, in ejusdem perpetuæ Virginis laudem & honorem grandem & inſignem, atque in primis celebrem, baſilicam condidit.* Pari pietate ſe ipſum & regnum, ut ſupra vidimus, in Beati Petri tutelam ſanctus Rex tradiderat, atque in ejusdem Divi honorem præter Epiſcopatum Quinqueeccleſienſem, celeberrimum inſuper, teſte *Thuroczio*, monaſterium in veteri Buda ædificare cœperat. Sublato e mortalium oculis hoc ſole, ſæva tempeſtas non Jus modo hoc Regium, ſed Eccleſiam etiam Hungaricam univerſam excepit, & pene obruit. Impar quippe adhuc tum erat ferendis temporum viciſſitudinibus, quas inteſtinæ ſeditiones, & coronæ in primis æmuli procurabant. Succeſſerat *Divo Stephano* Petrus, e ſorore nepos; *de Venetia natum Hermannus Contractus* adpellat, *Teutonicum* alii vocant. Hic deſpecta gente Hungarica, cujus felicitatem atque gloriam quærere debebat, gravis eſſe in omnes cœpit; de qua præcipue vi ac tyrannide anno CIↃXLI. regno privatus eſt. Quam ſapienter igitur, pro ſuperi! *ſanctus Stephanus* Rex, cui mores gentis ſuæ probe erant perſpecti, *Emericum* filium ſuum monuerat: *Quis*, inquit, *Græcus regeret Latinos Græcis moribus? aut quis Latinus Græcos, Latinis regeret moribus? Nullus. Idcirco conſuetudines ſequere meas, ut inter tuos habearis præcipuus, & inter alienos laudabilis* (1). Ad quem locum exclamat *Inchoferus*: *Utinam id feciſſent poſteri! Aba*, ut optime *Timon*, *Saroltam S. Stephani* Jo-

1) *Decret. S. Steph. Lib. I. Cap. VIII.* §. 4.

Digitized by Google

ſororem, in matrimonio habens, ex magiſtratu Palatini Petro ſucceſſit, Petrus fuga elabitur ad Marchionem Adalbertum: hoc reconciliato, Henricum, Germaniæ Regem, ſupplex accedit, veniamque commiſſorum orat, atque impetrat. Anno CIϽXLII. *Aba ob ſuſceptum hoſpitio Petrum pugnat in Henricum, ingreſſuſque Bavariam (hodie Auſtriam) ab utraque Danubii parte eam populatur. Cæditur una pars exercitus ejus fere ad internecionem ab Alberto Marchione, & filio ejus Leopoldo. Ipſe Henricus in autumno in Hungariam delabitur; primoque impetu Hamburgum (Hunnoburgum) & Poſonium diruit: moxque uſque ad Granum flumen excurrens ſui juris facit plagam circumjacentem. Novum Regem Hungaris dat anonymum in Bohemia exulem. Anno* CIϽXLIII. *Hunc fugat Aba: proceres, ſeu novo Principi, ſeu Henrico adhærentes, Cſanadini interimit; reliqui ad Henricum confugiunt. Anno* CIϽXLIV. *Henricus III. immanitatem Abæ ulturus, penetrat in Hungariam; trajectoque Arabone ultra Jaurinum ejus copias profligat die quinta Julii. Petrum in regnum reponit, & lege Bavarica Hungaros donat. Anno* CIϽXLV. *Petrus Rex accepti beneficii memor ſolemnibus Pentecoſtes Henricum Imperatorem officioſe invitatum ſplendido apparatu ſuſcipit, & ampliſſimis donariis remuneratur. Exiſtimant multi, quod ne noſtri quidem ſcriptores occultant, regnum Hungariæ ſtipendiarium fuiſſe factum Henrico; quod ipſum ægerrime tulerunt optimates Hungari.* Hactenus *Timon*. Quæ ultima *Turoczius* Chronici ſui Cap. XXXVIII. narrat hunc in modum: *Sequenti vero anno reverſus eſt Cæſar in Hungariam, cui Petrus Rex, in ipſa ſancta Paſchali ſolennitate, regnum Hungariæ, cum deaurata lancea tradit coram Hungaris, ſimul & Theutonicis multis, etiam inſuper & magnificis muneribus. Cæſar honorificatus a rege ad propria rediit cum gloria.* In hujus gloriæ teſtimonium memoratam ſupra lanceam *Henricus Georgio VI.* Summo Pontifici Romam miſerat: quod aliter, atque Henricus voluiſſet, interpretatus *Gregorius VII.* Sexti ſucceſſor, hanc ipſam lanceæ oblationem in argumentum ſumpſit, quo, cum *Salomoni*, tum *Geyſæ I.* Hungariæ Regibus, perſuaderet, Regnum Hungariæ Apoſtolicæ ſedis hæreditarium eſſe; qua de re diligentius paulo poſt. Scribit porro *Timon: Anno* CIϽXLVI. *In autumno Hungari evocant Andream & Leventham (Ladislai Calvi (1) filios) exules in Ruſſia. Petrus cum conjuge in Auſtriam feſtinat, retractus excæcatur, & Albam regalem cuſtodiendus mittitur. Anno*

CIϽXLVII.

1) *Ladislaus Calvus Hungaris Kopaſz Láſzló, filius Michaëlis, filii Tocſun ducis.*

CIↃXLVII. *Andreas cum fratre in Hungariam venit.* Hæc Timon. *Populus interea*, inquit Péterfius (1), *ubi de adventu exulum percrebuerat, Vatha Duce, efferbuit in apertum ſcelus. Homo perditiſſimus compoſita oratione eo plebem adegit, ut ritus Scythicos reficeret & Chriſtianum nomen palam inſectaretur . . . Quæ hortatio nimium quantum valuit in animis ad turbas alioquin propenſis. Auxit Vathæ fidem Andreæ indulgentia; qui, ne ſpe adipiſcendi regni excideret, furenti populo facile conceſſit, ut, ſi quæ micabat, veræ fidei ſcintillla, Chriſtianorum ſanguine reſtinguatur. Sævitum itaque ſine diſcrimine ætatis, ſexuſque in omnes, qui fidelium numero cenſebantur. Protracti ad cruciatus, aut depulſi locis ſuis Religioſi; flammis ferroque abſumpta aſceteria, templa . . . Vaſtata hunc in modum patria, Andreas & Leventa, oppreſſo jam Petro, metu liberi, è confiniis, ubi conſtiterant, Hungariam ingreſſi ſunt, pronos in ſe reperere procerum animos; de quorum etiam voluntate Andreas Albam inductus in Regem inauguratur a tribus Epiſcopis (nec enim plures è communi illo naufragio remanſerunt) Mauro ſcilicet Quinqueeccleſienſi, Modeſto Jaurinenſi, & Neæmia, ab eodem Andrea Strigonienſi poſtea mitra donato . . . Abiit interim Leventa è vivis: Vatha, conſcientia perculſus, in Bulgariam ſe ejecit; quorum exceſſu Eccleſia & Reſpublica ad ſereniorem faciem reſpiravit. Atque hæc unica poſt Stephani mortem defectio a Chriſtianis ſacris apud Hungaros memoratur. Sumptis jam inſignibus Andreas reſipiſcens, de integrandis Hungariæ rebus, cogitatum ſuſcepit & perfecit feliciter.* Hæc ille; *Anno* CIↃXLVIII. *Proſcripto*, inquit *Timon*, *a Rege profano cultu Deorum, monachi ad ſua domicilia redeunt . . . Anno* CIↃLI. *Henricus Imperator, nihil precibus Romani Pontificis, nihil Andreæ promiſſis motus, Hungariam cum duobus validis exercitibus aggreditur . . .* CIↃLII. *Leo Papa venit in Germaniam ad conciliandos animos Henrici & Andreæ. Sophia, Henrici Imperatoris filia, deſponſatur Salomoni, Andreæ Regis filio.* CIↃLIII. *Solomon quinquennis Rex coronatur . . .* CIↃLIV. *Bela, frater Andreæ Regis, quod in coronationem Salomonis invitus conſenſiſſet, res novas moliturus abit in Poloniam. Andreas Salomonem ad Cæſarem mittit . . . Anno* CIↃLVI. *Obitus Henrici III. Imperatoris.* CIↃLIX. *Boleslaus Rex Poloniæ, Belæ exulis & uxoris ejus, amitæ ſuæ, precibus fatigatus, bello adoritur Andream Regem. Hic Henricum IV, tertii filium, adhuc puerum, Romanorum Re-*

 gem

1) *Concilior. Hung. P. I. p. 11.*

Digitized by Google

gem, cum matre Agnete regnantem, & Vratislaum, affinitate ſibi junctum, Bohemiæ Ducem, in armorum ſocietatem evocat. Committitur ad Tibiſcum acre prælium. Capiuntur Duces Germanorum & Vratislaus Bohemus. Andreas Rex in fuga comprehenſus, in ſilva Bakonienſi miſere extinguitur . . . Eodem anno vel CIↃLX. *Bela Rex coronatur. Plebem veteres ceremonias & ſacra Scythica efflagitantem apud Albam regalem interimit.* CIↃLXIII. *Obit diem ſuum in oppido Demeſienſi, prolapſus e ſolio, ſeu ruina domus oppreſſus, cum jura populo diceret. Reliquit filios Geyſam, Ladislaum & Lampertum. Eodem anno Henricus IV. Salomonem reducit in Hungariam. Filii Belæ ſe ad agnatos conferunt in Poloniam. Salomon ſecundo in regem ungitur.* CIↃLXIV. *Erumpunt ex Polonia cum exercitu Belæ filii; Deſiderii tamen, Epiſcopi Jaurinenſis, induſtria bellum ſopitum eſt. Partiuntur inter ſe Principes Regnum: Salomon duas partes; tertiam, ſive Ducatum paternum, Duces accipiunt. In Baſilica Quinqueeccleſienſi D. Petri Geyſa Dux Salomonem ſacra corona tertio redimit, Regemque eſſe jubet. Pax & ſerenitas Hungariæ redire viſa.* Hæc ex Epitome *Timonis*, diligentis in primis Chronographi noſtri, carptim ſelecta adnotare libuit; ut triſtiſſimam Eccleſiæ Hungaricæ ipſiusque adeo regni conditionem, a morte ſancti Regis lectori depingerem. Tantum nempe inter virtutem & vitia, probos item ac Deo acceptos & ſceleſtos principes intereſt diſcrimen. Periclitabatur in graviſſima iſta tempeſtate Jus pariter hoc noſtrum Regium, neque alio, niſi cœleſti munere, cum religione ipſa ſalvum evaſit. Nam, quod maxima admiratione dignum eſt, quinque iſti Reges, quos per vices & vim a morte Sancti Regis inter Hungaros regnum agere vidimus, quicunque moribus, & quantulicunque pietate erant, Jure tamen hoc ſuo continenter uti, & procurandæ rei Chriſtianæ ſtudium retinere conati ſunt. *Petrus Venetus*, ut ex annalibus regni noſtri libris conſtat, Eccleſiam Quinqueeccleſienſem, *D. Petro* Apoſtolorum Principi ſacram, condidit, idemque *Anaſtaſio* Abbati montis Pannoniæ metropolitanas Colocenſis Eccleſiæ inſulas contulit anno CIↃXLVI. vel certe proxime ſequenti. *Abæ* Regis corpus, teſte *Turoczio*, tumulo inlatum fuit *in proprio monaſterio in Saar* (1). *Andreas*, poſtquam reſipuit, majora his etiam pro Apoſtolica poteſtate ſua Eccleſiæ Hungaricæ bono geſſit. Quippe *convocati*, ut ex veterum monumentis præ-

1) *MS. Caſar.* Sauis; *Chronicon Budenſe*, *Sarus*: *forte*, Sáruia.

Digitized by Google

præclare colligit *Péterfius* (1), *convocati*, inquam, *ad Comitia ordines, & qui de Clero ſupererant, eo permovere conſiliis ſuis Andream regem, uti illatam Deo, & Religioni injuriam, munificentia æque ac pœnis, in tumultuantes dictatis emendaret. In hoc itaque conventu Conſtitutiones ſeu Decreta, quæ ſub ejus nomine feruntur, edita ſunt. Unde palam intelligas, in perduelles animadverſum, periclitantem Eccleſiam erectam; in cæſorum epiſcoporum loca, illatos alios; ornatas Dei ædes; ditata cœnobia; revocatos ab exilio Religioſos.* Hæc ille; præclarum & illud eſt exerciti ab *Andrea* Juris hujus Regii argumentum: quippe, ut idem *Péterfius* laudato ſupra loco ex fundationis charta adnotavit: *Andreas Pannoniorum invictus Rex, & Chriſtianiſſimus ſceptrifer, in loco, qui vulgo dicitur Tyibon ſuper Palatin ad Eccleſiam S. Mariæ, ſanctique Aniani Epiſcopi, & Confeſſoris, pro ſua & conjugis, filiorum filiarumque & omnium parentum ſuorum, ſive defunctorum ſalute* (poſitis jam anno 1050, Cœnobii, Abbatiæ, & Baſilicæ fundamentis, voti, ad Poſonium concepti, reus, latifundia, poſſeſſiones &c. Ordini *ſancti Benedicti* tradiderit & anno 1055.) *chartalis teſtamento privilegii confirmaverit*, eadem in Baſilica ſepultus. Neque etiam omittendum illud, quod *Rado*, Comes Palatinus Regni Hungariæ, Jus Patronatus ſuum nonniſi cum conſenſu & licentia *Andreæ* Regis in Quinqueeccleſienſem Præſulem transferre potuerit. Teſtis hujus eſt Confirmatio ejuſdem Regis in Alba regia, in Congregatione Regni Anno 1057. Regni autem duodecimo, facta; cujus fragmentum memorato ſupra loco a Péterfio vulgatum eſt hoc: *Licentia piiſſimi Regis Andreæ, ejuſque fratris Adalberti invictiſſimi Ducis, partem poſſeſſionis ſuæ S. Petro Quinqueeccleſienſi ordinavit, & Maurum, ejusdem loci epiſcopum, ſpiritualem in patrem adoptavit: Eccleſiam autem, quam ſupra Dravam fluvium in honorem S. Michaëlis Archangeli ædificavit, & hanc ſancto Petro, ac præfato Epiſcopo Mauro commendavit. Monaſterium denique ſuum ſancti Demetrii, ſupra Savam fluvium, quod multis bellicis laboribus cum tota Provincia illa SANCTAE coronæ rectificavit, & iterum reaquiſivit; temporale dominium, quod Rado in illo habet, quod PATRONATVM vocant, dedit etiam ſancto Petro Quinqueeccleſienſi & Patri ſuo Epiſcopo Mauro, ubi etiam ſepulturam voluit, & comiſit animæ ſuæ, quod ſemper ibi poſt ſuam mortem memoria animæ ſuæ & uxoris ſuæ* (Lu-

1) Concil. Hung. P. I. p. 12.

Digitized by Google

(Luciæ) *fiat. Anno* 1057. Unde præter Jus Patronatus, neceſſario conſenſu Regio in alium translatum, illud etiam intelligas, legem illam, *Divi Stephani* Decret. Lib. II. Cap. V. *Decrevimus regali noſtra potentia, ut unuſquiſque habeat facultatem ſua dividendi, tribuendi uxori, filiis . . . ſive Eccleſiæ*, intellectam ſemper a majoribus noſtris fuiſſe cum hoc addito: *citra fraudem Fiſci*; quemadmodum eam recte poſtea *Ludovicus I. in Concluſione* interpretatus eſt. Tollat deinde hinc etiam ſibi Cl. *Schwartzius*, Coronam Hungaricam non hodie, aut nudius tertius, ſed jam ſub *Andrea I.* ſive Anno 1057 adpellatam fuiſſe *Sanctam*: unde maximum rurſus pondus accedit *Silveſtrinis* litteris, quæ monitu Angeli eam a Romano Pontifice ſubmiſſam fuiſſe, adſerunt. At neque *Bela I.* qui *Andreæ* ſucceſſit, Apoſtolico muneri ſuo defuit: locupletiſſimum huic rei dat teſtimonium abbatia Széxardienſis, Anno CIↃLXI ab eodem Rege condita, ampliſſimiſque ditata latifundiis, redditibus, juribus, ut omnibus rerum noſtrarum non incuriis notum. Anno CIↃLXIII, ut jam adnotavi, Obiit *Bela* in oppido Demeſienſi, cui *Salamon* Rex, *Andreæ Regis* filius, ab *Henrico IV.* Imp. in Hungariam reductus, in ſolio ſucceſſit.

CAPVT VI.

Gregorius VII. *Summus Pontifex, Regnum Hungariæ Romanæ ſedis hæreditarium eſſe, contendit; ſive prima de Silveſtrinis litteris mota controverſia.*

Jure hoc ſuo Regio pacifice *Salomon* uſus eſt ad annum CIↃLXXIII, quo *Hildebrandus* in ſummum Pontificem, *Gregorii VII.* adſumpto nomine, electus eſt. Acerrimum vindicem jurium eccleſiaſticorum *Gregorium VII.* fuiſſe, notum eſt omnibus. Hinc illa *Henrici III.* Romanorum Imperatoris depoſitio; hinc imperium *Rudolpho* delatum cum corona, hoc verſiculo inſcripta: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho*; hinc epiſtola & legationes duæ, in Hiſpaniam miſſæ, pro recuperandis Romanæ eccleſiæ juribus; hinc ejuſdem Pontificis litteræ de denario, ſingulis in Francia & Anglia domibus impoſito; hinc denique, ut centena alia omittam, ejus epiſtola increpatoria ad *Salomonem*

Re-

Digitized by Google

Regem noſtrum miſſa, & a *Baronio* ſemel atque iterum vulgata (1), cujus exemplum accipe:

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Salamoni Regi Hungarorum Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Litteræ tuæ ad nos tarde propter moram Nuncii tui allatæ ſunt: quas quidem multo benignius manus noſtra ſuſcepiſſet, ſi tua incauta conditio non adeo beatum Petrum offendiſſet. Nam ſicut a majoribus patriæ tuæ cognoſcere potes, regnum Hungariæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium eſt, a Rege Stephano olim beato Petro cum omni jure & poteſtate ſua oblatum, & devote traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator ad honorem ſancti Petri regnum illud expugnans, victo Rege, & facta victoria, ad corpus beati Petri lanceam coronamque tranſmiſit, & pro gloria triumphi ſui illuc regni direxit inſignia, quo Principatum dignitatis ejus attinere cognovit. Quæ cum ita ſint, tu tamen in cæteris quoque a regia virtute & moribus longe diſcedens, jus & honorem ſancti Petri (quantum ad te) imminuiſti & alienaſti, dum ejus regnum a Rege Teutonicorum in beneficium (ſicut audivimus) ſuſcepiſti. Quod ſi verum eſt, qualiter gratiam beati Petri, aut noſtram benevolentiam ſperare debeas, tu ipſe, ſi juſtitiam vis attendere, non ignoras: videlicet te non aliter eam habiturum, nec ſine Apoſtolica animadverſione diu regnaturum, niſi ſceptrum regni, quod tenes, correcto errore tuo, Apoſtolicæ non regiæ majeſtatis beneficium recognoſcas. Neque enim nos timore vel amore, aut aliqua perſonali acceptione (quantum Deo adjuvante poterimus), debitum honorem ejus, cujus ſervi ſumus, irrequiſitum relinquemus. Verum ſi hæc emendare, & vitam tuam (ut regem decet) inſtituere, &, Deo miſerante, adornare volueris; procul dubio dilectionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut matris dilectus filius, & noſtram in Chriſto amicitiam plene habere poteris. Dat. Romæ quinto Kal. Novembris, Indictione XIII.

Hæc *Gregorius VII.* Porro rota chronica deſignat annum *milleſimum ſeptuageſimum quartum* (2) Pontificatus *Gregorii ſeptimi ſecun-*

N dum

1) *Ad annum videlicet 1000. n. XX. & 1074. n. LXXXII.*

2) *Male Baronius ad annum 1000. n. 20. tertium; quod ad an. 1074. correxit.*

dum, & Regni *Salomonis* Regis ultimum; quo videlicet cum Ducibus *Geyſa* & *Ladislao* ſocia, ut videtur, arma jungente Henrico IV. de Regno diſceptavit. Igitur dicit Pontifex: *Nam ſicut a majoribus patriæ tuæ cognoſcere potes, Regnum Ungariæ Romanæ Eccleſiæ proprium eſt, a Rege Stephano olim beato Petro cum omni jure & poteſtate ſua oblatum & devote traditum.* Neque *Salomon* Rex, neque ſucceſſor ejus *Geyſa*, ſimilibus plane ejuſdem Pontificis pulſatus litteris, Pontificiæ huic objurgationi morem geſſit; quod inſigni argumento eſt, *a majoribus id patriæ ſuæ cognoſcere* haudquaquam potuiſſe. Enimvero, ut jam ante oſtendi, nunquam Hungari per Pannonias ea reip. forma ſunt uſi, qualem iſta *Oblatio*, ut legitima & ſimilis vero ſit, fuiſſe ſupponit. Jus electionis Regum plenæ & liberæ quanta optimates populuſque Regni pertinacia ſemper ſint tuiti, Europæ univerſæ notum eſt. De monumentis litterarum, pridem jam fuiſſent e tenebris prolata, ſi exiſterent quæpiam, quæ legitime docere poſſent, Divum Regem *Stephanum* cum optimatibus regni ac populo, oblatione ſua, eximio huic gentis liberæ juri cedere, vel illud certis limitibus circumſcribere, voluiſſe. Dum ergo *Silveſter* in litteris ſuis ſcribit: *Tum vero largitatem liberalitatis, qua B. Petro, Apoſtolorum Principi, Regnum ac gentem, cujus Dux es, cunctaque tua, ac te ipſum per eoſdem Legatos & litteras perpetuum obtuliſti*; rerum noſtrarum peritis abunde indicat, *Stephanum* Ducem, nondum Regem, nondum abſoluta poteſtate Hungariæ Dominum, in tutelam tantum & patrocinium futurum regnum ſuum & gentem Hungaricam tradere voluiſſe; eadem plane pietate, qua idem regnum, ſeque gentemque ſuam Divæ Virgini Matri obtuliſſe ſcimus, teſte *Carthuitio* Cap. III. *Erat*, inquit, *interea Rex idem fidelis in omnibus actibus ſuis, Deo perfecte deditus, per votum & oblationem ſemet ipſum cum regno ſuo ſub TVTELA perpetuæ Virginis Dei Genitricis Mariæ PRECIBVS aſſiduis conferens.* Et Cap. V. ubi beatiſſimo abitui vicinum, ſaluberrima ſuis monita dantem, regnumque beatæ Virgini commendantem inducit: *His*, inquit, *dictis manus & oculos levans ad ſidera, ſic exclamavit: Regina cœli, reparatrix inclyti mundi, tuo PATROCINIO ſanctam Eccleſiam, cum epiſcopis & clero; regnum cum Primatibus & populo ſub tuis PRECIBVS committo.* Iſta pariter ratione *Tutelæ, patrocinio, precibus Divi Petri*, cujus non ſecus ac Magiſtri ejus re-

Digitized by Google

regnum non eſt de hoc mundo, commendatos nos ab Rege noſtro fuiſſe, ſcimus; & omnem aliam, quæ terrena ſapiat, oblationem cum *Salomone* rege cunctiſque majoribus noſtris ignoramus. Altera Pontificis ratio eſt: *Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator ad honorem Sancti Petri regnum illud expugnans, victo rege, & facta victoria, ad corpus beati Petri lanceam coronamque tranſmiſit, & pro gloria triumphi ſui illuc regni direxit inſignia, quo Principatum dignitatis eius attinere cognovit.* Pertinent iſta ad annum CIↃXLV, quo, ut jam ſupra ex *Turoczio* indicavi, *Petrus Venetus*, Hungariæ Rex, *Henrici III.* Romanorum Imperatoris armis in Hungariam reductus, *in ipſa ſancta paſchali ſolennitate regnum Hungariæ cum deaurata lancea tradidit* (Imperatori) *coram Hungaris ſimul & Theutonicis multis.* Obſoleta iſta, & periculi atque invidiæ plena, majori luce & opera mea digna non duco. Notum eſt infelicis *Petri Veneti* in gentem Hungaricam odium, notum ingenium, cujus ſimul & tyrannidis ſuæ merita dedit pœnas genti liberæ. Etenim quod is, grati animi ſui ergo, offerre Cæſari auſus eſt, id ad gentem univerſam non pertinet, cujus adſenſus, ut homagium eſſet legitimum, erat neceſſarius. *Regnum cum lancea obtulit*, inquit *Turoczius*, & id ipſum, ut recte *Timon*, *ægerrime tulerunt optimates Hungari*: per tyrannidem igitur, quia vi & citra conſenſum regni. Teſtes hujus ſunt certiſſimi *Andreas* & *Leventa*, anno proxime ſequenti ab Optimatibus & populo contra Tyrannum ex Ruſſia evocati. De *Henrico III.* Imperatore, is profecto notior omnibus eſt, quam ut quis credere velit, eum Hungariam alienis auſpiciis expugnare, atque uſurpare voluiſſe; ut ſilentio prætercam, regnum a *Petro* per tyrannidem oblatum, & ſigna hujus illegitima ac ſcenica. At vero hæc, ut dixi, obſoleta, et litterarum ſanæque mentis luce indigna in ſuo ſitu & tenebris putreſcere ſinamus. Quod ad propoſitum meum magis pertinet, non ultimum illud eſt, quod laudatæ Pontificis litteræ luculento itidem ſint teſtimonio, *Gregorium VII*, cum ad *Salomonem* Regem ſcriberet, litteras *Silveſtri II.* ſub oculis habere debuiſſe; ait enim: *a Rege Stephano olim beato Petro cum omni jure & poteſtate ſua oblatum, & devote traditum.* Hoc enim pariter ingenio oblationem Divi Regis in litteris ſuis interpretabatur *Silveſter II.* *Schwartzius* ex his, & quas mox proferam, Gregorii VII. litteris epiſtolam *Silveſtri* confictam fuiſſe,

temere prorſus atque inſcite contendit; quod haud quaquam inique a me adſertum eſſe, mox oſtendam.

CAPVT VIII.

Gregorii VII. ſummi Pontificis, de eadem re ad Geyſam I. Hungariæ Regem, Litteræ.

Anno cIↃLXXIII inter *Salomonem* & *Geyſam* atque *Ladislaum*, *Belæ* primi filios, Hungariæ Duces, gliſcere cœperant odia, quæ anno proxime ſequenti in apertum bellum eruperunt. Eodem hoc anno datas a *Geyſa* ad *Gregorium VII.* fuiſſe litteras, conjicere licet ex iis, quas a *Gregorio* reſcriptas vulgavit *Harduinus Concil. Tom. VI. P. I. pag.* 1240. in quibus Pontifex hæc in aliis nunciat: *Et ſi quis inimicorum tuorum aliquid adverſum te moliri prave tentaverit, procul dubio non ſolum noſtra carebit audientia, ſed indignationem Apoſtolicæ gratiæ, in eum exaſperari ſentiet . . . Data Romæ in ſynodo, decimo ſexto Kalendas Aprilis, Indictione duodecima.* Videlicet anno Redemptoris cIↃLXXIV.; ad quem *Timon* adnotat: *Regis & Ducum bellum pertinax: primum rex vincit, deinde Duces, aucti & firmati Bohemorum viribus. Salomon ſe recipit Moſſonium, magis crediderim Ovarinum;* corona Hungarica ter fruſtra incinctus. Eodem anno *Geyſa* regni coronam ſuſcepit, ad quem anno proxime ſequenti, *tertia & vigeſima* die menſis Martii idem *Gregorius* litteras, ab laudato *Harduino* (1) juris publici factas, dedit, hoc exemplo:

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Geyſæ Hungariæ Duci, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Licet per legatos, quos pridem ad nos direxiſti, miſerimus tibi litteras, quas nondum te aſſeris accepiſſe, iterum tamen pro caritatis affectu, qua omnes reges & principes, ut filios, admonemus, ſcribimus ad te, deſiderantes tibi cum juſtitia quæcumque ſunt honoris & gloriæ. Multa quippe bona de te mihi relata ſunt, atque ex tuis actibus honeſta fama ad aures noſtras uſque pervenit: pro quibus diligimus te & cupimus, ut fama cum rei

1) Concil. Tom. VI. P. I. p. 1310.

rei veritate ſemper aſcendat. Notum autem tibi eſſe credimus, regnum Hungariæ, ſicut & alia nobiliſſima regna in propriæ libertatis ſtatu debere eſſe, & nulli regi alterius regni ſubjici, niſi ſanctæ & univerſali matri Romanæ eccleſiæ; quæ ſubjectos non habet ut ſervos, ſed ut filios ſuſcipit univerſos. Quod quia conſanguineus tuus a rege Teutonico, non a Romano Pontifice uſurpative obtinuit, dominium ejus, ut credimus, divinum judicium impedivit. Cum vero res in manibus tuis ſit, hortamur te, ut interim circa eccleſias curam habeas, circa religionem ſummum ſtudium geras, talemque obedientiam legatis ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cum ad te venerint, exhibeas, quatenus interceſſione beati Petri in gloria & honore utriuſque vitæ proficias. Data Romæ, decimo Kalendas Aprilis, indictione decimatertia.

Hactenus exemplum *Gregorii* litterarum, quæ eorum temporum mores, ingenium, ſtylum, palam præ ſe ferunt. Summa igitur criminum, ob quæ *Salomon* regnum amiſit, eſt; quod videlicet illud *a rege Teutonico, non a Romano Pontifice uſurpative obtinuit.* Obſcura hæc, mihi quidem, admodum eſſe videntur: vel enim primo regni ſui anno *Salomon* regnum Hungariæ ab *Henrico IV. Rom. Imperatore obtinuit*, vel ſequentibus, aut certe ultimo: ſi primo, ex ſilentio *Alexandri II.* Summi Pontificis conjicimus, nulla id Romanæ ſedis injuria fuiſſe factum; ſi ultimo, aut proxime ſuperioribus, culpa profecto non *Salomonis*, ſed *Henrici* fuit, qui, ut adparet, non credidit, *regnum Hungariæ, ſicut & alia nobiliſſima regna . . . nulli regi alterius regni ſubjici, niſi ſanctæ & univerſali matri Romanæ Eccleſiæ.* Objurgandus igitur Imperator erat, quod lanceam & coronam ad Pontificem non miſerit. Sed nempe, *Salomonem* regnum Hungariæ ab Imperatore non habuiſſe, ferme certum eſt. Pontifex ipſe in epiſtola ad *Salomonem* ſua ſcribit: *Sicut audivimus*; quod facile ab æmulis confingi, & ad Pontificem deferri potuit. Tertia *Gregorii* ad *Geyſam* epiſtola eodem anno CIↃLXXV. 14. menſis Aprilis ſcripta, legitur apud laudatum *Harduinum* pag. 1316, in qua Pontifex optat, ut pax inter eum & *Salomonem* regem coaleſcat. Repetit iterum, merito jus regni a *Salomone* ad eum fuiſſe translatum. Addit denique: *Quapropter ſi quid vis, ſi quid habere a Romana Eccleſia digne ſperas, nobis confidenter volumus, ut aperias; & quæ tua ſit devotio erga univerſalem matrem, qualiterque illi ſtatueris obedire, ſanctamque reverentiam exhibere operibus, ſicut te decet,*

 oſten-

oſtendas. Quæ ultima voluntatem Pontificis non obſcure indicant; cui tamen *Geyſa* morem nunquam geſſit, ut omnibus notum. Functus contra Apoſtolico munere ſuo eſt peregregie; quod, condita, teſte *Timone*, ab eo abbatia *ſancti Benedicti* ad Granum (1); amplificatum Vacium cum Baſilica *Divi Petri*; item B. V. Mariæ templum Budæ veteris ex voto poſitum, præclare oſtendunt. Reliquum eſt, ut, quod ad rem meam facit plurimum, ne omittam. In litteris *Gregorii*, quas hic integre protuli, Pontifex ſcribit: *Sanctæ & univerſali matri Romanæ Eccleſiæ, quæ ſubjectos non habet ut ſervos, ſed ut filos ſuſcipit univerſos.* Hæc ipſa plane verba leguntur in epiſtola *Silveſtri II.* hunc in modum: *Seque ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ ſubditos non habet ut ſervos, ſed ut filios ſuſcipit univerſos.* Quæ certiſſimo indicio ſunt, *Gregorium VII.* dum has etiam ad Regem *Geyſam* litteras ſcriberet, *Silveſtri II.* epiſtolam legiſſe, eamque his verbis deſignare voluiſſe. Cl. *Schwartzius*, ut jam ſupra monui, *Silveſtrinas* potius litteras cum ex his & ſuperioribus *Gregorii* litteris, tum etiam ex vita *Divi Stephani* a *Carthuitio* ſcripta, compoſitas confictasque eſſe vult. Poſteriores iſtæ *Gregorii* litteræ, ut recte obſervat *Stiltingus* n. 253. ne notæ quidem *Inchofero* fuerunt, utpote a *Collectoribus Conciliorum* ſerius editæ; qui itaque laudata verba ex illa deſumi poterant? Vitam *Divi Stephani* a *Carthuitio* ſcriptam contra Cl. *Schwartzium* tuitus jam eſt eruditiſſimus *Stiltingus*; rationes meæ pro Silveſtrinis pariter litteris militant, ac pro laudata vita a *Carthuitio* ſcripta: Utrique huic monumento optime convenit cum omnibus coævis & toto orbe ſparſis ſcriptoribus: quæ etiam cauſa eſt, cur opinionibus Cl. *Schwartzii*, utpote novis & cum veritate pugnantibus, admodum ſint adverſa.

CAPUT IX.

Iisdem litibus Divus Ladislaus, Hungariæ Rex, a Gregorio VII. laceſſitus.

Anno CIↃLXXVII. *Geyſa* Rege e vivis erepto, in throno Hungariæ ſucceſſit *Ladislaus*, ejus Germanus, ob ſingularem vitæ ſanctitatem

1) *In vetuſtis monumentis* Gronus *ſcribitur; dicebatur igitur. olim a Slavis accolis* Gron; *quibus modo* Hron *audit: familiari apud Slavicas gentes analoge elementorum H & G.*

tatem Divorum poſtea catalogo adſcriptus. *Magnum diſcrimen*, inquit *Timon*, *ac diſſidium eſt inter hiſtoricos de anno primo regni ſancti Ladislai.* Probabiliori tamen calculo, ut eidem etiam videtur, hoc anno coronatus eſt; quod ex *Gregorii* epiſtola, ad *Neæmiam*, Metropolitam Strigonienſem, hoc eodem anno die IX. Junii data, clarum ferme certumque eſt. Laudatus quippe Pontifex de electione *Ladislai*, ipſius, ut videtur, Regis litteris certior factus, haudquaquam æquo iterum animo tuliſſe videtur, non ea in litteris Regiis nunciari, quæ is tum a *Salomone*, tum a *Geyſa* Regibus ſcriptum atque præſtitum eſſe volebat. Igitur ad *Neæmiam*, archiepiſcopum Strigonienſem, litteras dat & monet: Regem nuper electum cohortetur, ut debitum per legatos obſequium ſedi Apoſtolicæ præſtet. Litteræ *Gregorii* in *Coleti* editione Conciliorum Veneta exſtant Tom. XII. pag 402. hoc exemplo:

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Nehemiæ Strigonienſi in Hungaria Archiepiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Non admirari te volumus, qua de cauſa fratrem iſtum, videlicet harum litterarum portitorem, tamdiu nobiſcum retinuerimus &c. De cetero admonemus fraternitatem tuam, ut regem, qui inter vos electus eſt, cum aliis tuis confratribus & principibus terræ alloquaris, notificantes & conſulentes ſibi, ut apertius *nobis ſuam voluntatem, & erga reverentiam ſedi Apoſtolicæ debitam per idoneos legatos denuntiet devotionem: & ita demum, quod ad nos attinet, ad honorem Dei omnipotentis & beati Petri Apoſtolorum principis benigne ſibi reſpondebimus, & excellentiæ ſuæ ad ſuam & totius regni utilitatem ſanctæ & Apoſtolicæ auctoritatis ſtudium cum omni caritate & benevolentia exhibere curabimus. Cetera vero, quæ longum erat in epiſtola, viva fideliter voce nunciabit, ſicut in ejus ore poſuimus. Data Carpinetæ V. Idus Junii, Indictione decima quinta.*

Hæc Pontifex. Reverendus & Cl. Vir *Nicolaus Schmitth e Soc. J.* in Archiepiſcopis ſuis Strigonienſibus Part. I. p. 36. ſcribere non dubitat, conſtare e publicis monumentis, *Ladislaum*, qua erat obſervantia erga Chriſti Vicarium, & *Neæmiam*, omnia ad votum *Gregorii* præſtitiſſe. Optaſſem ſane, indicaſſet monumenta illa vir doctus, quorum teſtimonio certum id eſſe poterat: nam ex aliis *Gregorii VII.* ad

La-

Ladiſlaum litteris, anno 1079. ſcriptis, & indicato ſupra Conciliorum tomo pag. 447. vulgatis, hoc ſolum colligere licet, *Ladiſlaum* devotionem ſuam & pietatem adverſus *Divum Petrum* fuiſſe teſtatum; ſcribit enim Pontifex: *ſicut fidelium tuorum crebra relatione cognovimus, idemque ipſum noſtris atteſtantibus ratum habemus, excellentia tua ad ſerviendum beato Petro, quemadmodum religioſa poteſtas debet, & ad obediendum nobis, ut liberalem filium decet, toto affectu & cordis intentione parata eſt.* Quæ profecto non aliud, niſi piam eccleſias Chriſti defendendi, & in *ſpiritualibus* ſummo Pontifici parendi promptitudinem demonſtrant, & a ſubjectione, qua Pontifex Hungariam, Romanæ ſedi eſſe obſtrictam, contendebat, toto cœlo ſunt diverſa. Ad Jus Patronatus Regium quod attinet, certiſſimum ex his omnibus fit, illud ne a *Gregorio ſeptimo* quidem in dubium vocatum, impugnatumve fuiſſe. Erant nempe in recenti memoria *Silveſtri II.* litteræ; & Reges noſtri, in primis vero *Ladislaus*, Divi *Stephani* pietatem æmulari, & poteſtate ſua legitime uti vel maxime ſtuduerunt. Quamobrem idem *Gregorius* in litteris ſuis, ad *Ladiſlaum* datis, monuiſſe tantum ſatis habuit: *De cetero*, inquit, *prudentiam tuam monemus, ut viam juſtitiæ ſemper ſtudeas irreflexo calle tenere, & viduas & orphanos & peregrinos paterna pietate tueri, eccleſias non modo non lædere, ſed etiam ab arrogantium & invaſorum petulantia & temeritate defendere, nec non & alia, quæ recte intelliges, procures diligenter ſervare.* Nempe commendabat his Pontifex Regi, *ut ſecundum quod divina gratia eum docuerit, eccleſias regni ſui diſponat, atque ordinet*, pro poteſtate Apoſtolica, Regibus Hungariæ a *Silveſtro II.* conceſſa. Etenim quam caſte, quam ſancte poteſtate iſta *Ladislaus* ſit uſus, non aliunde melius, quam ex *Decretis* ejus conjicias. Continent hæc conſtitutiones ſaluberrimas tum eccleſiaſticas, tum civiles, in Synodo, vel Comitiis Regni Anno ƆƆXCII ab eodem Rege perlatas. Repetita hic legitur illa *Divi Stephani Decret. Lib. II. Cap. XIII.* lex his verbis: *Eccleſias propter ſeditionem deſolatas, aut combuſtas juſſu regis Parochiani reſtaurent; calices & veſtimenta ex ſumptu Regis dentur, libros Epiſcopus provideat.* Quin etiam, ut ejuſdem Synodi verbis utar: *a Venerabili Rege ſtatutum eſt, & univerſis Epiſcopis collaudatum, & Canonizatum, ut vigiliæ celebrentur Beati Stephani Regis & Gerhardi Martyris &c.* Quæ, & aliæ hoc genus conſtitutiones, ab rege ſtatutæ, cla-

Digitized by Google

clariſſime indicant, Regem *Ladislaum* Apoſtolica hic poteſtate ſua fuiſſe uſum. Quare mirari ſubit *Péterſium*, qui ad Canonem de Vigilia Beati Stephani & Gerhardi adnotare non dubitat (1): *Habes*, inquit, *ex hoc Decreto Regem Ladislaum non ita ſtatuiſſe, quaſi PRAESIDERET, ſed PROPOSVISSE duntaxat, & ſententiam ſuam, religioni maxime conſentaneam, in medium attuliſſe &c.* At vero oblitus erat vir doctus eorum, quæ in prologo ejusdem ſynodi de *Præſidentia Divi Ladislai* adnotantur his verbis: *In Civitate Szabolch S. Synodus habita eſt, PRAESIDENTE Chriſtianiſſimo Ungarorum Rege Ladislao.* Clara hæc, puto, ſunt & perſpicua; adnotare idcirco potius debebat *Péterſius*: Præſediſſe quidem *Divum Ladislaum* Szabolcſenſi ſynodo, & Conſtitutiones Eccleſiaſticas ab eo eſſe perlatas, verum non ut ab Rege, ſed ut ab LEGATO, & Vicaria Apoſtolica poteſtate, ex conceſſione Romanæ ſedis, in regno ſuo utente; quod indicio *Raynaldi* (2) videre, non erat difficile.

CAPVT X.

Eadem poteſtate Colomanum Regem, Divi Ladislai ſucceſſorem, fuiſſe uſum, oſtenditur.

Anno CIϽXCVI. *Divo Ladislao* e mortalium numero exempto ſucceſſit *Colomanus*, ex fratre *Geyſa* nepos. Jurium Coronæ libertatumque regni fuiſſe retinentiſſimum, annales libri noſtri reſque ab eo ſapienter ac feliciter geſtæ loquuntur. Exſtant in *Corpore Juris* noſtri Decretorum *Colomani* Regis Libri duo, Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, vicaria ſedis Apoſtolicæ poteſtate, perlatis referti. Prima omnium eſt hæc (3): *Placuit Regi & communi Concilio, ut dotes cujuslibet poſſeſſionis, monaſteriis ſeu Eccleſiis a Beato Stephano Rege diſpoſitæ, inconvulſæ remaneant.* Canonem hunc cum aliis ex Decretorum *Colomani* libris excerptum, vulgavit *Péterſius Concilior. Hung. P. I. p.* 40. Mira ad eum in adnotatione ſua ſomniat vir doctus, dum invidorum cauſa, quorum oculos epiſcoporum & monaſteriorum proventus ferre

1) *Concil. Hung. P. I. p. 33.*
2) *Ad annum 1232. n. 24.*
3) *Decret. Lib. I. Cap. I.*

Digitized by Google

re non potuiſſe fingit, legem hanc a *Colomano* conditam eſſe commemorat. At vero nihil opus erat ſuſpicionibus iſtis leviſſimis; etenim *Albricus*, Decretorum *Colomani* Regis compillator coævus, clariſſimis in prologo verbis teſtatur: *Colomanum* Regem, *Regni principibus congregatis, totius ſenatus conſultu præfati Regis ſanctæ memoriæ Stephani legalem textum RECENSVISSE, de quo*, inquit laudatus Albricus, *ſi rem conſideres, nihil comminuit, ſed auxit, non tamen quaſi fundator, ſed ſuperædificator.* Non igitur hæc nova lex, neque perlata eſt bonis Eccleſiaſticis invidentium cauſa; ſed confirmata ſolum, ut perlata olim fuit a Divo Rege *Decret. Lib. II. Capite* itidem *primo. Colomani* propriæ ſunt Lib. I. Cap. XV. *Quia eo minus videtur valere Curia, quo minus ſuppetunt neceſſaria, ne noſtra abundantia nimis ſuperfluat penuria: placuit omnes piſtrinas, præter quas ſanctus Stephanus Rex donaverat, SOLIO REGALI REDDERE: Quia indignum erat nobis recedentibus, Curialem nobiſcum honorem recedere, ubi præſtat nos & venientes, copiam honoris invenire.* Item Cap. XVI. *ſimiliter decrevimus, piſcinas monaſteriis, vel Eccleſiæ datas alias, quidem REDDERE,* (ſolio Regali) *ſed neceſſarias quotidiano fratrum uſui relinquere, nullas vero niſi SVPERFLVAS, auferre.* Item Cap. XVII. *Vineæ, manſiones, terræ, a Regibus quibuslibet datæ, perſeverent his, quibus dabantur, & permaneant.* Item Cap. XVIII. *ſilvas Eccleſiis datas, minime auferri concedimus.* Hæc *Colomanus* Rex, partim recenſens & confirmans Decreta *Divi Stephani*, partim nova condens de bonis Eccleſiaſticis ſuperfluis, *Regali ſolio* reſtituendis, non tam ut Rex, quam ut *LEGATVS* Apoſtolicus, authoritate Pontificia in regno Hungariæ conſtitutus.

CAPVT XI.

Prima ſub Colomano Rege cum Paſchali II. ſummo Pontifice, controverſia, ob juramentum, Archiepiſcopo Colocenſi oblatum.

Anno CIↃXCVIII. ſexta decima die menſis Auguſti *Paſchalis II.* in ſummum Pontificem eligitur. Quanto ſtudio, quantaque fortitudine Pontifex iſte Jura Eccleſiaſtica contra omnes fere Catholicos principes propugnarit, eorum temporum ſcriptores diligenti narratione abun-

Digitized by Google

abunde jam proſequuti ſunt, cui immorari nunc non delectat. Prima, eaque celeberrima cum *Colomano* Rege noſtro controverſia in annum CIↃCII. incidit; quæ tamen paucis admodum fuit adhuc cognita. Litteræ quippe *Paſchalis II.* quæ ejus rei memoriam continent, diu viris doctis fuerunt ignotæ, tametſi frequenter eorum contrectarentur manibus, legerenturque. Sunt enim eæ ipſæ, quas inter *Decretales* habemus *de electione cap. IV.* ſed falſa ſub epigraphe: inſcribuntur enim *Panormitano Archiepiſcopo*; monente margine, in aliis exemplis, quod Cæſarea plurima teſtantur, *Polemenſi* vel *Colonienſi* Archiepiſcopis tribui. *Baronio* mendax inſcriptio impoſuit, unas has easdemque litteras ad annum 1102. *Panormitano* ſimul & *Polonorum* Archiepiſcopo adſcribenti. Errorem, aut mendam librarii primus obſervavit, & monuit eruditiſſimus ſcriptor *de Jure antiquo Eccleſiæ Siculæ P. II. Cap.* 17. & 18. Eruditiſſimus vero *Florens* corruptæ veſtigia ſcripturæ feliciter ſequutus, pro *Polemenſi* vel *Colonienſi* recte cenſuit reponendum *Colocenſi*, & omnem decretalem illam graviſſimis rationibus Hungaris adſeruit (1). Occaſionem litterarum & controverſiæ paucis prius indicabo. *Gregorius VII.* Pontifex Maximus, in Romana ſynodo, anno 1079. celebrata, verba quæpiam conceperat, quibus jurarent Patriarchæ & metropolitæ &c. dum pallium, ab ſede Apoſtolica conceſſum, acciperent. Ea, ad fidem Actorum ejus ſynodi ſunt ſequentia (2): *Ego N. N. Ab hac hora & in antea fidelis ero beato Petro & Papæ N. ſuisque ſucceſſoribus, qui per meliores Cardinales intraverint. Non ero in conſilio, neque in facto, ut vitam, aut membra, aut Papatum perdant, aut capti ſint mala captione. Ad ſynodum, ad quam me vocabunt, vel per ſe, vel per ſuos Nuncios, vel per ſuas litteras, veniam & canonice obediam; aut ſi non potero, Legatos meos mittam. Papatum Romanum, & Regalia ſancti Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum, ſalvo meo ordine. Conſilium autem, quod mihi crediderint per ſe, aut per Nuncios ſuos, ſive per litteras, nulli pandam, me ſciente, ad eorum damnum. Legatum Romanum eundo & redeundo honorifice tractabo & in neceſſitatibus ſuis adjuvabo. His, quos nominatim excommunicaverint, ſcienter non communicabo. Romanam*

(1) *Vide Franciſci Florentis Opera Juridica. Norimb. A. 1756. edita T. I. p. 872.*

(2) *Vide Baron. ad eundem annum.*

Digitized by Google

nam Eccleſiam per ſæcularem militiam fideliter adjuvabo, cum invitatus fuero. Hæc omnia obſervabo, niſi quantum ſua certa licentia remanſerit. Quæ formula communisne omnibus Patriarchis, metropolitis, epiſcopis fuerit, nec ne, dicere quidem non habeo; id certum eſt, *Henricum*, Aquileenſem Patriarcham, in locum *Zicardi* electum, durante memorata ſynodo, dum pallium acciperet (1), iisdem verbis juraſſe; atque idcirco maximam ſibi laudem comparaviſſe. Recentis hujus conſuetudinis, in Regno Hungariæ perferendi, non prius, ut videtur, occaſio ſe obtulit, quam a morte *Alberti*, Colocenſis archiepiſcopi, cui *Hugolinus I.* anno CIↃCII. *Colomani* Regis voluntate ſubrogatus fuit. Quippe *Hugolino*, pallium pro more a *Paſchali II.* petenti, reſcripſerat Pontifex, haudquaquam illud ſe ei conceſſurum, niſi juramentum per Nuncios ſubmiſſum, probare, & conceptis ejus verbis ſibi ac Sedi Apoſtolicæ jurare vellet. Reſcripſit *Hugolinus*: Regem *Colomanum* proceresſque regni vehementer fuiſſe admiratos, petitum ſibi pallium ea cum juramenti conditione offerri, quam is ſalva Regis authoritate adimplere haudquaquam poſſet. Commotus his, ut adparet, Pontifex, litteras archiepiſcopo *Hugolino* ſcribit, in quibus primum diligenter docet, quid ſit pallium? deinde differit de authoritate Romani Pontificis; tum ait, juramentum illud per omnes ubique provincias vigere; ad extremum, cur inductum ſit, non obſcurre innuit. At en eas ipſas (2):

Paſchalis Epiſcopus Servus Servorum Dei, N. Colocenſi Archiepiſcopo.

Significaſti frater chariſſime, Regem & regni Majores admiratione permotos, quod pallium tibi ab Apocriſariis (3) *noſtris tali conditione oblatum fuerit, ſi ſacramentum, quod a nobis ſcriptum detulerant, jurares. In pallio frater plenitudo conceditur pontificalis officii, quia juxta ſedis Apoſtolicæ & totius Eccleſiæ conſuetudinem ante acceptum pallium Metropolitanis minime licet aut Epiſcopos conſecrare aut ſynodum celebrare. Mirentur in hac*

(1) *Vid. Epiſt. Greg. VII. Lib. V. epiſt. 6. & Lib. VI. epiſt. 38.*

(2) *Baron. ad A. 1102. n. VII.* Decretales de electione cap. 4.

(3) *Nunciis.*

Digitized by Google

hac cauſa & Dominum JESVM CHRISTVM. Cum enim Dominus (1) *JESVS CHRISTVS, ut omnium ovium ſuarum curam Simoni Petro committeret, conditionem poſuit, dicens: Diligis me Simon Petre? paſce oves meas: ſi conſcientiarum factor & conditor conditione hac uſus eſt, nec ſemel tantum, ſed & ſecundo, & uſque ad contriſtationem: qua nos ſollicitudine, qua proviſione oportet tantam Eccleſiæ prælationem, tantam Chriſti ovium curam fratribus imponere, quorum conſcientias non videmus, illis maxime, quos nullo uſu novimus: quorum dilectionem penitus ignoramus? Ajunt omne jusjurandum a Chriſto Deo in Evangelio eſſe prohibitum, nec ab ipſis Apoſtolis poſt Dominum, nec in Conciliis inveniri poſſe ſtatutum. Quid eſt ergo quod idem Dominus ſubſecutus ait: Quod amplius eſt, a malo eſt? hoc enim amplius ut exigamus, malum nos, illo permittente, compellit. Nonne malum eſt, ab Eccleſiæ unitate, a ſedis Apoſtolicæ obedientia reſilire? Nonne malum eſt contra ſacrorum canonum ſtatuta prorumpere? quam multi hoc etiam poſt ſacramentum præſumpſerunt? Nonne prædeceſſor tuus præter Romani Pontificis conſcientiam damnavit Epiſcopum? Quibus hoc canonibus, quibus Conciliis legitur eſſe permiſſum? Quid ſuper Epiſcoporum translationibus loquar, quæ apud uos non auctoritate Apoſtolica, ſed nutu REGIS præſumuntur? Propter hæc mala & alia evitanda hujusmodi juramentum exigitur. Cur autem juramentum Dominus probibuerit, Apoſtolus Jacobus manifeſte adjiciens dicet: Ut non ſub judicium incidatis, ne quiſquam (ſicut & Auguſtinus exponit) aſſiduitate jurandi ad perjurium per conſuetudinem dilabatur. Quapropter juratione quis non utatur, niſi neceſſitate, cum videt pigros eſſe homines ad credendum, quod utile eſt eis credere; niſi juratione firmetur. Hoc nimirum malo ac neceſſitate compellimur juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere. Porro Apoſtolum Paulum pro auditorum diffidentia juraſſe, ejus epiſtolæ teſtantur. Ajunt in Conciliis ſtatutum non inveniri; quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint: cum omnia Concilia per Eccleſiæ Romanæ auctoritatem & facta ſint & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romana patenter auctoritas excipiatur. Nonne in Chalcedonenſis Concilii Actione XVI. ſtatutum eſt: Ante omnia quidem Primatus honorem præcipuum ſecundum canones antiquæ Romæ reverendiſſimo Archiepiſcopo conſervari? Itaque, quod cenſuerunt Rex & Magnates a ſupradicta ſacramenti conditione te quieſcere: videturne vobis judicium Evangeli-*

(1) *Jo. 21.*

gelicum? videturne Primatus noſtri honor præcipuus? Numquid animo cecidit illa ſententia Domini: Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum? Numquid Hungarico Principi dictum eſt: Et tu converſus confirma fratres tuos? Num quid hæc nos commodi noſtri profectione requirimus, & non unitatis Catholicæ ſtatuimus firmamentum? Poſſunt Apoſtolicam ſedem contemnere, poſſunt adverſum nos calcaneum elevare: datum a Deo privilegium evertere vel auferre non poſſunt, quo Petro dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &: Tibi dabo claves regni cœlorum. Quibus tamen quatuor Conciliorum decretis dandi pallii modus præſcriptus eſt, & profeſſionis vel obedientiæ ordo ſancitus eſt. Cum igitur a ſede Apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis, quæ a beati tantum Petri corpore aſſumuntur; juſtum eſt, ut vos quoque ſedi Apoſtolicæ ſubjectionis debitæ ſigna ſolvatis, quæ vos cum Beato Petro tamquam membra de membro hærere, & Catholici capitis unitatem ſervare declarent. In quibus a prædeceſſoribus noſtris ea eſt adhibita moderatio, ut nihil injurioſum, nihil difficile ſit appoſitum, quod non etiam præter exactionem noſtram ab omnibus debeat Epiſcopis obſervari, qui ſub Apoſtolorum Principum Petri & Pauli obedientia decreverunt & unitate perſiſtere. Numquid non ultra vos Saxones, Danique conſiſtunt? Et tamen eorum Metropolitani & idem juramentum aſſerunt, & Legatos Apoſtolicæ ſedis honorifice tractant, & in ſuis neceſſitatibus adjuvant, & Apoſtolorum Limina per Legatos ſuos non tantum per triennium, ſed annis ſingulis viſiſtant. Ita te frater chariſſime, fruamur in Domino, ut non per te in Eccleſiis ſubtractionis & diſſidii (quod abſit) oriatur occaſio.

Hucuſque, inquit *Baronius*, in codice Vaticano. Plurima ſunt his in litteris, quæ illuſtrare oporteret; ea nunc diligentius diſpicere non vacat. Maximi in re mea ſunt illa momenti: *Nonne prædeceſſor tuus præter* Romani *Pontificis ſcientiam damnavit Epiſcopum? quibus hoc canonibus, quibus Conciliis legitur permiſſum? quid ſuper Epiſcoporum translationibus loquar, quæ apud vos non authoritate Pontificis, ſed NUTU REGIS præſumuntur? propter hæc mala, & alia evitanda hujusmodi juramentum exigitur.* Ex quibus, ut opinor, clare perſpicere licet mentem Pontificis, qua memoratum juramentum ab Archiepiſcopo Colocenſi volebat eſſe præſtitum. Sed neque cauſæ ſunt obſcuræ, cur Rex *Colomanus* & proceres regni novam juramenti formu-

lam

lam vehementer ſint admirati. Nam primum NVTVS REGIS in *diſponendis atque ordinandis*, in Regno Hungariæ, Chriſti eccleſiis juramento hoc arctis admodum limitibus circumſcribebatur; deinde plerique ejus articuli *ex Feudalibus* videbantur eſſe deſumpti *Tit. V. & VI. Feudorum Lib. II. de forma fidelitatis*, in primis vero ille, in ea juramenti formula continebatur: *Romanam eccleſiam per ſæcularem militiam fideliter adjuvabo, cum invitatus fuero.* Hoc enim, cum archiepiſcopus Colocenſis, uſu Juris Regii, qui integro jam ſeculo viguit, Inveſtituræ tempore ſpondere Regi juratus debuit, promittere iterum juratus Pontifici, ut videtur, non potuit. Utinam *Baronius Hugolini* quoque litteras, juſſu Regis ad Pontificem ſcriptas, in lucem protuliſſet! haudquaquam enim exacte conjici poſſunt rationes omnes ex epiſtola Pontificis, quibus tunc Hungari noſtri Jus hoc ſuum ſunt tuiti. Nam illud de NVTV REGIS, deque Translationibus Prælatorum, non dubito, quin propugnarint conceſſione *Silveſtri II*; legibus a *Divo Stephano* perlatis; & præſcriptione, integri jam ſeculi uſu inducta. *Silveſter II.* hæc ſolum addiderat: *Et, ſecundum quod Divina gratia te & illos docuerit, Eccleſias regni tui præſentes, & futuras, Noſtra ac ſucceſſorum noſtrorum vice diſponere atque ordinare, Apoſtolica authoritate ſimiliter conceſſimus.* Qua authoritate nixus *Divus Stephanus*, Epiſcopos Regni Hungariæ toto vitæ tempore *bonis Regiis* adfixos eſſe noluit, perlata hac lege: *Conſenſimus igitur petitioni totius ſenatus, ut unuſquiſque dominetur propriorum, ſimiliter & donorum Regis, dum vivit: Excepto, quod ad EPISCOPATVM pertinet, & Comitatum.* (1). Quæ lex, nullius cum fraude, nullo unquam contradicente, integro jam ſeculo ſancte obſervata, negligi profecto non debuit. Quod de unitate eccleſiæ Pontifex ait; pridem jam *Gregorius I.* Epiſt. ad Leand. docuerat: *In una fide nihil officere Eccleſiæ conſuetudinem diverſam:* de qua Concilium Epheſinum œcumenicum III. anno Chriſti 431. celebratum, Canone ultimo hæc decreverat: *Placuit ſanctæ & œcumenicæ ſynodo, ut unicuique provinciæ pura & inviolata, quæ jam inde ab initio habuit, ſua jura ſerventur, juxta veterem conſuetudinem.* Addit Pontifex: *Numquid Hungarico Principi dictum eſt: & tu converſus confirma fratres tuos?* Abeſt, abſitque procul a Regibus noſtris arrogantia talis! ſciunt ac vere agnoſcunt, filios

(1) *Decret. Lib. II. Cap. 35.*

Digitized by Google

filios tantum ſe eſſe, ſingulari hac prærogativa ab aliis diſtinctos, & eorum ex numero, de quibus Auguſtinus contta Creſconium Libro III. Cap. LI. ſcribit: *In hoc Reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum, quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam, quæ pertinent ad Divinam Religionem.* Quem exitum lis iſta habuerit, tacente ad meliora monumenta *Baronio*, cognoſci recte non poteſt. Certum tamen mihi compertumque eſt, *Colomanum* Regem juramento iſto jus ſuum circumſcribi non fuiſſe paſſum. Nam, uti ex *Lucii de Regno Dalmatiæ & Croatiæ Lib. III. Cap. IV.* conſtat, quinquennio poſt Traguriniş Dalmatis hanc legem ſcripſit: *Epiſcopum vero, aut Comitem, quem Clerus & populus elegerit, ordinabo, & lege, antiquitus conſtituta, vos uti permittam*. Conſtat præterea eum *Juri Inveſtituræ* ante annum CIƆCXI. vel proxime ſequentem, non renuntiaſſe, ut paulo poſt videbimus.

CAPVT. XII.

Colomanus Rex Paſchalis II. ſummi Pontificis monitis obtemperat, & Jus Inveſtiendi per annulum & baculum Prælatos Hungariæ remittit.

Alteram ſub *Colomano* Rege de Inveſtituris Prælatorum excitatam apud nos fuiſſe controverſiam, ſcriptorum nonnulli commemorant. Princeps eorum & fons *Martinus Polonus* eſt ad *Paſchalem II.* ubi ſequentia adnotat: *Hujus etiam temporibus Rex Ungariæ, ad monitiones Papales per literas ſuas ſcribens Domino Papæ, renuntiavit inveſtituris epiſcoporum & aliorum Prælatorum, quas uſque ad illa tempora Reges Ungariæ facere conſueverant* (1). Idem & alii ex *Polono*, ut adparet, referunt. *Ptolemæus Lucenſis* tum *in Hiſtoria Eccleſiaſtica* ſua, tum *in Brevibus Annalibus*, a doctiſſimo *Muratorio* vulgatis (2) idem memoriæ prodidit; ut *Hermannum Cornerum* omittam, qui in Chronico ſuo ex *Wilhelmo*, mihi adhuc ignoto, hæc habet: *Robertus Rex Ungarorum, ſecun-*

1) *Ita manu exarati Codices Cæſarei; Schilteri exemplum pro* Papales, *habet* plures: *& pro* inveſtituris, *legit* inveſtituram.

2) Scriptor. Rer. Italic. Tom. XI. p. 1084. & 1150.

ſecundum Wilhelmum, admonitus per Paſchalem Papam reſignavit ad manus Papæ litteras Inveſtituræ Epiſcoporum & aliorum Prælatorum, quas uſque ad illa tempora Reges Ungariæ facere conſueverunt ex indultu ſedis Apoſtolicæ (1). Mendam librarii, vel errorem auctoris, in nomine Regis eſſe, certum eſt. *Inchoferus* in Annalibus ſuis pag. 262. neque adfirmare, neque negare audet, renuntiationem iſtam unquam eſſe factam: *De qua tamen re*, inquit ille, *nihil invenio in Actis Paſchalis ſecundi; plura vero in geſtis Regum Hungariæ uſque ad quintum a fundata Eccleſia Hungarica ſeculum, facto contraria. Neque tamen inficias iverim, feciſſe Paſchalem cum Hungariæ Rege, ſi mos iſte in Hungaria vigebat, quod cum Rege Angliæ, immo cum Imperatore Henrico Quarto, a quibus inveſtituras vel uſurpatas, vel alias conceſſas, penitus avocavit &c.* In qua *Inchoferi* pericope & majorem rerum noſtrarum & jurium peritiam merito deſideres. Melius enimvero & res, & jura noſtra fuerunt perſpecta eruditiſſimo Gallo *Franciſco Florenti*, qui *in Tractatu ſuo ad Lib. I. Decretal. Tit. VI. De electione &c.* (2) erudite non minus, quam vere ſcribit: *Reges*, inquit, *Hungariæ pariter inveſtituras Epiſcoporum & aliorum Prælatorum remiſerunt, quas uſque ad tempora Paſchalis II. facere conſueverunt (Martinus Polonus in vita Paſchalis II.) In Electionibus tamen, Depoſitionibus, vel Translationibus Epiſcoporum jus ſuum retinuerunt: imo & jus Regaliæ, cujus nominatim mentio fit in diplomate Belæ, Regis Hungariæ, ad Alexandrum III. anno* 1169. Hæc vir eruditiſſimus; quæ a vero non eſſe aliena paulo poſt clariſſime patebit. Illud perſæpe mirari ſubiit, *Florenti* quoque, eruditiſſimo viro, renuntiationem iſtam Hungariæ Regis non fuiſſe melius cognitam. Et ipſe enim unius *Martini Poloni* authoritate nititur, & cum tempus, quo factam eſſe oportuit, tum limites, quibus circumſcribitur, minus perſpectos habuiſſe videtur. At, quod ultro fateor, neque mihi per ſomnum aut luſum ſe videndam obtulit. Perlectis diligenter Conciliorum, ſub *Paſchali* habitorum, Actis, reperi demum, quod diu multumque anxie quærebam, Actis Concilii Guaſtallenſis, anno CIↃCVI. ſub *Paſchali II.* celebratis, ſubjunctam *Renunciationem* iſtam ſcriptamque his verbis:

P Re-

1) *Vide Jo. Georg. Eccardi Hiſtor. medii ævi Tom. II. p. 658.*

2) *Vide Opera ejus juridica editionis Norimberg. an. 1756. Tom. I. p. 198.*

Digitized by Google

Refutatio Inveſtituræ Epiſcoporum, quam fecit Rex Hungariæ ad mandatum Papæ.

Denunciamus vobis, Pater venerande, nos legi divinæ ſubditos, ac ſecundum eam vobis ſervire paratos: unde & inveſtituram Epiſcoporum, hactenus a Majoribus habitam, juxta admonitionem veſtram, dimiſimus; & ſi quem in electione hujuſmodi minus canonice retroactum eſt, de cetero, Deo volente, cevebimus. (1)

Deſumpta eſt hæc *Refutatio* a Collectoribus Conciliorum ex Tom. IV. Theſauri anecdotorum celeberrimi *Martene*, qui eidem hoc monitum præfixit: *In MS. S. Vincentii Biſuntini poſt Concilii* (Guaſtallenſis) *Canones & Epiſtolam Paſchalis in eo conſcriptam ad Hebebardum, Conſtantienſem epiſcopum, & alios Teutonicos, in editione Labbeana relatam, hæc ſequuntur.* Eandem *Renunciationem*, ſive *Refutationem* poſtea reperi in Vita *Paſchalis II.* ex MS. *Pandulphi Piſani* a doctiſſimo *Muratorio* cum Vitis Pontificum Cardinalis *de Aragonia* edita (2). In quibusdam tamen a priori differt; quippe pro *Denuntiamus*, *Renuntiamus* habet; & ultima verba, diligentius exſcripta, ſic dat: *Et ſi quid in electionibus hujuſmodi minus canonice retro actum eſt, de cetero, Deo volente, cavebimus.* De nomine Regis & tempore, quo factam fuiſſe oportuit, agam paulo poſt; de ipſa vero renuntiationis formula, adfirmare non dubitem, pretii eſſe vel maximi. Nam primum docet modum & normam, qua Reges noſtri, ut jam ſupra monui, Apoſtolicæ Sedi *Subjectionem* teſtari *ſuam* ſint ſoliti: continet deinde Inveſtiturarum Jus remiſſum, quod hactenus, teſtante Rege, *a Majoribus fuit habitum*, quæ maximum pondus addunt omnibus illis, quæ hactenus de Jure inveſtiendi, *Divo* Regi *Stephano* conceſſo, ſenſi & ſcripſi. Ultima denique verba evidentiſſime confirmant adſertum eruditiſſimi *Florentis*, qui, ut vidimus, jam obſervavit, Reges Hungariæ ceſſiſſe quidem Juri Inveſtituræ; in Electionibus tamen, Translationibus &c. Jus ſuum retinuiſſe. Clare enim & perſpicue loquitur Rex: *Et ſi quid in Electionibus hujuſmodi minus canonice retro actum eſt, de cetero, Deo volente, cavebimus.* Quibus manifeſte abuſibus tantum renuntiat, uſum vero ſui

1) *Vide Collectionem Conciliorum Venetam Tom. XII. pag. 1129.*

2) *Scriptor. Ital. Tom. III. P. I. p. 364.*

Digitized by Google

ſui Juris in Electionibus &c. imo & jus Regaliæ, uti videbimus, ſibi ſuisque ſucceſſoribus retinet.

CAPVT XIII.

Tempus & nomen Regis, qui Inveſtituras per Epiſcopalia inſignia, retento homagio, ſive fidelitatis juramento, remiſit, indagantur.

De tempore & Rege, cui hæc Inveſtiturarum remiſſio adſignari debeat, non perinde facile eſt conſtituere. *Martinus Polonus*, *Paſchalis ſecundi* temporibus attribuit, non adſcripto die & Conſule. *Ptolemæus Lucenſis*, *in Brevibus Annalibus* ſuis, ad annum 1112; *Cornerus* vero, ad 1115 referunt. Si fides tuto adhiberi poſſet *Conciliorum Collectoribus*, qui *Refutationem* noſtram, a doctiſſimo *Martene*, ut dixi, primo editam, ad annum 1106 cum Actis Concilii Guaſtallenſis reponunt, certi de tempore, certi de Rege, *Colomano* videlicet, per ea tempora in Hungaria regnante, eſſe poſſemus; at vero ſunt nec pauca, neque levia, quæ de diligentia *Collectorum* dubitare nos cogunt. Primum enim eminentiſſimus *Baronius*, qui Acta Guaſtallenſis Concilii ex codice Vaticano, *Liber Cenſuum* inſcripto, & a *Cencio Camerali* collecto, ad annum 1105. n. XXXII. diligenter retulit, de *Renuntiatione* noſtra ne litteram quidem unam vulgavit. Eſt deinde laudata *Renuntiatio* a *Martene* in MS. reperta & vulgata cum *Caſſatione Privilegii, quod extorſit Imperator* (Henricus IV.) *a Papa*, quæ citra omne dubium ad annum 1112, ſive ad Concilium Lateranenſe, ſub *Paſchali Secundo*, tertium pertinet, & in ejusdem Concilii Actis edita legitur. Ad Vitam *Paſchalis Secundi*, ex MS. *Pandulphi*, a doctiſſimo *Muratorio* editam, quod attinet, in ea pariter ſubjecta quidem ſunt hæc duo *Refutationis* & *Caſſationis* exempla Synodo Guaſtallenſi, verum cum tribus aliis monumentis, quorum priora duo ad Concilium Viennenſe, anno itidem 1112 celebratum, pertinent: quæ conſtans cum Actis anni 1112. collocatio facit, ut *Ptolemæo* potius *Lucenſi*, ad annum 1112, quam *Cornero*, ad 1115 referenti, adſentiar. Confirmat me in opinione iſta mea etiam illud, quod *Colomanus* Rex, qui

per hæc tempora ſummæ rerum apud nos præerat, anno 1111 Dalmatis, & in primis Eccleſiæ Arbenſi *Inveſtituras* itidem remiſerit. Tabulas ejus ceſſionis cum fructu legeris in erudito *Joannis Lucii* de Regno Dalmatiæ & Croatiæ opere Lib. III. Cap. IV. ex quibus ad rem meam pauca iſta adjicio : *Decrevimus quoque ad honorem & dignitatem illius Eccleſiæ inveſtituras tam Eccleſiarum, quam Epiſcoporum, & Abbatum abſque Regis conſilio, quemadmodum fuiſſe probavimus, fieri debere.* Si ſupereſſent, aut tabulariorum repagula, quibus fortaſſe detinentur, perfringere poſſent, illius Synodi Acta, quam anno 1111 Strigonii celebratam fuiſſe, probabili admodum conjectura *Péterfius* adſerit (1), certiora hic fortaſſe, & Juri huic Regio utiliora, ſcribere poteram: verum illis tineas fortaſſe paſcentibus, & male cautorum hominum ſuperſtitione magnis paſſibus ad interitum properantibus, quid pro certo atque indubitato dem, non invenio. Probabam olim annum etiam *Cornerii* 1115, in quem inciderat mors *Colomani* Regis & initia Regni *Stephani Secundi*, ejus filii, impuberis adhuc & ſub tutoribus ſacræ & profanæ Reip. agentis: eo enim anno, quo Eccleſia per Europam ferme omnis in diverſis Conciliis *Henricum IV.* ob non remiſſas inveſtituras communione fidelium exturbabat, ejusdem fulminis metus a tutoribus id obtinere citius poterat, quam a *Colomano* Rege, viro ferocis animi, & jurium ſuorum retinentiſſimi. Initium præterea laudatæ *Ceſſionis* ſi ſpectes, initiis Regni *Stephani* belle congruit, dicit enim Rex: *Denunciamus vobis, Pater venerande, nos legi divinæ ſubditos, ac ſecundum eam vobis ſervire paratos.* Quibus, niſi fallor, norma continetur, ad quam recens creati Hungariæ Reges obedientiam & ſubjectionem ſuam Pontifici Romano teſtari ſolebant. Hæc in utramque partem; nam utramlibet ſequaris ſententiam, vetuſtorum monumentorum teſtimonio certum ſemper erit, Renuntiationem Juris Inveſtituræ, cujus verba nunc primum detexi, ſub *Paſchali Secundo* a *Colomano* Rege, vel certe *Stephano*, ejus filio, fuiſſe factam. Inveſtiturarum Jus & nomen notiora omnibus ſunt, quam ut hic a me illuſtrari debeant. Mos vero apud nos, ſententia *Florentis* (2), inveſtiendi Prælatos fuit iſte: Mortuo Archiepiſcopo, Epiſcopo &c. *Baculus*, *Ferula*, vel *Virga paſtoralis* & *Annulus* deferebantur ad Regem, qui poſt electionem ab

1) *Concil. P. I. p. 52.* 2) *Laudati operis & editionis pag. 194.*

Digitized by Google

ab ſe, vel permiſſu ſuo factam, futuro Archiepiſcopo &c. in ſignum collati beneficii dabat, eumque inveſtiebat; quod verborum & rerum compendio Hiſtorici & alii ſcriptores dicunt: *Epiſcopatus & Abbatias per manus Regis accipere.* Hac ratione is, qui inveſtiebatur, *homagium* Regi, ſive *fidelitatis juramentum* præſtare tenebatur, in fidem & teſtimonium accepti *Domi Regii*, & futuri Vaſſi dominici. Remiſit igitur *Colomanus* Rex Jus Inveſtituræ *per annulum & baculum*, ſive *per inſignia epiſcopalia*; collationem vero beneficiorum cum *homagio*, ſive *fidelitatis juramento*, ſibi ſuiſque ſucceſſoribus retinuit: vi cujus Prælati Regni Hungariæ cum reliquis *Vaſſis dominicis* æquo jure cenſentur, & feudalia ſervitia, etiam perſonalia, in bellis præſtare tenentur, ut omnibus notum.

CAPVT XIV.

A morte Colomani Regis uſus Juris Regii pacificus ad annum 1160. *circa quem Geyſa II. certis illud limitibus circumſcribit, quam circumſcriptionem Bela III. ejus filius, anno* 1179. *confirmat.*

Colomano Regi anno, ut dixi, CIↃCXV. e vivis erepto, *Stephanus*, ejus filius, impuber adhuc, & ſub tutoribus agens, ſucceſſit. Cum *Stephanum* hunc, tum ſucceſſorem ejus *Belam* ab remiſſo inveſtiturarum Jure, in ordinandis Eccleſiis reliquam jurisdictionem ſuam pacifice exercuiſſe, ex vetuſtis monumentis certum compertumque eſt. Anno quippe CIↃCXXIV. *Stephanus ſecundus* Rex immunitates Eccleſiaſticas, a *Colomano* patre Tragurinis & Spalatenſibus conceſſas, confirmavit. Ejus confirmationis tabulæ, Juris publici factæ ſunt a *Lucio* noti jam operis *Lib. III. Cap. IV.* Anno CIↃCXXXI. *Stephano ſecundo* e vivis erepto ſucceſſit *Bela Cæcus*, filius *Almi*, nepos *Geyſæ*, fratris *ſancti Ladislai*. De hoc ex *Lucio Timon* ad annum CIↃCXXXVI. refert iſta: *Gaudius, Spalatenſis Clericus, potens, & gratioſus apud Belam Regem ab Archiepiſcopo Strigonienſi conſecratus eſt Archiepiſcopus Spalatenſis, quod moleſte tulit Innocentius Pontifex; nihilominus frequenter exoratus a Rege pallium denique illi miſit per Ubaldinum Cardinalem, qui deinde fuit Pontifex Lucius III.* Bullam *Innocentii* laudatus *Lucius* vulgavit *Lib. III. Cap. XI.* quæ admodum clare docet, Ponti-

ficem non de electione a Spalatenſi Clero & populo facta, & ab Rege Hungariæ adprobata, ſed de conſecratione ab alio collata queri. Addit *Timon* ad annum CIↃCXXXVIII. *In gratiam Chari ſibi Archiepiſcopi Bela Rex privilegiis ornat Eccleſiam Spalatenſem; & Præpoſituram Demeſienſem, Almi ſui patris opus, perficit.* Quæ pro jure Patronatus regio a *Bela* fuiſſe acta, nullus non videt. Anno CIↃCXLI. *Bela Cæco* vita functo, in regem Hungariæ inauguratus eſt *Geyſa ſecundus*, ejus filius natu maximus. Hic, ut ex annalibus libris noſtris certum eſt, Nitriæ veterem dignitatem Epiſcopalem reſtituit, donis regiis liberaliſſime ornavit; ut alia omittam, quæ pro poteſtate hac ſua ſapienter geſſit. At vero nulla alia de re in præſenti tractatione hujus Regis celebrior debet eſſe memoria, atque, quod hic ille *Geyſa* ſit, qui poſt remiſſum Inveſtituræ Jus, conceſſam a Silveſtro II. Regibus Hungariæ poteſtatem, voluntate Pontificis, iis limitibus circumſcripſit, qui nunquam poſtea immutati, ſed ſemper a ſucceſſoribus diligentiſſime cuſtoditi, ad hanc uſque ætatem noſtram perdurant. Patebit hoc ex iis clariſſime, quæ mox ad Diploma *Stephani III.*, ut hactenus male creditum, diſputaturus ſum; nam litteras, quibus hic *Geyſa* ad monita Pontificis Jus hoc ſuum Regium reſtrinxit, reperire mihi adhuc non licuit. Anno CIↃCLX, *Geyſa ſecundus* Rex obiit; relictis filiis *Stephano*, qui *Tertius* dictus Patri ſucceſſit; & *Bela*, qui poſt *Ladislaum* patruum, *Stephani III.* ſucceſſorem, rerum in Hungaria potitus eſt. Sed primo videndum nunc de *Stephano III.* Cardinalis *Baronius* in Annalibus Eccleſiaſticis poſtquam lites inter *Alexandrum III.* ſummum Pontificem, & *Henricum*, Anglorum Regem, ad annum CIↃCLXIX. enarravit, de *Stephano III*, Hungariæ Rege, ſcribit hunc in modum: *Sed Deus mirabilis in conſiliis ſuis ſuper filios hominum fecit, ut dum pugnat Alexander Papa pro Eccleſiæ juribus adverſus Anglorum regem, nec proficit: alium hoc eodem anno vincat regem, qui ſponte ſe illi ſubjiciat, cedens pænitus volens libenſque detentis hactenus injuſte uſurpatis ſanctæ Eccleſiæ juribus. Nam hoc eodem anno Hungariæ Rex S. Romanam Eccleſiam in integrum reſtituit in iis, quæ ſibi idem Rex uſurpaverat adverſus Eccleſiaſticam libertatem deque his ejuſmodi diploma conſcripſit, quod aſſervatur in Vaticana Bibliotheca, libro, qui inſcribitur: Cencii Cameralis.* Hæc Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conditor *Baronius;* quæ prius admirari juvat, quam Diploma, cujus

Digitized by Google

jus hic meminit, adſcripſero. Primum dicit: *S.* Regem Hungariæ, ſive *Stephanum III.* anno CIƆCLXIX. volentem libentemque detentis hactenus *injuſte* uſurpatis ſanctæ Eccleſiæ Juribus ceſſiſſe; deinde, ſanctam Romanam Eccleſiam reſtituiſſe in integrum in iis, quæ ſibi idem Rex *uſurpaverat* adverſus Eccleſiaſticam libertatem &c. En bellam, ſi ſuperis placet, Juris Patronatus Apoſtolicorum Regum Hungariæ laudem! quæ enimvero ſi a ſcriptore profecta fuiſſet alio, is profecto tuliſſet hic a me reſponſum pro INIVSTITIA ſua æquiſſimum. At *Baronii* opus, truncato & mutilo corpori non abſimile, notum eſt omnibus. Oſtendit hoc machaonia arte ſua *Pagius*, probaverunt centeni alii. Ac de *injuſtitia* quidem, mirum non eſt, purpuratum ſcriptorem tam libere de Regibus noſtris pronuntiare; omnia enim, quæ ego hactenus de origine Juris hujus Regii, deque ejus apud nos legitimo & perpetuo uſu ex probatiſſimis veterum monumentis protuli, videntur ei fuiſſe vel maxime ignota. Teſtis hujus eſt palmaris ille error, quem, ut ſupra oſtendi, in *Paſchalis II.* litteris, Panormitano Archiepiſcopo inſcriptis, admiſit; teſtis etiam hoc ipſum diploma, quod *Baronius S. Regi* ſive *Stephano* temere adſignat. Enimvero ſi iſta diligentia, iſta libertate, de Juribus Principum pronunciare libeat, quæ demum in orbe futura ſunt legitima, quæ denique tuta? De *reſtitutione in integrum*, commentum *Baronii* eſſe, quilibet non ægre intelliget, qui memoratum diploma recitantem me audire, & hiſtoriam hanc legere porro voluerit. Sed nempe in *Cencii Cameralis* codice *rubrum* Diplomatis, ex quo Baronius ſententiam ſuam exſculpſit, eſt, niſi fallor, ſequens: *Reſcriptum Privilegii Regis Hungariæ, qui pro reverentia Eccleſiæ Romanæ & Domini Alexandri Papæ Eccleſiæ Hungaricæ libertatem donavit & fecit.* Unde hoc mihi conſtet, quæris? ex *Actis*, inquam, *Concordiæ Alexandri III. Pontificis cum Friderico I. Imperatore*, a Cl. Viro *Felice Conteloro*, Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtode, editis, & *Pariſiis* anno 1632. evulgatis in fol. ubi pag. 195. Diploma illud majori diligentia, quam in Annalibus *Baronii*, exſcriptum, legitur hoc exemplo:

Reſcri-

Reſcriptum Privilegii Regis Hungariæ, qui pro reverentia Eccleſiæ Romanæ & Domini Alexandri Papæ, Eccleſiæ Hungariæ (1) *libertatem donavit & fecit.*

B. (2) *Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque* (3) *L.* (4). *Dei gratia* (5) *Strigonienſi, C. Colocenſi* (6) *Archiepiſcopis, atque omnibus* (7) *eorum Suffraganeis, Præpoſitis quoque Regalibus, nec non omnibus univerſaliter Eccleſiaſticis perſonis, in prædictis Archiepiſcopatibus* (8) *conſtitutis, tam præſentibus quam futuris in perpetuum* (9). *Juſtum* (10) *& rationi conſentaneum eſſe dignoſcitur, ac ſanctarum Scripturarum teſtimoniis comprobatur* (11), *ut qui Regiæ celſitudinis culmen ab æterno Rege merentur* (12) *accipere, iis* (13), *quæ ad Eccleſiæ & Chriſtianitatis profectum noſcuntur* (14) *in aliquo pertinere, tanto teneantur provida* (15) *ſollicitudine & cautela intendere, quanto pro honore a divina* (16) *diſpoſitione collato debent* (17) *ſuo Creatori uberiorem devotionem* (18) *præ cæteris exhibere. Ea propter propria ratione inducti & ſaluberrimis exhortationibus M. venerabilis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ* (19) *Cardinalis propenſius attentiusque commoniti, devotionem quoque venerandæ memoriæ Regis G. Patris noſtri* (20), *quam circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam & ſanctum* (21) *Patrem noſtrum D. Alexandrum* (22) *Pontificem ſtuduit per omnia exhibere, modis omnibus, quibus poſſumus imitari volentes. Inſtitutionem* (23) *ſuper Depoſitione* (24) *& Transmiſſione* (25) *Epiſcoporum, quod in ſe & in ſuis poſteris D. Papæ Ale-*

1) *Sic.*
2) *Baronius*, H.
3) *Bar.* Rannæque.
4) *Contelorus recte legit* Lucæ; *Bar.* τὸ L. *omittit, nec non* τὸ C. *quod Contelorus recte ſupplevit:* Coſmæ.
5) *Bar.* Eadem gratia.
6) *Bar. erronee,* Colonienſi.
7) *Bar.* τὸ omnibus *omittit.*
8) *Bar. male,* Archipresbyteratis.
9) *Bar.* τὸ in perpetuum *omittit.*
10) *Bar. omittit, & incipit:* Conſentaneum rationi eſſe dignos.
11) *Bar.* comprobatum.
12) *Bar.* meretur.
13) *Bar.* τὸ accipere iis, *omittit.*
14) *Bar.* noſcuntur profectum.
15) *Bar.* teneatur providere,
16) *Bar. addit,* ſibi.
17) *Bar.* debet.
18) *Bar.* devotionem uberiorem.
19) *Bar. addit* Diaconi.
20) *Bar.* Veſtri.
21) *Bar.* Sanctiſſimum.
22) *Bar. addit:* ſecundum ſummum.
23) *Bar.* Conſtitutionem.
24) *Bar. peſſime:* Inſtitutione, *aut certe omiſit:* Depoſitione.
25) *Bar.* Tranſmutatione.

Digitized by Google

Alexandro (1) *& ſuis ſucceſſoribus noſcitur conceſſiſſe*, *videlicet*: *quod abſque auctoritate & conſilio ejus* (2) *vel ſucceſſorum ſuorum*, *depoſitionem ſeu translationem Epiſcoporum non faceret*, *vel fieri permitteret*, *confirmamus*, *& tam in nobis quam in poſteris noſtris perpetuo inviolabiliter duraturam cenſemus. Præterea anteceſſorum noſtrorum conſuetudinem retro temporibus* (3) *habitam relinquentes*, *in nobis & in noſtris poſteris immobili firmitate valituram*, *ſancimus* (4): *quod decedentibus Epiſcopis*, *in rebus Epiſcopalibus*, *procuratores laicos de cætero non ponemus*, *atque poni nullatenus* (5) *permittemus*, *ſed honeſtos Clericos*, *qui non ad voluptatem*, *ſed ad neceſſitatem victus de ipſarum Eccleſiarum rebus moderate accipiant* (6), *ibidem inſtituemus*, *qui reliqua* (7) *omnia bona fide & ſine fraude aliqua ad reædificationem ipſarum Eccleſiarum & domorum Epiſcopalium*, *ſeu Canonicorum*, *ad uſus quoque pauperum*, *viduarum* (8) *& orphanorum fideliter* (9) *debeant adſervare* (10). *Nos vero*, *vel poſteri noſtri*, *nihil unquam de iisdem rebus in uſus proprios ulterius* (11) *redigemus* (12), *niſi forte* (*quod abſit*) *hoſtes regni in manu valida fines ipſius Regni intraverint* (13), *vel aliqua alia urgentiſſima neceſſitas poſtulaverit*, *&* (14) *tunc quoque id ſine Epiſcoporum* (15) *conſilio non faciemus. Addimus etiam* (16) *& robore inconcuſſo tam in nobis* (17) *quam in poſteris noſtris perpetuo obſervandum ſtatuimus*, *quod Regales Præpoſiti*, *vel Abbates*, *de ſuis Præpoſituris*, *vel Abbatiis*, *ſeu dignitatibus non a modo deponentur*; *in hac parte conſuetudini noſtræ antiquæ per nos & poſteros noſtros renunciantes*, *niſi infauſto caſu* (18) *contingeret*, *eos ſuper certo crimine*, *canonico ordine convinci*, *vel crimen ſuum publice confiteri. Ad hæc C. Archiepiſcopus Colocen.* (19)

Q *Omnes*

1) *Bar.* Alexandro Papæ.
2) *Bar.* ſine auctoritate conſiliove ejus.
3) *Bar.* τὸ temporibus *omittit.*
4) *Bar.* valiturum.
5) *Bar.* ullatenus.
6) *Bar.* ſed honeſtos clericos, qui vitæ ac morum honeſtate ſint comprobati & de ipſarum Eccleſiarum rebus moderate accipiant, ibidem &c.
7) *Bar. male*, relicta.
8) *Bar. omittit*: viduarum, *etiam*
9) *Bar.* τὸ fideliter *omittit.*
10) *Bar.* obſervare.
11) *Bar. omittit*: τὸ ulterius.
12) *Bar. addit*: de cætero.
13) *Bar. ſic*: niſi forte (quod abſit) hoſtes intraverint vel aliqua *&c.*
14) *Bar.* τὸ & *omittit.*
15) *Bar. male*: ipſorum.
16) *Bar.* Etiam addimus.
17) *Bar. male*: noſtris.
18) *Bar.* τὸ infauſto caſu, *omittit.*
19) *Bar.* Colonienſis; *ſed*, *uti etiam ſupra*, *in margine reponit*: Colocenſis

Digitized by Google

Omnes Epiſcopi (1) *Electi*, *Regales Præpoſiti*, & *Abbates* (2), *munificentiam ac libertatem* (3), *quam* (4) *pro reverentia Beati Petri* & *ſanctiſſimi Papæ noſtri Alexandri* (5), *nec non* & (6) *M. venerabilis Diaconi Cardinalis Apoſtolicæ ſedis Legati ſibi conceſſimus* (7), *attendentes pravam ſuam conſuetudinem*, & *omnibus Canonibus obviantem*, *quæ in inſtruendis* & *deſtruendis Præpoſitis* (8), *aliisque dignitatibus* & *Eccleſiaſticis beneficiis* (9) *ſubtrahendis* (10) *exercebant*, *in manus* (11) *prædicti Cardinalis* (12) *penitus reliquerunt*; *unde communi conſenſu* & *libera eorum omnium voluntate decernimus*, & *inviolabiliter præſenti privilegio*, *valituro* (13) *perpetuo*, *ſtabilimus*, *quod nulli Archiepiſcoporum*, *Epiſcoporum* (14), *Electorum*, *Præpoſitorum* (15), *Abbatum deinceps licentia pateat de Præpoſituris ſuos Præpoſitos removere*, *vel alias Eccleſiaſticas perſonas ſuis Dignitatibus*, *aut Eccleſiaſticis beneficiis privare*, *niſi forte de crimine fuerint* (16) *convicti canonice*, *vel confeſſi*. *Hæc autem omnia de conſilio Glorioſæ Reginæ Matris noſtræ*, & *Archiepiſcoporum*, *Epiſcoporum omnium*, *Electorum*, *Præpoſitorum Regalium atque Abbatum*, *Comitum omnium*, *Procerum*, & *aliorum Principum ſtabilita* (17) *ac firmiter corroborata* (18) *noſcantur*. *Actum in Civitate VV.* (19) *anno MCLXIX.* (20)

CAPVT XV.

Vulgatum hic Diploma Diligenter expenditur.

Atque hoc illud *Stephani* III, ut hactenus creditum, diploma eſt; quod quia præſenti in argumento maximi eſt momenti, ſumma pari-

1) *Bar. addit* &
2) *Bar.* τὸ & Abbates, *omittit.*
3) *Bar.* liberalitatem.
4) *Bar. omittit.*
5) Bar. & ſanctiſſimi Patris noſtri domini Papæ Alexandri.
6) *Bar.* τὸ &, *omittit.*
7) *Bar. pro:* ſibi conceſſimus *habet:* conceſſiones.
9) *Bar.* Præpoſituris.
8) *Bar. omittit:* τὸ & Eccleſiaſticis beneficiis.
10) *Bar.* ſubtrahendis, *omittit.*
11) *Bar.* omnibus.
12) *Bar. addit:* arbitrio.
13) *Bar.* valiturum.
14) *Bar.* Epiſcoporum, *omittit.*
15) *Bar. addit:* ac
16) *Bar.* fuerint de crimine.
17) *Bar.* Stabilia.
18) *Bar.* roborata.
19) *Bar.* N.
20) *Bar. verbis numerum annorum exprimit:* milleſimo centeſimo ſexageſimo nono.

Digitized by Google

pariter religione ac diligentia illud expendere oportet. Age porro videamus primum de cortice, tum de nucleo. Primus, ut videtur, ex Vaticano illud codice in lucem protulit *Baronius*; alter, *Contelorus*, indicatis a me operibus. Legitur etiam in Vitis Pontificum *Nicolai de Aragonia*, S. R. E. Cardinalis, a Mediolanenſibus ſociis *in ſcriptor. Rer. Italicarum Tom. III. P. I. pag.* 474. vulgatum: unde, & ex Baronio exemplum ſuum *Péterſius* habuiſſe videtur (1) quod vulgavit *Concilior. Hungariæ P. I. p.* 65. Ego meum a Cl. Viro *Conteloro* ſumpſi, ea in primis de cauſa, quod pag. 165. ingenue profiteatur, ſe Acta *Alexandri III.* ſummi Pontificis, quibus hoc diploma inſertum eſt, *ex Vaticanis codicibus ſumma integritate ac diligentia exſcripta communis & publici juris feciſſe.* Exemplum *Contelori* idem eſt atque illud, a *Cardinale Aragonio Alexandi III.* Vitæ intextum : nam quod pauci, credo, adhuc obſervaverint, Acta Concordiæ, a *Conteloro* in laudato ſupra opere a pag. 165. ad 198 vulgata, non aliud ſunt, niſi excerptum ex Opere de Vitis Pontificum *Cardinalis Aragonii*, quod *in ſcriptor. Rer. Italicarum* exſtare, ſupra monui. Exemplum igitur meum duorum editorum fide nititur; cui diſcrimina, quæ inter hoc & *Baronianum* exemplum intercedunt, ideo adſcripſi, quo de utroque facilius judicium ferri, & res, dequa agitur, planius intelligi poſſit.

Inſcriptionem diplomatis quod attinet, ſatis jam conſtat, eam a *Cardinale Aragonio* eſſe factam; quæ pariter cauſa eſt, cur *rubrum*, uti videbimus, *nigro* minime congruat. Prima diplomatis verba editore *Baronio* ſunt: *H. Dei gratia Rex &c.* quæ in exemplo *Cardinalis Aragonii* æque, atque *Contelori* leguntur: *B. Dei gratia Rex &c.* Mediolanenſes editores in margine adnotant, in alio MS. exemplo pro B. expreſſe haberi *Bernardus*: ſed addere poterant, per ignorantiam a librario ita eſſe ſcriptum; cum *Bernardum*, Hungariæ Regem, nulla unquam ætas viderit. Laudatus *Péterſius* exemplum ſuum a *Baronio* & *Baluzzio*, ut ait, mutuatus, ſcribit : *Quid lit. H. indicare velit, ignoro. Regum nemini tribui poſſe in aperto eſt.* At vero memoria hic quidem lapſus eſt vir doctus; quod

 enim

1) *In margine enim notat:* Eandem litteram diplomati præponit Steph. Baluzzius in Tom. III. Script. Ital. Ludov. Muratorii pag. 474. *quod non ſatis intelligo ; typothetæ lapſus eſſe videtur, tametſi Baluzzii exemplum adhuc non viderim.*

enim Teutonibus *Henricus*, id Hungaris *Emericus* eſt, & prius illud nomen per ea tempora apud nos etiam frequentiori in uſu fuit. Quippe *Innocentius III.* Pontifex, *Emericum* Regem, de quo hic quæritur, *Henricum* ſemper adpellat: epiſtola enim quinta, editore *Baluzio*, ad Strigonienſem archiepiſcopum ſcribens, ait: *Sane ſignificavit nobis Cariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus Hungariæ Rex Illuſtris &c.* Et epiſtola VII. *Ex litteris*, inquit, *quas Cariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus Hungariæ Rex Illuſtris ad ſedem Apoſtolicam deſtinavit.* Atque hæc illa ſcintilla eſt, quæ, intelligendo huic diplomati, pulcerrimum mihi lumen accendit, & ne cum *Baronio*, *Otrokoczio*, *Péterfio* turpiter laberer, auxilio fuit: omnes enim hi memoratum diploma *Stephano III*, Hungariæ Regi, adſignant; ſolam quippe temporis adſcripti notam ſequuti, nihil de aliis, nomine præcipue Regis, diplomati præfixo, ſoliciti. Ac *Péterfius* quidem, pro more candidus animi, quid lit. H. indicet, ignorare ſe, ingenue faſſus eſt; quod ne *Baronius* confiteri cogeretur, latentem nodum egregie diſſimulavit, & temporis notam, quam Romano more, ut videtur, ſcriptam in Codice habebat, expreſſis verbis dedit: *Anno milleſimo centeſimo ſexageſimo nono.* Ego minerval debeo *Cardinali Aragonio*, qui in Vita *Alexandri III*, ante laudata, me docuit, diploma iſtud pertinere ad annum Pontificatus *Alexandri* Tertii XIX. qui reſpondet anno Chriſti cIↃcLXXIX. Error igitur librarii, in nota chronica admiſſus, eſt, ſublato uno X: quo emendato, res jam ipſa loquitur, quid *B.* & *H*, elementa, initio diplomatis poſita, indicent: *Belam* nempe *Tertium*, & *Henricum*, ſive *Emericum*, ejus filium, vivo patre coronatum, per ea tempora Hungariæ Reges. Manifeſti ad hanc lucem fiunt in hiſtoria noſtra errores quam plurimi; & in primis citra omnem gratiam expungenda in *Baronio* ſunt ea omnia, quæ is ad annum 1169. de *Stephano III.* deque hoc diplomate admodum libere ſcripſit; delenda deinde commentitia *Péterfii* Synodus Provincialis *Concil. Hung. P. I. p.* 63. quam occaſione hujus diplomatis ſub *Stephano III.* celebratam fuiſſe poſt *Otrokoczium* adſeruit. Legatum ſummi Pontificis, cujus nomen hic τῷ M. deſignatur, apud *Ciaconium* & cæteros, qui Cardinalium catalogos ſcripſerunt, fruſtra quæſivi. Quid ſi ſit *Mathæus* Canonicus Regularis Congregationis *S. Fridiani* Lucenſis, ab *Alexandro III.* Diaconus Cardinalis S. Mariæ Novæ

re-

renuntiatus: vel, errore librarii, *Gregorius* Diaconus Cardinalis *Sanctæ Mariæ*, quem apud *Belam* Regem legationis munere fuiſſe functum, ex *Innocentii III.* epiſtola 272. certum eſt. Littera G. *Geyſæ* Regis, *Stephani III. Belæque* patris, nomen innuit: ſic enim in memorata *Innocentii* epiſtola plus vice ſimplici ſcribitur, ut: *Quod glorioſæ memoriæ G. Rex Flandrenſibus conceſſit.* Item: *Sanctæ recordationis G. pater ſuus* (Belæ) *&c.* Nomen Reginæ matris, *Miecislai* Ruſſiæ Reguli filiæ, detexit *Péterſius* ope Bullæ *Innocentii IV*; cui *Effroſina* fuiſſe dicit (1). Locus ubi diploma noſtrum *Belæ* Regis nomine fuit ſcriptum, elementis VV, alibi, B. indicatus, Veſprimium, niſi fallor, eſt: ex litteris enim *Innocentii III*, modo laudatis, conſtat, *Belam* Regem aliam itidem patris ſui *Geyſæ* conceſſionem confirmaſſe *Weſprimii in præſentia Magnatum ſuorum.*

Atque hæc de ſuperficie laudati diplomatis; nunc ad intimos ejus ſenſus propius accedamus. Ac primum quidem luce meridiana clarius eſt, litteras iſtas non ad Pontificem, Romanamque Curiam, ſed ad Archiepiſcopos, Epiſcopos &c. Regni Hungariæ fuiſſe ſcriptas; deinde certum illud etiam, confirmationem iis contineri *Conſtitutionis*, a *Geyſa Secundo*, Hungariæ Rege, *Belæ* Regis patre, perlatæ, quæ lucem adhuc non vidit. Circa annum CIƆCLX. fuiſſe ſcriptam, argumento eſt illud: *devotionem quoque venerandæ memoriæ Regis G. patris noſtri, quam circa Sacroſanctam Romanam Eccleſiam & Sanctum Patrem noſtrum D. Alexandrum Pontificem ſtuduit per omnia exhibere.* Quippe *Alexander* III. in ſummum Pontificem electus eſt A C. CIƆCLIX. d. 7. Septembris; *Geyſa* vero diem ſuum obiit anno 1160, vel certe 1162. Penſat *Geyſæ* Conſtitutionis jacturam præſens hoc Belæ III. diploma, dicit namque: *Conſtitutionem ſuper depoſitione & transmutatione Epiſcoporum, quod in ſe* (Geyſa) *& in ſuis poſteris D. Papæ Alexandro & ſuis ſucceſſoribus noſcitur conceſſiſſe, videlicet: quod abſque autoritate & conſilio ejus vel ſucceſſorum ſuorum depoſitionem, ſeu translationem Epiſcoporum non faceret, vel fieri permitteret.* Igitur *Geyſa* Jus ſuum Regium in *deponendis* unice & *Transferendis* Epiſcopis &c. *Pontificis conſilio* circumſcripſerat; jus vero *Electionis*, *Collationis beneficiorum*, & *Regaliæ*, ita non remiſerat, ut ejus hic ne meminerint quidem: quam verborum *Belæ* genuinam interpretationem eſſe, ex reſiduo hoc opere clariſſime patebit.

Q 3 Quid

1) *Originale Capituli Poſonienſis.*

Digitized by Google

Quid autem de jure Regaliæ *Bela?* nempe: *Præterea anteceſſorum noſtrorum conſuetudinem, retro temporibus habitam, relinquentes, in nobis & in noſtris poſteris inmobili firmitate valiturum, ſancimus, quod decedentibus Epiſcopis, in rebus Epiſcopalibus, procuratores laicos de cætero non ponemus, atque poni nullatenus permittemus; ſed honeſtos clericos &c.* Jus Regaliæ adpellat hic *Geyſa anteceſſorum ſuorum conſuetudinem retro temporibus habitam,* quam in priſtino robore vigoreque ſuo RELINQVIT, relictoque ejus uſu, abuſus unice tollit. Pergit porro *Bela: Quod Regales Præpoſiti, vel Abbates . . . non a modo deponentur . . . niſi infauſto caſu &c.* In quo pariter articulo addita conditio jus ſolummodo limitatum, non ceſſum, remiſſumve, manifeſte indicat, & jus *collationis beneficiorum* ac *homagii* confirmat. Ex iis, quæ mox ſequuntur, certum compertumque eſt, omnem iſtam confirmationem, domeſticam eſſe, & ea mente unice editam, ut ſublatis abuſibus, uſus Juris hujus Regii, cum fide inter Hungaros Chriſtiana & ipſo Regno natus, firmior permaneat. Singularem denique attentionem merentur illa: *Nos vero vel poſteri noſtri nihil unquam de iiſdem rebus in uſus proprios ulterius redigemus, niſi forte (quod abſit) hoſtes Regni in manu valida fines ipſius Regni intraverint, vel aliqua alia urgentiſſima neceſſitas poſtulaverit, & tunc quoque id ſine Epiſcoporum conſilio non faciemus.* Negligentius iſta ſunt a *Baronio* edita; incertum etiam rectumne illud: *ſine ipſorum conſilio*: *Contelorus* quippe & *Cardinalis de Aragonia*, viri longe doctiſſimi, legerunt, ediderunt que: *ſine Epiſcoporum conſilio.* De *hoſtibus in manu valida regni fines ingreſſis*, agam, Deo volente, alias prolixius, ſi tamen per dolorem copioſus agere, & triſtiſſimo argumento diutius immorari potero. Hic enim ſtygius ille fons eſt, unde innumerabilia atque incredibilia mala in charam patriam noſtram profluxerunt. Fruſtra erant ſemper ſapientiſſimi quique fortiſſimique Reges noſtri; neceſſariam tuendis aris & focis, ſervandique ſui capitis opem, vix in extremis iſtis conſtituti, obtinere ab aliis ſimul & a ſuis perſæpe poterant. Hinc æquiſſima juxta atque graviſſima eſt illa querela, quam *Ludovicus II.* qui Mohacſio triſtiſſimum nomen indidit, ad *Scepuſium* perſcripſit: *Non ſe regia authoritate, non majeſtate nominis, atque imperio, non exemplo ſuos movere potuiſſe, ut, hoſte barbaro, jam in regni fines ingreſſo, qui tela jugulis intenta ad omnium exitium oſtentaret, a terrore collectis animis, induerent arma. Jam Savum*

tra-

Digitized by Google

traducto exercitu Petri Varadini arcem oppugnare . . . Se Buda moviſſe, vix tribus millibus equitum & peditum ſecum aſſumptis, quorum magna pars a Strigonienſi & a Maria regina eſſet conſcripta, haud ſatis digna cohorte, quæ Ungarorum Regem, ſi priſca Majeſtas Imperii magis, quam præſens fortuna ſpectaretur, venatum euntem comitaretur. Hæc Ludovicus Rex, teſte *Michaële Bruto*, in Annalibus ſuis Regni Hungariæ, adhuc ineditis, inter *Codd. Cæſ. Hiſt. Prof. XCII. pag.* 164. ubi idem autor poſt paulo ſcribit: *Buda egreſſus, cum Erdii, qui erat pagus in Ambroſii Sarcani ditione, nequicquam aliquot dies ſubſtitiſſet, &, deſtitutum ſe, ac proditum a ſuis non graviter minus, quam vere quæreretur, ad Ercſium pagum, non ita procul ab Erdio diſtantem, progreditur, cum præter eandem militum manum, quæ erat ex urbe regia profecta, nemo eum ſequeretur. Hinc eadem ſpe incertum conſilii ludificante, atque anxium de belli eventu, quem in tanta ſuorum contumacia triſtem ſibi ominabatur, aliquamdiu expectatio ſuorum tenuit, cum neque quid patriæ deberent, quid ſibi, quid ſuis in tam Sæva tempeſtate, Rep. fluctuante, cogitarent.* Hæc ille, quem audire porro ſine lachrymis vix queas. *Urgentiſſima* illa Belæ III. *neceſſitas*, iſta in primis ætate noſtra, latiſſime patet, qua vicinum hoſtem non unum timemus; amiſſum Belgradum deploramus; & aras atque focos cum millenis vivis Dei templis barbaro furori eſſe expoſitos, haudquaquam a longe intuemur. At de his, ut dixi, volente Deo, alias: inſiſtam nunc propoſito meo, & quid *Bela III.* Rex ipſe, quid *Emericus* & *Andreas* ejus filii, de celeberrima *Confirmatione* iſta ſenſerint, qui ab aliis eam intelligi voluerint, vetuſtis litterarum monumentis docebo.

CAPVT XVI.

Belæ III. Regis, de Electo ab ſe Spalatenſi Archiepiſcopo, cum Alexandro III. controverſia.

Anno CIↃCLXXXI. biennio videlicet poſt confirmatam a *Bela III. Geyſæ II.* Conſtitutionem, *Theobaldus*, Sedis Apoſtolicæ per Dalmatiam atque Sclavoniam Legatus, Epiſcopatum Pharenſem Eccleſiæ Spalatenſi attribuerat contra Jadertinam Sedem. Litteras *Theobaldi*

Digitized by Google

baldi, hac ſuper re editas, juris & uſus publici fecit *Lucius* noti operis Lib. III. Cap. 13. hoc exemplo:

Theobaldus D. G. S. R. Ecc. Sub. Apoſtolicæ Sedis Legatus, dilectis in Chriſto fratribus, univerſo Clero, M. Comiti, & toti populo Spalat. cum dilectione ſalutem. Ad robur, & memoriam rerum geſtarum plurimum valere cognoſcitur ſeries litterarum; quandam namque firmitatem præſtat, nec ſinit oblivisci ſcriptura, quæ diligenti ſolicitudine & cura ſub uno paginali contextu fuerint comprehenſa. Ideoque per ſcripta præſentia notum facimus, & ad notitiam, tam præſentium, quam futurorum ſignificamus, quod cum de mandato ſummi Pontificis in Dalmatiæ, & Sclavoniæ partibus officium legationis haberemus, Spal. Eccleſia, quæ & Salonitana dicitur, ſuper Faren. Epiſcopatu querimoniam depoſuit adverſus Jadertinam Eccleſiam. Profecto ſub Generali vocatione Clero Jadertino ſcripſimus, ſignificantes, & mandantes, ut eorum aliqui taliter inſtructi, & parati ad nos accederent, quod ſuper motis controverſiis ſufficienter reſpondere valerent: cumque ad diem, & terminum denuntiatum præfatus Clerus nec veniſſet, nec reſponſum miſiſſet, quibusdam diebus poſtea elapſis jam dictam querelam audivimus, in præſentia Epiſcoporum, & multorum aliorum, & auditis, viſis, & intellectis rationibus, Privilegiis, & allegat. Eccleſiæ Spalat. eidem, habito plurimorum venerabilium virorum conſilio, prædictum Farenſem Epiſcopatum adjudicavimus, & aſſignavimus anno D. Incar. 1181. *Ind.* 13. *Pontif. Alex. PP.* 3. *an.* 22.

Qua re intellecta *Bela III.* Rex, obſtitit electioni Archiepiſcopi Spalatenſis, & *Petrum Ungarum*, ex vetuſta *Chitilicorum* gente, ad Metropolitanam dignitatem pro jure ſuo evectum eſſe voluit. Orta idcirco non levis eſt controverſia inter *Alexandrum* Pontificem, *Belam III.* Hungariæ Regem, & civitatem Spalatenſem. Hæc enim poſthabitis Hungariæ Regum juribus regiis, Metropolitam ſibi privata voluntate delegerat, favente ei Romano etiam Pontifice, qui ut Regem a ſententia dimoveret, has ad eum litteras, indicato ſupra libro, a *Lucio* vulgatas, ſcripſit:

Alex. Epiſcopus Ser. Ser. Dei, Dil. in Chriſto Filio B. illuſtri, Ungarorum Regi, Salutem & Apoſtolicam Ben. Significantibus nobis dilectis filiis noſtris Clero, & populo Spal. nobis innotuit, quod cum Eccleſia Spalatina diu paſtore vacaverit, & uſque ad hæc tempora juxta Privil. Roma-

Romanorum Pontificum, & ſacrorum Canonum liberam electionem habuerit, tum ea Epiſcoporum, ſecundum quod obſervatum eſt eligi, non permittis, volentes igitur Regiæ ſaluti conſulere, & indemnitati præfatæ Eccleſiæ pro noſtri officii debito providere, monemus Regiam excellentiam, & exhortamur in Domino, quatenus eam libere, & ſine contradictione de perſona idonea ordinari permittas, qui, & Populo Dei præeſſe valeat, & prodeſſe; alioquin licet magnificentiæ Regiæ deferre velimus, jam dictæ Eccleſiæ in jure ſuo deeſſe non poterimus aliqua ratione, nam, & ſerenitati Regiæ credimus expedire, ut Civitatem ipſam in ſua libertate conſerves, & habitatores ejus in fidelitate tua facias firmiores, & ne eis circa Dominium tuum occaſionem tribuas malignandi. Ad hæc etiam Regiam magnificentiam monemus attentius, & rogamus, quatenus Minoslavum Comitem ad reddendum pecuniam prænominatæ Eccleſiæ, quam olim bonæ memoriæ R. Spalaten. Archiepiſcopo abſtulit, vel ad æſtimationem congruam, & ut loca illa, in quibus olim cathedrales ſedes fuiſſe noſcunt, ordinari permittat, ſi aliter ad hoc induci nequiverit, Regia poteſtate compellas, Data Viterbii II. Non. Julii.

Hæc ad *Belam* Regem pro libera Spalatenſium Archiepiſcopi electione *Alexander III.* ſummus Pontifex. At vero *Emanuele* Imperatore Conſtantinopolitano, anno proxime ſuperiori vita functo, in Hungarorum ditione & poteſtate Spalatenſes jam erant; quos neque conſuetudinem veterem, neque immunitates *Colomani*, quas amiſerant, obtendere, ſed novo Domini imperio, & juribus coronæ Hungaricæ morem gerere oportebat. Erat præterea ſub initia novi imperii vel maxime neceſſarium, ut is Archiepiſcopus Spalatenſium eſſet, de cujus fide & rerum uſu Rex certus ſecuruſque eſſe poſſet. Menſe proxime ſequenti, ſeptima & vigeſima Auguſti, *Alexander* Pontifex ad meliorem vitam abiit, cui ſucceſſit *Lucius III.* Hic, ut ex omnibus adparet, Regem *Belam* in eligendo Spalatenſium Metropolita, jure Hungariæ Regum veteri pacifice uti permiſit: quippe, teſte *Thoma Archidiacono*, Hiſtoriæ Salonitanæ conditore celeberrimo, *Cap.* 23. *Poſt mortem Emanuelis Imperatoris cum rediiſſent Spalatenſes ad dominium Vngarorum, electio facta eſt de quodam Petro Ungaro, filio Chitilen, qui erat nobili genere ortus.* Hoc poſt biennium ad Colocenſem metropolim translato, conceſſione *Belæ* Regis in Spalatenſi cathedra ſucceſſit *alter Petrus, abbas S. Martini de Pannonia*, teſte eodem *Thoma Archi-*

Digitized by Google

diacono; ex quibus, ut opinor, clariſſime perſpicere licet, qua ratione ipſe *Bela* Rex Conſtitutionem *Geyſæ*, ab ſe confirmatam, interpretatus ſit, & qua mente eandem ab aliis legi, atque intelligi voluerit.

CAPVT XVII.

Emericus, ſive Henricus Rex, Belæ III. filius, Conſtitutionem Geyſæ avi, a patre confirmatam, pariter atque pater interpretatur, & Jus ſuum Regium non ſegniter tuetur.

Anno cIɔcxcvII. *Bela* Rex naturæ debitum perſolvit, relicto *Emerico*, ſive *Henrico* filio, ſe adhuc vivente in Regem Hungariæ coronato. Prima ſub hoc, quantum ſcio, de Jure Regio, deque Conſtitutione *Geyſæ* controverſia anno cIɔcxcvIII. fuit. Epiſcopum quippe Quinqueeccleſienſem, inceſtûs cum nepte accuſatum, *cum conſilio Pontificis* epiſcopatu *R*ex movere volebat. Calculum ſuum adjicere noluit Pontifex, ac perſuadere conabatur Regi: *Præſumi non poſſe incontinentem in ſenectute, qui in juventute continuit, maxime ſi ſit litteratus.* Epiſtola *Innocentii* ad *Saulum*, Csanadienſem Epiſcopum, ea de re ſcripta, legitur *Decretalium Lib. II. De præſumpt. Cap. XV.* & *cap.* 2. *eod. tit. in I. Compil.* unde potius quam ex priori ob rationes, quas mox adferam, vulgare eam hic libuit.

Cum in juventute ſua ve. f. n. C. Quinqueeccleſien. Epiſcopus adeo ſe maturum, honeſtum, & providum exhibuerit, ut propter ſuavem ſuæ probitatis odorem ab eccleſia Rom. meruerit ornamento pallii decorari; non eſt de levi credendum, quod, poſtquam ad ſenilem pervenit ætatem, turpiter abjecerit jugum domini, fetores, & fæditates libidinis amplexando; cum labes hujusmodi, quæ nonnumquam in juventute contrahitur, in ſenectute frequentius expietur. Quis præterea de facili crederet, quod vir præditus ſcientia litterar. propriæ ſalutis oblitus ad eam paſſionis ignominiam ſe converteret: ut cum propria nepte abominabilem perpetraret inceſtum, cum etiam ſecundum ſententias ethnicor. Naturale fœdus inter tales perſonas nihil committat ſævi criminis ſuſpicari. Licet igitur ille Rex Henricus eundem Epiſcopum nobis interdum per nuntios, & litteras de tali crimine detuliſſet, ſupplicitre poſtu-

poſtulans & inſtanter, ut malum hujuſmodi perniciosum exemplo de Ungarica eccleſia tolleremus. Quia tamen ejus ſuggeſtio non de caritatis radice, ſed ex odii fomite procedere videbatur, cum ipſum tamquam inimicum perſequi non ceſſaret, ſicut eſt in tota provincia manifeſtum, noluimus aures noſtras, quaſi malignis delationib. inclinare, ſed ut probaremus ſpiritum, ſi eſſet ex Deo, bo. me. Gerien. Epiſcopo dedimus noſtris litteris in mandatis, ut prudenter & caute a coëpiſcopis indagaret, utrum præfatum Epiſcopum crederet tali labe reſperſum, qui nobis poſtmodum reſcripſerunt, quod eum virum honeſtæ converſationis eſſe credebant, perſonam illius multipliciter commendantes.

Reliqua neque *Pithœi* fratres in vetuſtis codicibus repererunt. Quem finem lis iſta ſortita ſit, deſtitutus monumentorum ope, dicere non habeo; dubium præterea eſt de tempore, quo iſtam *Innocentii* Epiſtolam ſcriptam eſſe oportuit. *Pithœi* adnotant annum CIↃCXCVIII. *Timon*, Chronographus noſter non indiligens, rem hanc omnem ſub *Andrea II. Emerici* fratre, anno CIↃCCXIV. fuiſſe geſtam, ſcribit: *Calani*, inquit, *Quinqueeccleſienſis Epiſcopi apud Andream Regem, & ab hoc apud Sedem Romanam infandi criminis, cum nepte commiſſi, accuſatio. Cauſam cognoſcendam Innocentius Jaurinenſi Epiſcopo ceteriſque demandat. Ab his ille innocens pronunciatus a Papa uſum Pallii in Miſſarum ſolemnibus obtinet.* Notam temporis, ab eruditiſſimo fratrum pari adſcriptam, belle tuetur laudata *Innocentii* Epiſtola ex Compil. I. hic a me iſta de cauſa vulgata; ait enim Pontifex: *Licet igitur ille Rex Henricus eundem Epiſcopum &c.* pro quibus a *Pithœis* non recte, ut opinor, editum: *Licet igitur Rex Hungariæ eundem Epiſcopum &c.* Exiſtimabam olim, recoctam iterum fuiſſe calumniam in *Calanum* iſtam etiam ſub *Andrea II.* Rege Hungariæ; adieram idcirco, famæ conſilio, per litteras virum apud nos fortaſſe doctum, certe ob doctrinam & bonas litteras non ſpernendis honoribus admotum, & certiora melioraque ab eo edoceri orabam: at vir urbanus ne reſponſo quidem ſuo me dignatus, exageratum illum ſuum fortunatæ eruditionis cumulum ſubmiſſa hac ſymbola minuere noluit. Majus aliud eodem anno (1) *Henricum* inter, Regem noſtrum, & *Innocentium III.* ſummum Pontificem, diſſidium exſtitit. *Boleslaum*, Vacinenſem Epiſco-

1) *Vide Péterf. Concil. Hung. P. I. p. 14.*

ſcopum, *Henricus* Rex Vacienſi eccleſia, *inconſulto Pontifice*, manu ſua ejeciſſe dicitur. Rem omnem, ut geſta eſt, *Innocentii* epiſtola, ad *Henricum* miſſa, continet (1), vulgata a *Baluzzio* hoc exemplo:

Illuſtri Regi Vngariæ.

Inter univerſi orbis provincias Apoſtolica ſedes regnum Vngariæ ſpeciali quadam prærogativa dilexit ob merita Regum ipſius, ac præcipue ob ferventis devotionis conſtantiam & inviolabilis ſinceritatis affectum, quem inclytæ recordationis Bela Rex Vngariæ pater tuus circa ſanctam Rom. Eccleſiam matrem ſuam fere ſemper exhibuit, ad exaltationem ipſius, augmentum Eccleſiarum regni ſui, & honorem omnium Clericorum, tam humiliter quam potenter intendens. Nos etiam ſperantes, quod in filio paternæ vigeat devotionis affectus, & tua regia celſitudo ſic eidem patri tuo in propoſito ſicut in regno, ſic in voluntate ſicut in dignitate ſuccedat, ad integritatem regni tui & tui honoris augmentum efficaciter intendimus hactenus, & adhuc intendere non ceſſamus; ſperantes quod & tu eo fortius in noſtra & Eccleſiæ Rom. devotione perſiſtas, quo amplius noſtram circa te ac regnum tuum expertus fueris gratiam & favorem fratrum. Verum quanto ſincerius regiæ ſerenitatis diligimus incrementum, tanto amplius contriſtamur, quando ea de tuis actibus ad noſtram audientiam perferuntur, quæ circa te provocent divinæ indignationis offenſam, & injuriam Apoſtolicæ ſedis & tuæ videantur famæ diſpendium redundare. Sane pervenit ad audientiam noſtram, quod in prima tranſactæ obſervantiæ quadraſimali hebdomada, quarta feria quatuor temporum, circa crepuſculum noctis, venerabili fratre noſtro Watienſi Epiſcopo cum Canonicis ſuis completorium decantante, accedens ad Eccleſiam Watienſem, claves ſacrarii exhiberi tibi, & Epiſcopum de Eccleſia egredi præcepiſti. Cumque ipſe poſitas ſibi formidans inſidias, cum ipſa hora ei multæ ſuſpicionis certius ingereret argumentum, obtemperare juſſioni regiæ recuſaret, oſtium ſacrarii mandaſti violenter infringi; & cum idem Epiſcopus & Canonici propter hoc converſi ad Dominum cum lacbrymis decantarent: Aſpice Domine de cœlo Sancto tuo, & cogita de nobis, *tu quaſi moleſte ferens, quod divinum auxilium implorabant, irruens in Epiſcopum, ipſum a ſummo gradu, quod eſt ante altare, uſque in pavimentum vio-*

1) Lib. II. Epiſt. 96.

violentis manibus attraxiſti, & pavimento alliſum tradidiſti non minus violentis tuorum manibus de Eccleſia extrahendum. Ipſo igitur de Eccleſia violenter ejecto, & relicto quodammodo ſemivivo, fracto ſacrarii oſtio, & ſcriniis violatis, theſaurum Eccleſiæ occupaſti, & patrimonium ejusdem Epiſcopi, quod domui cuidam religioſæ, quam ipſe de novo fundaverat, conceſſerat intuitu pietatis, feciſti pro motu voluntatis propriæ confiſcari. Poſtmodum vero cum idem Epiſcopus propter hoc in Eccleſia ſua taliter violata divina prohibuiſſet officia celebrari, tu decimas ſibi denegari feciſti, ac vetuiſti nuntiis ejus ſub pœna privationis oculorum, ne regnum tuum egredi attentarent, quaſi tacite prohibens ne ad Apoſtolicam ſedem accederent, ſuper his querimoniam delaturi. Quia igitur ſaluti tuæ conſulere cupimus, & potius animæ quam corpori providere, cum novis non conſtiterit de prædictis, ſerenitatem regiam monemus & exhortamur in Domino, & in remiſſionem injungimus peccatorum, per Apoſt. ſcripta mandantes, quatenus taliter quæ prædicta ſunt corrigas per te ipſum, taliter Epiſcopo ſatisfacias memorato, immo potius ſedi Apoſtolicæ, quam læſiſti, taliter Watien. Eccleſiæ damna reſtaures, quod nos ad id ſeveritatis Eccleſiaſticæ manum apponere non cogamur. Alioquin, quantumcunque perſonam tuam in Domino diligamus, quia tamen potius Deo quam homini volumus complacere, diſſimulare non poterimus, quin in te & terram tuam exerceamus canonicam ultionem. Certe priorum exempla te potuerant ab hujuſmodi revocare, & a tanta præſumptione tuam debuerant compeſcere voluntatem. Legiſti enim, vel forſan audiviſti, quod cum Heliodorus ærarium, quod erat Hieroſolymis, ſpoliaret, percuſſus ab Angelo expiraſſet, niſi pia ei ſubveniſſet oratio ſacerdotis. Baltaſar, dum ſpoliato templo vaſis ſacris in convivio uteretur, articulos manus regni ſui terminum notavit in pariete depingentis. Pompeius, non quia ſpoliavit, ſed quia intravit ſolummodo ſancta ſanctorum, de ſemper victore victus effectus, commiſſum jugulo expiavit. Sano igitur ductus conſilio, per condignæ ſatisfactionis effectum tantæ præſumptionis reatum ſtudeas abolere; ne præter canonicæ diſtrictionis rigorem, quem debes merito formidare, Deus ultionum Dominus, qui reddit retributionem ſuperbis, in te ac regnum tuum injurias dicti Pontificis immo ſuas potius graviter ulciſcatur. Datum Laterani XI. Kalendas Julii.

Habes ſub oculis facinus in annalibus noſtris ſine pari; quod ſi ita, ut *Innocentio* relatum eſt, re ipſa etiam fuit perpetratum, pro-

ſecto *Emericus* Rex non Confirmationis modo ſuæ, cum *Bela* patre ſactæ, ſed Chriſtani etiam officii oblitus fuiſſe videri queat. At vero ſunt plurima, quæ omnem criminationem iſtam reddunt vel maxime ſuſpectam. Primum animus *Henrici* Regis, quem *Thomas Archidiaconus*, teſtis enimvero fide dignus, *clementiſſimum* fuiſſe ſcribit (1). Solicitudo deinde *Innocentii Papæ*, eadem iſta de cauſa ad archiepiſcopum Colocenſem ſcribentis: *Inquiras*, inquit, *de prædictis omnibus diligentius veritatem, & quod inveneris per tuas nobis cures litteras intimare; ut re cognita, apoſtolicum a nobis procedat edictum, per quod tantæ præſumptionis audacia diſtrictione canonica feriatur* (2). Utinam rei hujus porro geſtæ memoria ad nos fuiſſet propagata! in vulgatis enim *Innocentii* epiſtolis neque archiepiſcopi Colocenſis litterarum, neque fulminis *Innocentii*, vel leviſſimum uſpiam adparet veſtigium. Cauſas tantæ rei *Emericum* regem habuiſſe graviſſimas, in aperto eſt. Quid ſi de fide, quam collati tempore beneficii juratus Regi promiſerat, *Boleslaum Emericus* ſuſpectum habuit? ſane indicio ſunt maximo: *ſcrinia inſpecta, theſauri eccleſiæ occupati*; &, quod ſummum eſt, *patrimonium ejusdem epiſcopi fiſco regio addictum*: his enim pœnis viros eccleſiaſticos, violatæ in regem fidei reos, leges noſtræ caſtigant. At quæ poterat eſſe hujus perfidiæ occaſio? nempe, aut me omnia fallunt, ſimultates inter *Emericum* Regem, & *Andream* Ducem, ejus fratrem, quæ iſto potiſſimum anno in apertum prorumpere cœperant. Errat enim non leviter diligentiſſimus alias *Timon*, dum in Epitome ſua earum initium ad annum 1201. rejicit: nam, ut probe obſervat *Raynaldus* ad annum Pontificatus *Innocentii primum* Chriſti vero 1198. num. X. odia iſta inter fratres, vivo adhuc *Cæleſtino*, fuiſſe exorta, certum eſt: quippe *Cæleſtinus* ipſe, in eos omnes anathema jaculatus jam fuerat, qui ab *Andreæ* Ducis partibus contra fratrem eſſe præſumerent. Faviſſe autem *Andreæ* eccleſiaſtici quosdam ordinis viros, teſtis eſt ipſe *Innocentius PP. III.* ſcriptis ad abbatem *S. Martini*, qui eo ſe ſcelere vinculiſque anathematis implicuerat, literis, quibus eum in cenſuras, a *Cæleſtino* diſtrictas, impegiſſe monet, verba ejus accipe:

Abba-

1) *Hiſtoria Salonitana Cap. XXIV.*

2) *Eodem Epiſtol. Innoc. III. Lib. epiſt.* 97.

Digitized by Google

Abbati Sancti Martini.

Ex litteris, quas cariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus Vngariæ Rex illuſtris ad ſedem Apoſtolicam deſtinavit, nobis innotuit, quod contra ſerenitatem regiam cum nobili viro A. Duce, fratre ipſius, temere conſpiraſti, cui etiam adbuc diceris inhærere. Cum igitur felicis memoriæ Celeſtinus Papa prædeceſſor noſter ſub pœna excommunicationis univerſis in Ungaria conſtitutis curaverit inhibere, ne dicto Duci contra ſalutem regiam conſilium darent aliquod, vel juvamen; nos tibi quem publica fama contra ipſius prædeceſſoris noſtri probibitionem (ſicut dicitur) veniſſe demonſtrat, ſalutationis alloquium denegantes, ad noſtram duximus præſentiam evocandum; per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus uſque ad feſtum exaltationis ſanctæ crucis proxime venturum noſtro te conſpectui repræſentes, ad objecta ſufficienter & rationabiliter reſponſurus. Datum Laterani (1).

Non ſolum vero abbatem *S. Martini*, ſed alios etiam eccleſiaſtici ordinis viros per ea diſſidia fidem ſuam maculaſſe, clare indicant aliæ ejusdem *Innocentii* litteræ, ad Archiepiſcopum Colocenſem &c. ſcriptæ, & a *Baluzzio* editæ Lib. I. epiſt. 510. hoc exemplo:

S. Colocen. Archiepiſcopo, V. Geurien. & D. Zagrabien. Epiſcopis.

Ad noſtram noveritis audientiam perveniſſe, quod cum omnes communicantes in aliquo A. fratri cariſſimi in Chriſto filii noſtri Vngarorum Regis illuſtris, qui ſcilicet vel litteras ſibi dirigerent, aut ab eo reciperent deſtinatas, vel eidem aliquod conſilium, vel auxilium exhiberent, vel ei in aliquo communicare præſumerent, de mandato bonæ memoriæ Celeſtini Papæ prædeceſſoris noſtri excommunicationis fuerint vinculo innodati, N. & A. poſt excommunicationem & inhibitionem Apoſtolicam eidem communicare ſcienter, conſilium & auxilium impertiri, & divina præſumpſerunt etiam celebrare. Vnde propter hoc in Hydruntin. & Spalatin. Archiepiſcopos, quamvis & illi Excommunicationi ſubjaceant, ab eodem, loco remunerationis, contra juris ordinem, in Regiæ dignitatis præjudicium ſunt promoti. Quia vero tantæ præſumptionis audaciam in injuriam DEI & contemptum ſedis Apoſtolicæ attentatam, impunitam relinquere non poſſu-

1) *Epiſtolarum Innocentii Lib. I. epiſt. 7.*

Digitized by Google

poſſumus nec debemus , fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus , quatenus ſuper præmiſſis inquirentes diligentius veritatem, ſi rem ita noveritis ſe habere, præfatos N. & N. eorum electionibus, immo verius intruſionibus penitus irritatis, excommunicatos publice nuntietis, & uſque ad condignam ſatisfactionem faciatis ab omnibus arctius evitari; diſtrictius inhibentes, ne quis eis obtentu electionum fidelitatem, obedientiam, vel reverentiam audeat exhibere. Nullis litteris &c. Quod ſi omnes &c. Datum Laterani III. Kalend. Januarii.

Hactenus *Innocentii* Epiſtola; ex qua ſimul & ſuperiore non ægre intelliguntur cauſæ, cur *Henricus* Rex in *Boleslaum*, tanti criminis ſuſpectum, & voluntati inſuper regiæ morem gerere tergiverſantem, tam ſevere animadverterit. *Péterſius* quidem *Concil. Hung. P. I. pag.* 48. *indignum facinus, & inaudito in Annalibus noſtris flagitio patratum*, appellat; at profecto dignius ipſe cum ſe, tum opere ſuo, edidiſſet facinus, excuſſa diligentius rerum, ab *Emerico* Rege geſtarum, memoria: tum enimvero eidem, omnium prope inſidiis expoſito, peperciſſet facilius, & vel a præcone domeſtico *Bonfinio* didiciſſet, eum a quibusdam *Henricum* fuiſſe adpellatum. Equidem *Emericum* Regem ajo, *in modo* potius, quam *in facto* erraſſe. Ad *modum* quod attinet , merito illum excuſet auſteritas eorum temporum; cum patrum memoria *Petrus Czarus* leſæ Majeſtatis ſuæ reos manu ſua obtruncarit. De *facto* autem, pro Jure hoc ſuo regio theſauros Eccleſiæ, alii conferendos, occupare, & patrimonium *Boleslai* fiſco addicere potuit, ut ex legibus noſtris omnibus notum (1).

CAPVT XVIII.

Eadem ratione Conſtitutionem avi ſui Geyſæ, & Confirmationem Belæ patris, intelligit Andreas II. Rex, & Jus ſuum Regium exemplo patris fratrisque ſtrenue tuetur.

Anno cIↃccIV. *Innocentius* Pontifex, ut ex *Raynaldo* notat *Timon*, *Emericum* Regem ad ſuſcipiendam pro patre voti reo expeditionem ſacram identidem excitabat. Decrevit is parere denique; ſed

1) *Tripart. P. II. tit. 44. 51.*

ſed ante abitum juri honorique filii ſui *Ladislai* proſpecturus, regem illum creari voluit. Vacabat eo tempore Strigonienſis ſedes, mortuo Guilielmo achiepiſcopo, cujus vices in coronando Regio filio obivit *Calanus*, Quinqueeccleſienſis Antiſtes. Solennia Coronationis celebrata fuiſſe *A.* cıↄcci. *Septimo Kalendas Septembris*, *feria quinta*, Turoczius ſcribit; ſed errore manifeſto: certum enim eſt, *feriam quintam* in *ſeptimum diem ante Kalendas Septembris*, ſive in *Sextam & vigeſimam Auguſti* ab anno cıↄcxcix uſque ad annum cıↄccx. in annum ſolummodo cıↄcciv. incidiſſe, ut calculum experiri volenti patebit. Solenni creationis Regiæ, inquit *Timon*, peracto, *Emericus* Rex in morbum repente cecidit, a quo conſumptus eſt, teſte eodem *Turoczio*, anno cıↄcciv. pridie Kalendas Decembris, feria tertia: error quippe cubat in impreſſis, annum cıↄcc ponentibus, ob eandem calculi rationem, quam ſupra indicavi; ut omittam indubitatum illud, quod *Lucius* eruditi operis ſui Lib. IV. Cap. II. pulchre oſtendit, *Emericum* Regem anno cıↄcciii. in vivis adhuc fuiſſe. Morti proximus *Emericus* Ladislaum filium, prope puerum, *Andreæ* fratris ſui tutelæ commendavit, qui illico id ipſum per litteras ſignificavit ſummo Pontifici, & regno moderari cœpit. Omni iſto tempore, ut ſupra memini, Strigonienſis Metropolitana ſedes vacabat. Igitur *Andreas* Dux initio ſtatim tutelæ ſuæ *Joannem*, Archiepiſcopum Colocenſem, Conjugis ſuæ *Gertrudis*, *Bertholdi* Meraniæ Ducis filiæ fratrem, Strigonienſibus canonicis gratum atque acceptum, Metropolitam Strigonienſem eſſe jubet. Translationi huic, tutorio nomine & legitime factæ, obniti auſi ſunt Strigonienſes Suffraganei, qui in *Calanum*, Quinqueeccleſienſem Præſulem, aut alium ex Epiſcopis, Strigonienſi obnoxium, conſpiraverant. Pontificis *aſſenſum* transferendi *Joannis*, Colocenſis archiepiſcopi, *Andreas* Dux per litteras, fratris ſui *Emerici* ſigillo munitas, petierat; gratam ſibi eam eſſe, Strigonienſe Capitulum teſtabatur, & ſimul jus ſuum electionis minoris, Regum gratia conceſſum, contra ſuffraganeos tuebatur. Cur hi, inaudito adhuc exemplo, translationi Regiæ obſtrepere auſi ſint, genuinam poſt paulo cauſam pluribus indicabo. Fuerunt fortaſſe plures etiam aliæ: gravius, niſi fallor, accidebat jam debilioribus eorum quibusdam Jus Regium in *Eligendis Transferendis*, *Deponendisque* Hungariæ Præſulibus; recens deinde adhuc

Digitized by Google

erat memoria injuriæ, uti interpretabantur, ab *Emerico* Rege *Boleſlao* Vacienſi Epiſcopo illatæ; tum regimen tutorium, innovandis ſæpe rebus maxime opportunum, laxiores præbere habenas videbatur; ſpes denique metropolitanarum infularum ferme erepta, & *Joannes* Colocenſis archiepiſcopus, patria & gente Germanus, Tutoris, ejusque affinis gratia, quæ privata videri facile poterat, Suffraganeis Strigonienſibus, Hungaris, prælatus. Atque ultima hæc, niſi fallor, perpulit *Andream*, ut, mutato Conſilio, *Calanum* Quinqueeccleſienſem, præterito *Joanne*, in Metropolitam poſtea Strigonienſem eligeret, eumque a Pontifice conſecrari per litteras peteret. At vero neque hanc *Andreæ* electionem ratam ſe habere poſſe Pontifex nuntiavit. Nempe, ut paulo poſt pluribus docebo, perlatos, cum a ſe, tum a deceſſore ſuo Cæleſtino, *De electionibus Prælatorum* recentes Canones, in Hungariam quoque noſtram, occaſione iſta inducere conatus eſt: longe enim a vero Péterſius aberrat, dum Part. I. Concil. H. p. 66. ſcribit: *Erat*, inquit, *adhuc viva in memoria Geyſæ & Stephani* (Belæ) *renuntiatio, quam Papa continuo in alveum ſuum derivans, quidquid molitionis utrinque tentatum eſt, reſcidit, & ut nova canonica coitione Archiepiſcopum legerent, data ad Regem epiſtola præcepit*: quippe *Renuntiatio* Belæ III. ut vidimus, Electionis Prælatorum ne mentionem quidem continet; notum contra eſt, Innocentium III. primas ad electionem Prælatorum Decretali ſua *tit. De elect. Cap.* 28. Catholicis Principibus per hæc ipſa tempora adimere fuiſſe conatum, quod enimvero *Péterſius* ignorare non debebat. Innocentii epiſtolæ ad Regem exemplum eſt ſequens:

Illuſtri viro, Andreæ, Domino Hungariæ.

Novit ille, qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum, quod ad honorem & profectum tuum ardenti deſiderio aſpiramus, pro certo ſperantes, quod progenitorum tuorum inhærens veſtigiis, ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, Matrem tuam prompta devotione cupias venerari. Licet ergo per primas litteras, quas noſtro Apoſtolatui deſtinaſti, poſtquam ad regni gubernaculum aſcendiſti, fraterno ſigillo ſignatas, nos duxeris exorandos, pro venerabili fratre noſtro, & Colocenſi Archiepiſcopo ad Strigonienſem

ſem Metropolim transferendo, poſtmodum tamen per alias litteras tuo charactere inſignitas, nobis humiliter ſupplicaſti, ut poſtulationem de venerabili fratre noſtro C. Quinqueecclefienſi Epiſcopo, ad eandem Metropolim evocato, mittere dignaremur; ſuper quæ cum fratribus noſtris deliberavimus diligenter: & quoniam invenimus eam poſt appellationes ad nos legitime interpoſitas, in multa diſcordia non ſolum Suffraganeorum, verum & Canonicorum Strigonienſis Eccleſiæ, contra formam mandati noſtri, regulari ordine prætermiſſo, temere celebratam; illam exigente juſtitia non duximus admittendam: dolentes pro te pariter, & pro ipſo, quod ad poſtulationem hujuſmodi non eſt eo modo proceſſum, ut eam ſecundum Deum approbare poſſemus. Monemus igitur ſerenitatem tuam, & exhortamur attentius, quatenus in hoc non voluntatis noſtræ duritiem, ſed canonicæ ſanctionis cenſuram attendas, quam ſine perſonarum acceptione retinere volumus, ut debemus: cum in manu noſtra non debeat eſſe pondus, quaſi ſtatera doloſa. Scimus pro certo, quod preces, quas nobis ſecundum Deum duxeris porrigendas, parati ſumus efficaciter exaudire. Ne vero Strigonienſis Eccleſia ulterius maneat deſolata, Strigonienſi Capitulo per noſtras damus litteras in mandatis, ut ad providendum ſibi Paſtorem idoneum per Electionem Canonicam, vel poſtulationem *concordem, requiſito Suffraganeorum aſſenſu*, ſi de antiqua & approbata conſuetudine fuerit requirendus, *intra menſem, poſt ſuſceptionem litterarum noſtrarum procedere non poſtponat. Alioquin, ex tunc, ne gregi dominico diu deſit cura paſtoris, ad providendum eidem Eccleſiæ Paſtorem idoneum procedemus, ſecundum officii noſtri debitum, ex plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis. In quo, quantum cum honeſtate noſtra poſſumus, tuo deferemus honori. Datum Romæ ad S. Petrum Anno Incar. Domini MCCV. Pontifi. Anno VIII, Indicti. VIII, VIII. Cal. Julii* (1).

Hæ ſunt memorabiles illæ in faſtis noſtris *Innocentii III.* litteræ; a quibus omnia ea, quæ, ut facilius intelligerentur, præmiſi, robur ſuum accipiunt. Et tempore tutelæ controverſiam iſtam agitatam fuiſſe, tum ex die coronationis *Andreæ* Regis, tum ex nota Chronica ſcriptæ ab *Innocentio* Epiſtolæ, certum eſt. Etenim, teſte *Turoczii* & *Budenſi* Chronico, corona incinctus eſt Andreas XXVII. die ab obitu Regis *Ladislai*, *Quarto Kalendas Junii in Pentecoſtes.* Error quidem in numero annorum deliteſcit, ex iis tamen, quæ plene & expreſſe

 ſcri-

(1) *Edita a* Péterfio *ex Vaticano, eoque ſecretiore Tabulario, Concil. Hung. P. I. p. 67. Vide ibid. p. 66.*

Digitized by Google

ſcribuntur, facile emendatur: quippe in quartum diem ante Kalendas Junii, ſive in nonam & vigeſimam Maji dies Pentecoſtes ab anno 1194. uſque ad annum 1206. in annum ſolummodo CIↃCCV. incidit; quo re ipſa etiam Andreas coronari debuit. Sententiæ huic meæ *Innocentius* ipſe teſtem ſe dat; in epiſtola enim ſua, ad Capitulum Strigonienſe data, quam mox proferam, hæc ſcribit: *Et licet cariſſimus in Chriſto filius noſter Andreas Hungariæ Rex illuſtris* (ſcripta enim eſt Epiſtola, Andrea jam in Regem Hungariæ coronato) *tunc Dux & Rex Regni Hungariæ, Ladislai nepotis ſui Regis nomine, cujus tutelam & Regni curam ipſi frater ejus comiſerat, gubernator, precum ſuarum primitias ad nos pro prædicti Colocenſis poſtulatione transmiſerat; poſtmodum tamen pro Quinqueeccleſienſi Epiſcopo &c.* Quæ clariſſimo ſunt indicio controverſiam iſtam Tutelæ tempore fuiſſe excitatam, quo videlicet *Andreas, Dux & Gubernator*, *Ladislai* nepotis ſui Regis nomine ſummæ rerum præerat (r). Certe epiſtola *Innocentii*, qua de agitur, notam temporis, quo ſcripta eſt, habet: *Anno* 1205. *VIII. Kalendas Julii:* exarata igitur fuit ſexta & vigeſima die poſt coronationem *Andreæ* celebratam, quo temporis ſpatio tot res, quot Epiſtola *Innocentii* præceſſiſſe ſupponit, geri non potuerunt. Accedat denique ejusdem epiſtolæ inſcriptio: *Illuſtri viro, Andreæ, Domino Hungariæ,* ex qua elucet, *Innocentium* Pontificem vel ignoraſſe, vel certe credere noluiſſe, *Andream* jam tunc in Regem Hungariæ legitime eſſe electum. At vero jam ipſa quid demum ferat epiſtola, videamus. Scribit igitur Pontifex: ab *Andrea, poſtquam ad regni gubernaculum aſcendit,* ſive ſimul ac Tutoris nomine regnum moderari cœpit, *litteris fraterno* (Emerici) *ſigillo ſignatis* Pontificem *fuiſſe exoratum* pro *Joanne* Colocenſi ad Strigonienſem Metropolim *transferendo*. Factum hoc ab *Andrea* eſt more jam recepto; ut qui Conſtitutionis *Geyſæ* Regis avi, a *Bela III.* patre, & *Emerico* fratre, confirmatæ memor, de *Joanne* e Co-

r) *Quam longiſſime a vero Lucius aberrat, cum Lib. IV. Cap. II. plus juſto Archidiacono tribuens, Andream regnare cœpiſſe ſcribit anno* CIↃCCIV. *ea unice de cauſa, quod id ex annis Andreæ regni, in quibusdam diplomatibus notatis, adpareat: nam verum quidem eſt Andream eo anno regnare cœpiſſe, ſed tutorio non ſuo nomine, qui in privilegiis a Lucio inſpectis, facile, & quadamtenus vere aliis Regni Andreæ annis adnumerari poterant.*

Digitized by Google

e Colocenſi metropoli ad Strigonienſem *transferendo* ſummum Pontificem duxerit *conſulendum.* *Poſtmodum tamen*, inquit Pontifex, *per alias litteras, tuo charactere inſignitas, nobis humiliter ſupplicaſti, ut* Poſtulationem *de venerabili fratre noſtro C. Quinqueeccleſienſi* (Calano) *Epiſcopo ad eandem Metropolim evocato, admittere dignaremur.* Verba illa: *tuo charactere*, ſine ratione non videntur eſſe addita. At ſi *Andreas* pro *Poſtulatione* Quinqueeccleſienſis *admittenda* re ipſa poſtulavit, profecto quid Poſtulatio eſſet, non intellexit: neque id mirum erat futurum; nam ad hæc uſque tempora Reges Hungariæ *Poſtulationem* de facie ſolum *Grammatica*, nequaquam autem *Canonica* noverant. Metropolitas enim, Epiſcopos &c. *Eligere;* beneficia illis non *Poſtulare*, ſed *dare*, *donare*, *conferre* jure ſuo perpetuo conſueverant. Addit Pontifex: *Poſtulationem hanc*, inquit, *regulari ordine prætermiſſo, temere celebratam, exigente juſtitia, non duximus admittendam.* Enimvero prætermiſſum fuiſſe in ea *regularem ordinem*, certum eſt: fuit enim non volente, non jubente, minime vero conſentiente REGE facta, ingerentibus ſe in Jura Regia ſuffraganeis, & primas partes ad Electionem Prælatorum Hungariæ temere & illegitime aliorſum derivantibus. Scribit porro Pontifex, & *Andream* Tutorem certiorem facit, dare ſe aliis litteris Strigonienſi Capitulo in mandatis: *ut ad providendum ſibi paſtorem idoneum per* Electionem canonicam, vel Poſtulationem *concordem*, *requiſito ſuffraganeorum aſſenſu*, ſi de antiqua & approbata conſuetudine fuerit requirendus, *intra menſem poſt ſuſceptionem ſuarum litterarum procedere non poſtponat. Alioquin proceſſurum ſe ad providendum Paſtorem ſecundum officii ſui debitum ex plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis.* Ad electionem canonicam quod attinet, eam profecto *regulari ordine*, diligentiſſime adhuc obſervato, Capitulum authoritate ſua peragere non potuit; ſola enim & unica voluntas *Regis*, ejuſque conſenſus, Capitularem electionem, utpote indulgentia Regum conceſſam, præſtare potuit *Canonicam* ex inſtituto & more majorum. De *poſtulatione* autem, poſtulare quidem ſibi, ſive *petere* Metropolitam *concordes* poterant, ſed ab REGE; a quo is ſolo & unico, ſalvo jure Regio, diligentiſſime adhuc, ut vidimus, conſervato, Beneficium, præſtito fidelitatis juramento, habere potuit. At vero nota hæc cum alibi, tum ſuffraganeis Strigonienſibus apprime erant; ſed dum

Digitized by Google

Rex puer eſt, dum Tutoris authoritas ignorari fingitur, opportuna occaſio videbatur eſſe, ad mentem Cæleſtini & Innocentii recentiſſimorum Canonum ſpeciem aliquam *Electionis & Poſtulationis Canonicæ Epiſcoporum* ad normam Eccleſiarum Germaniæ in Hungariam quoque inducendæ. At vero conatus ille, uti videbimus, ſperato ſucceſſu plane caruit. Quippe *Andreas* ſimul ac in Regem coronatus eſt, *Joannem* Colocenſem Archiepiſcopum, affinem ſuum, ad Strigonienſem Metropolim tranſtulit, eamque translationem ut ratam Pontifex habere vellet, per litteras petiit. Annuit tandem aliquando Pontifex, & litteras, quantum ſcire poſſum, non ad Regem, ſed ad Capitulum Strigonienſe dedit; in quibus, retexta omni hac controverſia, translationi ſe memoratæ annuiſſe, nuntiat. Exſtat ea epiſtola inter *Decretales tit. V. de Poſtul. Prælat Cap. IV.* unde eam huc integre tranſtuli, quo lis hæc omnis melius intelligi queat.

Idem Præpoſito & Capitulo Strigonienſi.

Bonæ memoriæ Guil. Archiepiſcopo veſtro, viam univerſæ carnis ingreſſo, cum in Colocen. Archiepiſcopum poſtulandum a nobis contuliſſetis unanimiter vota veſtra, ſuffraganei ſtrigonien. Eccleſiæ, Quinqueeccleſien. *Epiſcopus* (1) *videlicet, & quidam alii* (a) *Poſtulationi veſtræ ſe opponere curaverunt, aſſerentes, quod eis contemptis, qui jus habebant eligendi vobiſcum, Poſtulatio eadem fuerat attentata: licet veſtri Nuntii proponerent ex adverſo, quod ſuper præficiendo vobis Pontifice* (2) *de gratia multoties ſuffraganeorum fuerat requiſitus aſſenſus; ſed ipſi vobis conſilium denegaverunt. Nuntiis igitur in noſtra prælentia conſtitutis, & proponentibus Adverſariis quædam alia contra Poſtulationis veſtræ proceſſum, quia nobis de propoſitis non conſtabat, ita duximus providendum, ut ſi ſuffraganeis perſiſtentibus in contradictione ſua vos* (3) *Poſtulationi veſtræ velletis inſtare, per Procuratores idoneos ad ſedem Apoſtolicam veniretis. Si autem*

illi

1) *Vox*, Epiſcópus, *deeſt in multis antiquis.*

a) *Adnotat Péterſius:* Vacienſis nempe Boleslaus; Veſprimienſis, Kalenda; Nitrienſis, Vilhelmus; cujus ultimi nomen circa annum 1209. a nobis in diplomate repertum eſt.

2) *Al.* Paſtore.

3) *Al.* & vos.

Digitized by Google

illi a contradictione ſua ceſſarent, & vos inſtaretis propoſito veſtro, ad præſentiam noſtram mitteretis perſonas idoneas, quæ ſuper his, quæ opportuna forent, nos redderent certiores. Quodſi contradicentibus Epiſcopis memoratis vos contingeret de jure veſtro diffidere, aliam perſonam idoneam provideretis vobis canonice in Paſtorem. Ceterum quidam veſtrum a Poſtulatione veſtra, quam nobis præſentaveratis communiter, temere recedentes, aliis perſiſtentibus in eadem, prædictum Quinqueeccleſien. Epiſcopum in Archiepiſcopum poſtulaverunt: [Et infra, α.] *Nos igitur poſtulationem ipſam, quam invenimus in multa diſcordia non ſolum ſuffraganeorum, verum etiam Canonicorum Strigonien. Eccleſiæ, ac contra formam Mandati noſtri temere celebratam, non duximus admittendam; ſed vobis dedimus in mandatis, ut ad providendum vobis Paſtorem idoneum per electionem canonicam vel Poſtulationem concordem (requiſito ſuffraganeorum aſſenſu, ſi eſſet de antiqua & approbata conſuetudine requirendus,) procedere curaretis; alioquin nos ipſi provideremus Eccleſiæ viduatæ. Verum antequam ad vos Litteræ noſtræ* (1) *perveniſſent, innitentes Mandato priori, ſuffraganeos præter Quinqueeccleſien. ad concordiam revocaſtis:* [*Et infra*, β.] *Poſt hæc (Mandato noſtro* (2) *recepto) ii, qui in Colocen. convenerant, ab ejus Poſtulatione recedere noluerunt, ſed innovaverunt eamdem, reverſis ad eos quibuſdam Canonicis* (3), *qui in partem alteram declinarant*, [Et infra, γ.] *Ceteri vero, qui Quinqueeccleſien. Epiſcopum poſtularant, convenientes in unum, ceteros Canonicos ad Capitulum convocarunt, ad Poſtulationem concordem vel Electionem canonicam, juxta Mandatum Apoſtolicum procedere cupientes: ſed illis nolentibus convenire, intelligentes penes ſe tantum remanſiſſe facultatem liberam eligendi, quia reliqui jus ſuum proſequi negligebant, prædictum Quinqueeccleſien. denuo poſtularunt [Et infra, δ.] Nec obſtabat* (4) *eorum diſcordia qui alium poſtularunt, cum prius in Poſtulatione Archiepiſcopi ſupradicti conveniſſetis pariter univerſi, & conſenſum veſtrum, annotatum litteris & ſubſcriptionibus propriis roboratum, petiiſſetis a nobis per communes Nuntios confirmari, noſque veſtram recepiſſemus Poſtulationem dijudicandam, ſi ſuffraganei forſitan in contradictione perſiſterent, vel (ſi conſentirent, aut etiam cederent) approbandam. Si enim poſtquam Poſtulatio ſupraſcriptionibus*

1) *Al.* Litteræ noſtræ ſecundæ per.
2) *Alias* Mandato ſecundo noſtro.
3) *Al.* quibusdam Canonicorum ex his, qui &c.
4) Nocebat, *in manuſc.*

Digitized by Google

nibus (a) Poſtulantium roboratur, & præſentatur Romano pontifici approbanda, poſſent ab ea recedere Poſtulantes, nobis frequenter illuderetur (b), & judicium noſtrum ex eorum pendere arbitrio videretur [Et infra, ε.] † *Intelleximus [itaque] quod, etſi eſſet neutra (c) Poſtulatio approbanda, juxta tenorem tamen (1) poſterioris Reſcripti ad nos de cetero Strigonienſis Eccleſiæ proviſio pertineret. Quia vero non plenam de perſonis illius Regni notitiam habebamus, ideoque non poteramus ſalva conſcientia eidem Eccleſiæ in alia (2) perſona (d), quæ de Regno Hungariæ originem (3) duceret, congrue providere; nec vellemus ei præficere alienum, quamvis honeſtius videretur, ſi (4) ſuffraganeus ad Metropolim ſuam accederet, quam Archiepiſcopus ad Metropolim transferretur: partem tamen eligimus potiorem; & eumdem Archiepiſcopum, in quem omnes, quorum conſenſus in electione vel poſtulatione Paſtoris requiritur, licet diverſis temporibus convenerant, a vinculo, quo tenebatur, Colocen. Eccleſiæ abſolventes, ad Metropolim ſtrigon. transferimus, & ei licentiam tribuimus transeundi: Pallium (5) ei ad nomen & uſum ejusdem Eccleſiæ transmiſſuri. [Et infra, ζ.]*

[α Quorum votis nullus Suffraganeorum aſſenſit, excepto dumtaxat Epiſcopo Vitrienſi (6). Et licet chariſſimus in Chriſto filius noſter A. Hungariæ Rex illuſtris, tunc dux & Rex Regni Hungarici, L. nepotis ſui Regis nomine, cujus tutelam & Regni curam ipſi frater ejus commiſerat gubernator, precum ſuarum primitias ad nos pro prædicti Colocen. Poſtulatione transmiſerat; poſtmodum tamen pro Quinqueecclesienſi Epiſcopo ad Strigonien. Metropolim transferendo nobis per literas ſuas humiliter ſupplicavit.]

[β Ita quod Vvarm. Vveſprin. (7) & Velan. Epiſcopi pro translatione Colocenſis Archiepiſcopi ſalvo jure ſuo in poſterum, cui propter afflictionem & neceſſitatem Strigon. Eccleſiæ ſuperſedebant ad præſens: nos humiliter rogaverunt, prædicto Nitrienſi ſcribente, quod ſi non placeret nobis electionem factam de Quinqueecclesienſi

a) *In Regeſto*, ſubſcriptionibus.
b) *Regeſt.* illuderent.
c) *Regeſt.* Quod ſi neutra eſſet.
d) *Regeſt. addit*: quam.

1) *Deeſt*, tamen, *in antiquis.*
2) *In nonnullis exemplaribus inſeritur hic dictio*, niſi: *quæ nec in antiquis, nec in veteri Compil. habetur.*
3) Pith. Originem (*Originaires preferés aux Etrangers* i. e. Indigenæ exteris prælati.
4) Ut.
5) *De Pallio* Synod. octava *canon 27.* & Ivo *part. 5. c. 325.*
6) *Nitrienſi*, F. Bonfin. 277.
7) *Vatienſis, Veſprimenſis & Nitrienſis.*

Digitized by Google

ſienſi Epiſcopo admittere, Poſtulationem alterius ſine præjudicio juris ſui ſuppliciter exorabant.]

[γ *Cum prædicti Regis & Suffraganeorum litteris dil. fil. A. Magiſtrum Scholarum, M. Theſaurarium, & A. Archidiaconum, & F. & N. Canonicos Strigon. Eccleſiæ ad Se. Ap. deſtinarunt, ſuper Poſtulatione ſua diſpenſationis gratiam petituros.*]

[δ *Cum ergo utriuſque Partis Nuntii ad Se. Ap. perveniſſent, ii, qui pro Quinqueeccleſien. Epiſcopo venerant, proponebant Partem ſuam juxta Mandatum Apoſtolicum proceſſiſſe; nec obſtare diſcordiam vel contradictionem eorum, qui juxta formam Mandati noſtri procedere contemnentes, illo recepto nec elegerant quemquam canonice, nec concorditer poſtularant. Vnde concors debebat eorum Poſtulatio reputari, cum ceteri tamquam Juſſioni Apoſtolicæ contemptores eligendi ac poſtulandi ſe jure privaſſent, dum nec poſtulare, nec eligere voluerint, imo nec etiam ad Capitulum venire. Ad hæc autem poterat reſponderi, quod illi qui Colocen. Archiepiſcopum poſtularant, formam ſecuti fuerant per noſtras litteras datam; quoniam innitentes priori Poſtulationi juxta tenorem priorum litterarum noſtrarum Partem concordem fecerant; quæ prius diſcors fuerat, dum ſuffraganeos ad concordiam revocarunt.*]

[ε *Poterat quoque addi, quod Pars altera Mandatum Apoſtolicum non ſervarat, utpote quæ nec Poſtulationem concordem, nec Electionem Canonicam celebrarat; cum in majori contradictione quam prius non ſolum Canonicorum, ſed Suffraganeorum, etiam ipſo Rege adverſæ Parti favente, prædictum Quinqueeccleſien. Epiſcopum poſtulaſſet. Auditis igitur his & aliis, quæ fuerunt hinc inde propoſita, & habito ſuper his cum Fratribus noſtris diligenti tractatu.*]

[ζ. *Monemus igitur Diſcretionem veſtram attentius per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes; quatenus eidem Archiepiſcopo reverentiam, & obedientiam debitam impendentes, & ſalubria monita, & mandata ipſius recipiatis humiliter, & inviolabiliter obſervetis, ut & ipſe paternum vobis teneatur exhibere affectum, ſi devotionem apud vos invenerit filialem, & nos devotionem veſtram merito commendare debeamus. Datum Romæ ſecundo nonas Octobr-*] ex Regeſto hæc ultima.

Hactenus *Innocentii III.* ad Strigonienſe Capitulum litteræ. Nota Chronica, ut vides, in Regeſto eſt: *Secundo nonas Octobris;* anni videlicet, niſi fallor CIƆCCVI. Nam *Pithœi*, qui annum 1211. adnotarunt, manifeſte a vero aberrant, ut ex vetuſtis diplomatibus certum eſt. De ipſa epiſtola, plurima hic eſſent differenda; verum quia conditione ſolum nititur: *Si unquam viguiſſet apud nos Jus Electionis Canonicæ & Poſtulationis Prælatorum*, ad illuſtrandum Jus hoc noſtrum Regium, diligentiſſime hucuſque conſervatum, nihil confert, & minus etiam eidem officit: præſertim cum Pontifex ſcribat: *Et eundem Archiepiſcopum, in quem omnes, quorum conſenſus in Electione, vel Poſtula-*

Digitized by Google

tione paſtoris requiritur, licet diverſis temporibus convenerant, . . . ad metropolim Strigonienſem transferimus: quibus *conſenſus Regius*, in Electione paſtoris ſemper adhuc apud non requiſitus, clariſſime innuitur: patet hoc præcipue ex iis, quæ narrare incipio. *Joanni*, Archiepiſcopo Colocenſi, ad Strigonienſem Metropolim translato, *Bertholdum*, Præpoſitum Babenbergenſem, *Joannis* Germanum minorem, & Reginæ conjugis fratrem, ſubrogatum eſſe *Andreas* Rex volebat: non probabatur rurſus ea electio Pontifici; nequaquam tamen ob defectum *Electionis* Canonicæ ad normam recentiorum canonum, verum ob graves alias rationes, quas adfert Pontifex in epiſtola ſua, paterna prorſus caritate, æquitate, & Juris noſtri Regii peritia ad *Andream* ſcripta, quæ graviſſimo argumento eſt, Pontificem tum, de Juribus noſtris diligentius edoctum, de *Poſtulatione*, vel *Electione Canonica* Prælatorum ne cogitaſſe quidem. Eſt inter editas a Buluzzio Lib. X. n. 39. hoc exemplo:

A. Illuſtri Regi Ungariæ.

Sicut regali prudentiæ per alias nos meminimus litteras miſiſſe, illa te caritatis prærogativa diligimus, ut nibil tibi negare velimus, quod eſſemus aliquando cuiquam Principum conceſſuri, cum ad bonorem & profectum tuum, quantum cum Deo poſſumus, efficaciter aſpiremus. Licet autem affectuoſas nobis preces porrexeris pro dilecto filio . . . Pabenburgenſi Præpoſito, germano . . . conjugis tuæ in Archiepiſcopum Colocenſem ELECTO, ut ei, quem in archiepiſcopali officio tibi & regno tuo utilem fore ac neceſſarium confidebas, beneficium confirmationis conferre, ac donum Pallii transmittere dignaremur; quia tamen Apoſtolus docet, ut manus cito nemini imponamus, videlicet antequam de ipſo per examinationem canonicam babeamus certitudinem pleniorem, & nos de ipſius Præpoſiti ætate ac litteratura eramus incerti, venerabili fratri noſtro . . . Archiepiſcopo, & dilecto filio . . . Præpoſito Salceburgenſi dedimus in mandatis, ut ſuper iis diligenter inquirerent, & quod invenirent, nobis fideliter intimarent, ſerenitati tuæ litteris apoſtolicis intimantes, quod ſi litteratura non ſolum eminens, ſed ſaltem competens in eo foret inventa, & ætas non ſolum perfecta, ſed ſaltem perfectioni vicina, uſque adeo tuæ deſiderabamus ſatisfacere voluntati, ut niſi

tantus

tantus appareret in utraque defectus, quod non deberet aliquatenus tolerari, temperato rigore cum ipſo curaremus ex gratia diſpenſare: alioquin non noſtræ duritiæ, ſed ipſius poſſet inſufficientiæ imputari, ſi tua ſupplicatio circa ipſum optatum non ſortiretur effectum. Præfatus autem Salceburgenſis Archiepiſcopus nuper Apoſtolatui noſtro per ſuas litteras intimavit, quod accedens ad fines Ungariæ, duobus ſuffraganeis Colocenſis Eccleſiæ, aliiſque viris idoneis in ſua præſentia conſtitutis, ad examinationem prædicti Præpoſiti juxta formam mandati noſtri proceſſit, aſſerens ſe reperiſſe illum, textum expedite legentem & interpretantem ejusdem verba ſuo idiomate competenter, & apte praterea de conſtructione grammatica reſpondentem, quendam vero Militem, ipſius Præpoſiti prædagogum, juramento corporaliter præſtito affirmantem, eum indubitanter eſſe viginti quinque annorum & ultra, & huic quidem ætati ſtaturam ſui corporis concordare. Nos ergo ſuper iis habito cum fratribus noſtris diligenti tractatu, perpendimus evidenter, eum nec in jure canonico, nec in divino eloquio vel tenuiter commendatum, & ætatem ipſius non ſolum non eſſe perfectam, ſed nec etiam perfectioni vicinam. Quæ duo, videlicet ætas legitima & litteratura ſufficiens, adeo ſunt Archiepiſcopo neceſſaria, qui debet eſſe pater patrum, & magiſtrorum magiſter, ut juxta ſtatutum Lateranenſis Concilii, ſi Clerici præſumpſerint quemquam eligere, non ſolum in Archiepiſcopum ſed etiam in Epiſcopum, qui patiatur in illis duobus aut alterutro eorum defectum, præter hoc, quod irrita eſt talis electio, ipſi ea vice ſint eligendi poteſtate privati, & per triennium a beneficiorum perceptione ſuſpenſi. Unde quod eſt irritum ipſo jure, nos non potuimus ratum habere, miſericorditer agentes ob tui gratiam & favorem cum Capitulo Colocenſi, quod ei pœnam, in prælibato decreto ſtatutam, non duximus infligendam. Dolemus autem non modicum, quod in hoc regiæ non potuimus ſatisfacere voluntati; ne ſi forte declinaremus ad dextram vel ſiniſtram, eſſet in manu noſtra pondus & pondus, menſura & menſura, quorum utrumque abominabile eſt apud Deum. Unigenitus enim Dei filius Jeſus Chriſtus, qui ab ipſa conceptione Spiritum ſine menſura recepit, uſque ad triceſimum annum diſtulit prædicationis officium exercere, per hoc evidenter oſtendens, quod ante triceſimum annum nemo ſibi debet prædicationis officium uſurpare, quod maxime convenit ſollicitudini paſtorali. Ex eo vero quod legitur, quia Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, notatur, quod ſi eligendus in Præſulem ſit illi ætati propinquus, diſpenſari poteſt cum illo, quando neceſſitas vel utilitas

litas id expoſcit, dummodo ei vita & ſcientia ſuffragentur, ejus exemplo, qui cœpit facere ac docere. Nam qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Alioquin, ſi videlicet ſecus fiat, non diſpenſatio, ſed diſſipatio eſt cenſenda. Rogamus igitur celſitudinem regiam & monemus quatenus in eo, quod juri neceſſitas fieri non permiſit, tua ſerenitas non turbetur, ſed potius, faciat præfatum Præpoſitum theologicis & canonicis inſtrui documentis; ut cum tempore procedente profecerit in ſcientia litttrali, nos ad honorem & profectum ipſius tecum pariter intendamus: quia nec tibi nec illi procul dubio expediret, ut contra Deum onus aſſumeret paſtorale; ne forte unde putares proficere, inde magis deficere mereveris, noſque tu viles merito reputares, cum intelligeres, quod propter Regem terrenum non timuiſſemus offendere Regem cœleſtem, qui corpus & animam poteſt mittere in gehennam. Datum Laterani Non. April. anno decimo.

Hactenus *Innocentii* litteræ. Annus Pontificatus *decimus* ſcriptas fuiſſe oſtendit anno CIƆCCVII. die quinta Aprilis. Ait Pontifex: *Licet affectuoſas preces porrexeris pro dilecto filio . . . in Archiepiſcopum Colocenſem* electo, *ut ei beneficium* confirmationis *conferre, ac donum pallii transmittere dignaremur.* Clare hæc indicant, primas ad *electionem* habuiſſe Regem, Pontificem vero ad *Conſcerationem.* Negat quidem Pontifex; at non alia de cauſa, niſi quia deerat *Bertholdo ætas legitima & litteratura ſufficiens*, quæ duo ſumme neceſſaria eſſe, in primis Archiepiſcopo futuro, Lateranenſis Concilii decretis docet. At in eximia epiſtola iſta maximi in re noſtra ſunt illa momenti: *Miſericorditer agentes ob tui gratiam & favorem cum Capitulo Colocenſi, quod ei pœnam, in prælibato decreto ſtatutam, non duximus infligendam.* Nam ſi cætera abſint omnia, clariſſime hæc nobis oſtendunt modum & methodum, qua per ea tempora Prælati Hungariæ ſedes Epiſcopales obtinuerint. Nempe, ut non male olim opinabatur *Péterſius* (1): *Vacante ſede, Canonicorum electioni liberæ, indulgente id regum beneficentia, conceſſum fuit, quem vel è ſuo gremio, vel aliunde poſtulatum Diœceſi præfici vellent. Electi ſubinde nomen, & merita ad Regem delata ſunt: quem ſi Rex probaret, & ſacræ dignitati parem videret, conſenſum & approbationem ſuam addidit, atque ſuper facta electione, per nuntios, litteraſve* CONSECRATIONEM *&* BVLLAS *conferri petiit.* Addit Pontifex: *Alioquin non noſtræ duritiæ, ſed ipſius poſſet inſufficientiæ imputari, ſi tua ſupplicatio circa ipſum opta-*

Digitized by Google

optatum non ſortiretur effectum. Item : *Rogamus igitur celſitudinem Regiam & monemus, quatenus in eo, quod juri neceſſitas fieri non permiſit, tua ſerenitas non turbetur.* Solicitum iſta oſtendunt Pontificem fuiſſe de Rege, ne fortaſſe arbitretur, novam *Juri* ſuo *Regio* creari rurſus objicique moleſtiam. At vero, ut adparet, neque nunc Pontifici *ætas & litteratura Bertholdi* vere fuit renuntiata: quippe, Colocenſis Capituli judicio, ſententiam & voluntatem ſuam haudquaquam mutavit Rex, & *Bertholdum* Archiepiſcopalem Colocſæ ſedem occupare juſſit. Quando vero tandem *conſecrationis beneficium* & *pallii donum* obtinuerit *Bertholdus*, nondum compertum habeo; ſcio contra, eum anno CIↃCCIX. necdum conſecratum fuiſſe. Teſtes hujus ſunt *Andreæ* Regis litteræ, de obtento a ſummo Pontifice, pro Abbate ejuſque ſucceſſoribus Cœnobii S. *Benedicti* ad Granum fluvium, uſu quorundam Pontificalium ſcriptæ, quarum ſubſcriptionis initium eſt hoc : *Venerabili Joanne Strigonienſi Archiepiſcopo, Reverendo Bertholdo Colocenſi ELECTO, exiſtentibus.* Finis autem: *Regni noſtri Anno quinto.* Aut igitur, ut jam monui, *Bertholdus*, canonice impeditus, conſecrari adhuc non potuit; aut jam tum per abuſum accidebat, ut compluribus ab Electione annis *gratia conſecrationis* ab Sede Apoſtolica obtineri non poſſet. At certe, manifeſto hujus ſubſcriptionis teſtimonio, mora *conſecrationis* jam tum haudquaquam obſtitit, quin ELECTI ab Rege Prælati noſtri, omiſſis iis, quæ ordinis ſunt, reliqua omnia, quæ ad Juriſdictionem pertinent, exequi poſſent.

CAPVT XIX.

Expoſitæ hic Controverſiæ Genuinæ Cauſæ *breviter indicantur.*

Sed age, majoris hac in re lucis gratia, genuinas indagemus cauſas, cur iſta de Electionibus Prælatorum Hungariæ diſſidia ſub *Andrea II.* Rege fuerint exorta? pertinet enim iſtud ad claram & ſolidam Juris noſtri Regii cognitionem, & ab ejus ſtudioſis in primis notari debet. Ac de Electionibus Prælatorum jam ſatis notum eſt, poſterioribus temporibus, cleri & populi conſenſu rejecto, ſubſtitutum alibi paulatim fuiſſe aſſenſum Principum; quem Regibus noſtris ſtatim ini-

tio auctoritate Pontificia fuiſſe conceſſum, vidimus. Habebant ergo Reges noſtri hac ipſa conceſſione Pontificia primas ſemper partes ad Electionem, & Jus aſſenſus Electioni, *primo facienda*; non vero *jam factæ*. Anno CIↃCXCIII. (1) *Cæleſtinus III.* ſummus Pontifex, regnante apud nos *Emerico* Rege, Jus hoc primarum ad Electionem partium Catholicis Principibus adimere conatus eſt. Exſtant ejus litteræ, ea mente ſcriptæ, inter *Decretal. tit. de Elect. Cap. IV.* quarum verba, quæ huc faciunt, ſunt hæc: *Sicut ex quarumdam litterarum tenore accepimus, quidam in Electionibus pravæ conſuetudinis morbus irrepſit: ut cum alicujus Prælati Electio debet celebrari, Conventus, ad quem pertinere dignoſcitur, duas perſonas nominet, latenter auribus Patriarchæ vel Principis exprimendas, ut ſic alterius eligendæ, vel totius Electionis penitus irritandæ, idem Patriarcha vel Princeps plenariam habeat facultatem. Quia igitur hoc redundat in gravem perniciem Eccleſiaſticæ libertatis, præſcriptam conſuetudinis pravitatem ſancimus penitus abolendam: Statuentes, ut forma Electionis Canonicæ in omnibus Conventualibus Eccleſiis obſervetur, videlicet ut cum debet Eccleſiæ conſuli, Paſtoris regimine deſtitutæ, Electores in unum locum, in quo fuerit Electio celebranda conveniant, & invocata Spiritus Sancti gratia perſonam nominent. Quodſi in perſona fuerit, vel in electionis modo peccatum, tamdiu in electione diligentiam inquiſitionis apponant, donec vacanti Eccleſiæ de perſona idonea valeant providere. Quo facto, non prohibemus, quin REGIS, ſeu Patriarchæ, qui pro tempore fuerit, requiratur aſſenſus: ſed propter hoc ipſam electionem nolumus impediri.* Hactenus *Cæleſtinus*. Deceſſoris ſui veſtigiis religioſe inſtitit *Innocentius III.* Exſtat hujus epiſtola inter *Decret. tit. De election. Cap. XXVIII.* ad *Stephanum*, in Celio monte Presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ ſedis in Hibernia Legatum, anno CIↃCCV. ſcripta; ubi inter alia Pontifex ſcribit: *Nec appellatio interpoſita Electionem illam potuit impedire, cum in ea nihil attentatum fuerit in præjudicium Regiæ dignitatis: quia non ſimplex nominatio, ſed ſolennis Electio debet PRINCIPI præſentari, ut poſtulatione præſtet aſſenſum; etſi ſecus aliquando per uſurpationem aliqui faciant abuſive.* Perferebantur igitur recentiores hi canones ſub ipſa Regni *Andreæ II.* initia; quos tamen Juri noſtro Regio nihil derogaviſſe, certum eſt. Quippe *Cæleſtinus*

1) *In vulgatis adnotatur annus 1183. ſed per errorem;* Cæleſtinus *enim* Tertius *an. 1191. in Summum Pontificem electus eſt*, ut notum.

Digitized by Google

nius ſcribit : *Quidam in Electionibus pravæ conſuetudinis morbus irrepſit.* Et Innocentius III. *Etſi ſecus aliquando per uſurpationem aliqui faciant abuſive.* Quæ manifeſte eorum tantum Principum feriunt temeritatem, qui in Jus primarum ad electionem partium, temporis lapſu, irrepſerant, eoque *uſurpative* abutebantur: Nos jus iſtud *Divo Stephano* Regi noſtro, ejusque legitimis ſucceſſoribus, auctoritate Pontificia fuiſſe conceſſum, oſtendimus; ejusque apud nos non *uſurpativum*, ſed in facie univerſæ Eccleſiæ, ſemper legitimum uſum per duo jam ſecula viguiſſe probavimus: quæ etiam certiſſima atque unica fuit cauſa, cur *Andreas II.* Rex noſter, Jus hoc Electionis ſuum tum in *Joanne*, Strigonienſi, tum *Bertholdo*, Colocenſi, Archiepiſcopis, tam obfirmato animo tuitus ſit; & poſteriorem illum in quartum jam annum, ſine conſecrationis beneficio, omnia ea, quæ ordinis non ſunt, in regno ſuo exercere voluerit. Quod *Innocentius*, ſummus Pontifex, ait: *Nec appellatio interpoſita Electionem illam potuit impedire, cum ea nihil attentatum fuerit in præjudicium Regiæ dignitatis.* Graviſſimum hæc nobis ſubminiſtrant argumentum, adpellatione apud nos interpoſita, Electionem omnem, more & inſtituto majorum, ſive ab legitimo Rege noſtro non celebratam, impediri & tolli oportere: cum hoc genus Electionis ſit in graviſſimum præjudicium Jurium Coronæ & Regiæ dignitatis Regum noſtrorum. Separent igitur, quam diligentiſſime poterunt, tyrones noſtri ab *Electione* Jus *nominationis, poſtulationis, præſentationis*: ſive *Jus Patronatus Recentius*, quod etiam hodie laicis competit. Jus *præſentandi* Regi, unum vel plures, aut ab eodem Paſtorem *poſtulandi* competet quidem Capitulis noſtris, ſed Regum unice noſtrorum bonitate ac beneficentia: *Jus* vero *eligendi*, nulli alii proprium eſt, niſi ſoli Regi. Ratio hujus ſemper una atque eadem eſt, quia nempe Jus hoc Reges noſtri habent authoritate Pontificia; & illo, ut vidimus, duobus jam ſeculis pacifice uſi ſunt, quamobrem etiam Canones Pontificum recentiores, qui ſeparatim Regiæ Prælatorum electioni, & univerſim Juri noſtro Regio, a *Colomano* & *Geyſa* Regibus liberaliter jam circumſcripto, ſunt contrarii, in Regno ſuo perferri nunquam permiſerunt. Atque hoc illud fundamentum eſt, quo nixus Pazmánus, ad Ferdinandum II. Imperat. & Regem noſtrum veriſſime ſcripſit: *Ea propter*, inquit, *licet Bullæ illæ, ac cætera documenta, quæ illis rationibus*

Digitized by Google

bus (1) *citantur, produci non poſſint, direpta a Turcis Buda, Regalis Archivi Sede; in re tamen morali, ſufficientiſſimum videtur teſtimonium totius Regni, tunc Catholici, ad perſvadendum, Reges Hungariæ revera habere Jus* Eligendi *Prælatos, &* conferendi beneficia. *Salvo tamen iterum manente jure Pontificis, IN ELIGENDO AD CONSECRATIONEM, & in confirmando, ſi dignus ſit, quem Rex elegerit: vel in repellendo, ſi MANIFESTE indignus probetur* (2). Habent certe reges noſtri *Jus Eligendi;* utpote authoritate Pontificia conceſſum, & a nullo unquam Regum noſtrorum remiſſum; poſſunt deinde, ut vidimus, cum *conſilio* Pontificum Prælatos ſuos *deponere*, de una ad aliam Sedem, pro animarum & regni meliori bono, *Transferre;* habent Jus, *bona*, a morte Prælatorum *vacantia,* occupandi, & iis, pro arbitrio etiam ſuo, urgente gravi quapiam neceſſitate, utendi. Denique *collationem beneficiorum Colomanus* Rex ſibi ſuisque ſucceſſoribus retinuit, & ſolum *Jus inveſtiendi* per Epiſcopalia ornamenta Romanæ Sedi remiſit; ut alibi vidimus. His ad hunc modum evidentiſſime demonſtratis, Prælati Hungariæ, ſine gravi præjudicio & periculo Jurium Sacræ Coronæ, nec poſſunt, nec debent ab uſitato majoribus noſtris loquendi more unquam recedere: quippe, ut vidimus, reges noſtri *Eligunt*, non *præſentant* Romæ, aut *Poſtulant* Prælatos ſuos; beneficia pro iis non *petunt*, ſed illis *dant, donant, conferunt*: hinc, in monumentorum etiam penuria, egregie tamen ad *Ferdinandum* ſcripſit *Pazmanus: His præmiſſis*, inquit, *mea hac de re ſententia in his conſiſtit:* Primo, *Prælatos Hungariæ nec poſſe, nec debere uſitatum loquendi modum immutare, ſed loqui debere, ut plures; nimirum: quod Rex Ungariæ, det, donet, conferat beneficia. Ratio eſt; nam leges Hungariæ, criminis Læſæ Majeſtatis reum faciunt, qui contra publicum Statum Regni ſeſe erigit* (3). Adde his, & pro veriſſimo habe: nam qui a conſueto loquendi more diſcedit, is profecto aut malam fidem, aut ſummam Jurium Regis & Coronæ incuriam ſuam imprudenter nudat.

CA-

1) *Tripart. P. I. tit. XI.*
2) *Péterf. Concil. Hung. Par. I. p.* 78.
3) *Péterf. Concil. Hung. P. I. p.* 77.

Digitized by Google

CAPVT XX.

Bela IV. Rex Jus primarum partium ad electionem Prælatorum ſingulari prudentia defendit.

Anno cIↃccxxxv. *Andreæ II.* vita functo ſucceſſit Bela IV. ejus filius. Periclitabatur ſub hoc Rege Hungaria omnis; permirum idcirco non eſt, Jus quoque hoc Regium ſæva tempeſtate fuiſſe jactatum. Anno cIↃccxLI. *Battus* Scytha innumera prope Tatarorum multitudine Hungariam inundavit. Huic dum *Bela* Rex in regione Borſchodienſi ad Schajonem fluvium omnibus Regni ſui viribus obſiſtere tentat, ſucciſo Hungaricæ nobilitatis & Antiſtitum flore, a Tataro victus in fuga vitam ægre ſervavit. Triſtiſſimæ cladis, &, quæ illam ſubſecuta eſt, calamitatis hiſtoriam ſcripſit ſpectator ipſe & teſtis M. *Rogerius*, Varadienſis Canonicus; qui *Cap. XXX.* hæc memoriæ prodidit: *Majores*, inquit, *de clericis cecidere* Mathias *Strigonienſis Archiepiſcopus, quem Rex tum propter fidelitatem, tum quia inſimul nutriti erant, magis diligebat, & ejus conſiliis magna ſub confidentia in rebus arduis utebatur.* Ugolinus *Colocenſis Archiepiſcopus, nobiliſſima ortus proſapia . . .* Georgius *Epiſcopus Jaurienſis . . .* Reynoldus, *Ultraſilvanus Epiſcopus, & Eccleſiæ Nitrienſis Epiſcopus . . .* Nicolaus *Scibinienſis Præpoſitus &c.* Poſt cladem acceptam, teſte eodem *Rogerio, Cap. XXXIX.* varios per errores anno cIↃccxLII. *Rex & totus flos reliquorum Ungarorum ad Spalati partes devenit. Erant autem in comitatu Regio multi Eccleſiarum Prælati, plures Principes & Barones. reliquum vero vulgus utriuſque ſexus & ætatis pæne innumerabile.* Anno proxime ſequenti, decedentibus ſponte ſua Tataris, rediit Rex in luctuoſam Hungariam. Cæſorum in pugna Præſulum ſedes omni hoc tempore vacabant; ſi Strigonienſem demas, quam Rex *Stephano Vancſa*, Epiſcopo Vacienſi, deſtinarat, & anno proxime ſuperiore, titulum jam ab ea ferre conceſſerat. Tum pro metropolita Strigonienſi, tum pro aliis, ab ſe electis Præſulibus, Rex *conſecrationis gratiam* ab *Innocentio IV.* petierat. Eam quidem lubenter conceſſit Pontifex, verum ad mentem recentiorum canonum, quorum ſupra *Cæleſtinum III.* & *Innocentium III.* auctores indi-

cavi; quam ob rem etiam non ad Regem, quantum ſcio, ſed ad alios, quaſi Capitula, ab ſe canonice electos, conſecrari poſtulaſſent, litteras dedit. Earum tres temporum damna effugerunt, juris etiam publici factæ a *Péterſio Conc. Hung. P. I. p.* 70. Prima de Jaurinenſi Epiſcopo eſt; altera de metropolita Colocenſi; de Strigonienſi tertia; en earum exempla:

Electo Nitrienſi Præpoſito S. Thomæ Strigon. & Magiſtro Petro Subdiacono Noſtro, Canonico Colocenſi.

Vacante Geurienſi Eccleſia, dilecti filii, Capitulum ipſius, Venerabilem Fratrem noſtrum (Benedictum) *Varadinenſem Epiſcopum, in paſtorem ſuum* unanimiter & concorditer poſtularunt. *Verum cum Epiſcopus ipſe, ſicut ex relatu fide digno percepimus, ſit in ſpiritualibus, & temporalibus circumſpectus, ſe Deo, & hominibus reddendo, vitæ laudabilis & converſationis bonæ ſtudio, gratioſum; Nos ejusdem Capituli ſupplicationibus inclinati, mandamus: quatenus dictum Epiſcopum, niſi forte aliquis contra ipſum contradictor appareat, qui ſit merito audiendus, auctoritate noſtra a vinculo, quo Varadienſi tenetur Eccleſiæ, abſolventes ipſum in paſtorem Geurienſis Ecclſiæ concedimus; non obſtante, ſi aliquem inveneritis, in poſtulatione de ipſo facta defectum, quem de noſtra ſupplemus plenitudine poteſtatis. Quod ſi non omnes &c. Datum Anagniæ* 5. *Idus Julii, Anno primo.* Id eſt, 1243.

II.

Majoris Eccleſiæ, & S. Georgii Strigonienſis, & Geurienſis, Præpoſitis.

Vacante Colocenſi Eccleſia, dilecti filii, Capitulum ipſius, dilectum Filium, Præpoſitum Albenſem, in Paſtorem ſuum unanimiter & concorditer elegerunt. *Verum cum ipſe Præpoſitus, ſicut ex relatu fide digno percepimus, ſit in ſpiritualibus, & temporalibus circumſpectus, ſe Deo, & hominibus reddendo, vitæ laudabilis & converſationis bonæ ſtudio, gratioſum; Nos ejusdem Capituli ſupplicationibus inclinati, mandamus: quatenus, niſi contra dictum Præpoſitum aliquis contradictor appareat, qui ſit meri-*

merito audiendus, *nos* electionem *de ipſo factam*, *non obſtante, ſi aliquem inveneritis in ipſa defectum, quem de plenitudine poteſtatis noſtræ ſupplemus, Auctoritate Apoſtolica confirmamus, & eidem aſcito canonico ſuffraganeorum numero faciatis munus conſecrationis impendi: recepturi ab eo poſtmodum, Eccleſiæ Romanæ nomine, fidelitatis ſolitæ juramentum juxta formam, quam vobis ſub Bulla noſtra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipſe præſtabit, de verbo ad verbum nobis per ejusdem patentes litteras ſub ſigillo ſignatas, per proprium nuntium quantocius deſtinetis. Quod ſi non omnes &c. Datum Anagniæ Idibus Julii, Anno primo*, ſeu 1243.

III.

Epiſcopo Cenadienſi, & S. Martini de Pannonia Beati Benedicti, & S. Gothardi Ciſterſienſis Ordinis, Abbatibus.

Vacante Strigonienſi Eccleſia, dilecti filii, Capitulum ipſius, Venerabilem Fratrem noſtrum Vacienſem Epiſcopum &c. Ut ſupra proxima littera *uſque:* ſupplemus de noſtræ plenitudine poteſtatis. *Cæterum, poſtquam Epiſcopus ipſe ad Eccleſiam Strigonienſem tranſierit, vos ad eam perſonaliter accedentes &c. Juramentum juxta formam, quam vobis ſub Bulla noſtra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipſe præſtabit, de verbo ad verbum, nobis per ejusdem patentes litteras ſuo ſigillo ſignatas per proprium Nuntium quantocius deſtinetis. Quod ſi non omnes, tu eam Frater &c. Datum Anagniæ noua Junii Anno primo*, ſeu 1243.

Hactenus *Innocentii IV.* Summi Pontificis Epiſtolæ. De juramento, quod hic ab utroque Archiepiſcopo exigit, egi jam opportunius alio in loco: petebat nempe nunc *Innocentius IV.* quod ab hinc annos CXLI. *Paſchalis II.* occaſione *Ugolini*, a Csanadienſibus infulis ad Colocenſem metropolim tranſlati, in Hungariam inducere conatus eſt. At enim ſi tum ſcribere ad Pontificem *Ugolinus* potuit, Regem *Colomanum*, Proceresque regni vehementer fuiſſe admiratos, petitum ei pallium ea cum Juramenti conditione offerri, quam is, ſalvis juribus regiis, implere haudquaquam poſſet: nunc enimvero majori jure uterque metropolita idem Pontifici reſcribere debebat. Quid enim, an non iidem ipſi, quibus ſucceſſuri erant, æterna apud nos memoria di-

Digitized by Google

gniſſimi Præſules, fuſo ſanguine ſuo orbi univerſo teſtati ſunt, ſe vi juramenti, beneficiorum collationis tempore Regi ſuo præſtiti, ejus caſtra ſecutos, cum Tataris manus conſerere, &, quæ vices belli ſunt, vitam etiam amittere debuiſſe? Ignorari hæc profecto Romæ non poterant, certe non debebant. Qui autem aut idem, aut ſimile juramentum, quod Præſules noſtri beneficiorum titulo Regibus ſuis jurare tenentur, ſemel atque iterum ab iisdem exigi potuerit? hoc profecto illud eſt, quod equidem recte adſequi adhuc non potui. Pro certo contra compertoque habeo, Jus noſtrum regium ſummo Pontifici non recte planeque nunc fuiſſe expoſitum. Patet hoc manifeſte ex alia ejusdem *Innocentii IV.* Epiſtola, anno proxime ſequenti 1244, ut videbimus, ad Colocenſem Archiepiſcopum ſcripta, in qua *de antiqua & approbata Regni noſtri conſuetudine, pacifice hactenus obſervata* in Electionibus Pontificum noſtrorum, edoceri poſtulat. Nullo idcirco iſtud Sapientiſſimi atque Optimi Pontificis rerum novarum ſtudio, nulla Regum noſtrorum injuria, exiſtimo fuiſſe factum. Perſuadent iſtud mihi potiſſimum ejusdem Pontificis litteræ, paterna prorſus pietate, & ſinceriſſimo in Hungaros ſuos amore ſcriptæ, quibus hoc eodem CIↃCCXLIII. anno Patriarchæ Aquilejenſi in mandatis dat: *ut Germaniæ populos ſub crucis ſignis conſcribat; quos idoneos ad habendas pro capeſſenda militari cruce conciones putaret, ſibi adſciſcat; comparatoque demum exercitu periclitanti iterum a Tataris Hungariæ ſuccurrat* (1). Electi itaque, atque conſecrati fuerunt laudati ſupra Præſules, more & inſtituto Majorum, & citra ullum Juris hujus Regii præjudicium. Graviſſimum hujus rei teſtimonium continent ejusdem *Belæ* Regis litteræ, anno proxime ſequenti 1244. ad *Innocentium* ſcriptæ, quarum cauſa & occaſio fuit iſta: Weſprimienſes Canonici, inſcio Rege, *Zelandum* quempiam in Epiſcopum ſibi elegerant. Eam electionem, poſt appellationem ad Papam factam, *Stephanus Vancſa*, Strigonienſis Archiepiſcopus, confirmare auſus, juſtiſſimam præbuerat cauſam Regi, apud Pontificem querendi, cum de hoc adverſus jura ſua facto, tum de aliis, ab eodem Strigonienſi Archiepiſcopo æque, atque ab reliquo Hungariæ Clero, poſt vaſtitatem a Tataris illatam, in *jura & libertates Coronæ Hungaricæ* admiſſis exceſſibus. Agnovit optimus Pontifex, juſtam habere Regem

1) *Vide Raynaldum ad a. 1243.*

Digitized by Google

gem de ingratitudine Cleri ſui querendi cauſam, & domi foriſque oppugnato compaſſus, ad *Benedictum* Colocenſem Archiepiſcopum litteras dedit, quarum exemplum, a *Péterſio* vulgatum (1), digniſſimum cenſui, quod hic adſcriberem:

Archiepiſcopo Colocenſi.

Ex parte Cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Regis Hungariæ Illuſtris nobis eſt oblata querela. Quod cum de antiqua & approbata Regni ſui conſuetudine, hactenus pacifice obſervata, in electionibus Pontificum aſſenſus Regius debeat poſtulari, Canonici Veſprimienſis Eccleſiæ contra conſuetudinem hujus temere venientes, aſſenſu ejus, ſicut debuit, minime requiſito, qui commode requiri poterat, & de jure debebat, Magiſtrum Zelandium, eorum Canonicum, in Veſprimienſem Epiſcopum elegerunt: quam electionem Venerabilis Frater noſter Archiepiſcopus Strigonienſis, loci Metropolitanus, poſt appellationem ad nos legitime interpoſitam confirmavit. Alias quoque, tam ipſe, quam alii Prælati & Clerici ejusdem Regni, poſt vaſtitatem datam a Tartaris, jura, & libertates ipſius Regis pro ſua diminuunt voluntate in ejus non modicum præjudicium, & gravamen. Quia vero ejusdem Regis gravamina, quem ſpeciali prærogativa proſequimur, ſuſtinere nolumus, nec debemus, cui potius ex tanto diſcrimine, quod pertuliſſe dignoſcitur, paterno compatientes affectu, adeſſe in ſuis opportunitatibus proponimus, & prodeſſe; Fraternitati tuæ mandamus, quatenus inquiſita ſuper præmiſſis omnibus diligentius veritate, nobis, quæ inveneris, fideliter reſcribere non poſtponas, ut exinde, quod expedire viderimus, diſponamus. Teſtes autem &c. Datum Lugduni 2. Kalen. Martii Anno ſecundo, id eſt *Anno* 1244.

Hactenus *Innocentii* litteræ; in quibus *Belæ* Regis adverſus ſedem Apoſtolicam reverentia, & hujus erga Regis Jura æquitas maxime ellucent. Notatu autem ante omnia digniſſimum eſt, Regem *Belam* contra ſolum Veſprimienſem Epiſcopum *ſine aſſenſu ſuo* electum reclamare, quod clariſſimo indicio eſt, Prælatos anno proxime ſuperiori conſecratos, cum conſenſu Regis fuiſſe electos. Ait Pontifex: *Regis gravamina, quem ſpeciali prærogativa proſequimur, ſuſtinere nolumus, nec debemus.* Quæ graviſſimo poſteris argumento erunt, Electionem

V 3 Præ-

1) *Concil. Hung. P. I. p. 81.*

Digitized by Google

Prælatorum in Hungaria quamcunque canonicam, quamcunque Poſtulationem concordem, a Capitulis & ſuffraganeis SINE ASSENSV REGIS attentatam, *diminutionem* eſſe *Jurium & libertatum ipſius Regis in ejus non modicum præjudicium & gravamen*: quam Romani Pontifices, qui ſpeciali prærogativa Reges noſtros proſequuntur, ſuſtinere *nolunt, nec debent: cum de antiqua & approbata Regni* noſtri *conſuetudine, hactenus pacifice obſervata, in ELECTIONIBVS Pontificum* noſtrorum *aſſenſus Regius debeat poſtulari*, quemadmodum hactenus oſtendi. Eſt vero hæc libertas ſacræ coronæ ac gentis noſtræ, ut vidimus, vetuſtiſſima, de qua ne Regi quidem noſtro novi quidpiam conſtituere, vel dimittere, *proprio motu & abſolute*, leges noſtræ permittunt (1); immo eandem, quam diligentiſſime poteſt, vi juramenti ſui, tempore coronationis præſtiti, Coronæ Hungaricæ & Regno conſervare tenetur. Porro *Innocentii* æquitas in eo in primis eminet, quod ad *Benedictum*, Colocenſem Archiepiſcopum, Regis vel maxime ſtudioſum, Cancellarium regni, &, vel uno hoc nomine, jurium & conſuetudinum ejus peritiſſimum, ſcripſerit: *Fraternitati*, inquit, *tuæ mandamus, quatenus, inquiſita ſuper præmiſſis omnibus diligentius veritate, nobis, quæ inveneris, fideliter reſcribere non poſtponas.* Quod ſi ita laudatus Archiepiſcopus, ut vero eſt ſimillimum, fideliter præſtitit, & vel hæc pauca, quæ inde a primo Juris hujus exordio hucuſque protuli, compendio reſcripſit, dubium nullum eſt, agnoviſſe Pontificem, de antiqua & approbata regni noſtri conſuetudine, hactenus pacifice obſervata, IN ELECTIONIBVS Pontificum adprobationem & Conſenſum Regium de jure apud nos eſſe neceſſarium.

CAPVT XXI.

Alia ſub eodem Rege de primis partibus ad Electionem controverſia.

At enim lis iſta præludium ſolummodo videri poterat majoris illius, quæ ſub eodem *Innocentio IV.* Summo Pontifice, & *Bela*, Rege Hungariæ, iterum fuit exorta. Hujus autor præcipuus & inſtigator dubio procul exſtitit *Stephanus Vancſa*, Archiepiſcopus Strigonien-

1) *Tripart. P. II. tit. III. §. 3.*

Digitized by Google

nienſis. De hoc enim Rex *Bela* potiſſimum, ut ſuperiore epiſtola vidimus, apud *Innocentium* fuit queſtus; hic Pontificem, Romam profectus, ad alia rurſus conſilia traduxit. Litis occaſio fuit iſta: Anno. CIↃCCLI. memoratus modo Strigonienſis Archiepiſcopus, cum ad Romanam Curiam ob certa negotia ſeſe contuliſſet, ab *Innocentio IV.* ad Præneſtinam Eccleſiam translatus, ac Epiſcopus Præneſtinus renuntiatus eſt (1). Stephani diſceſſu, Italicisque ejus honoribus Rex *Bela*, ut opinor, lætus, *Benedictum*, Archiepiſcopum Colocenſem, aulæ ſuæ Cancellarium, cum *Conſilio* Pontificis ad Strigonienſem metropolim translatum eſſe voluit, atque eam ob rem ſemel atque iterum, per litteras ac nuntios, Pontificem adiit. Negavit ſemel atque iterum Pontifex; ſufflaminante videlicet *Stephano* Epiſcopo Præneſtino, & metropolitanas etiam Strigonienſis Eccleſiæ infulas retinere conante. Non defuit Juribus ſuis *Bela* Rex, & litteras eadem de re omnino tertias ad Pontificem dedit hoc exemplo:

Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino J. Divina Providentia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici.

B. Dei Gratia Rex Hungariæ, filialem in omnibus reverentiam debitam ac devotam. Non adjicientes Paternitatem veſtram pluribus occupatam, diutius detinere, ecce breviter, & laicaliter, & tamen veraciſſime coram Deo dicimus; quod ſi vultis ſalvare Eccleſiam Strigonienſem, & exaltare Colocenſem, & univerſis Regni noſtri Eccleſiis providere; poſtulationem de perſona Venerabilis Patris B. Archiepiſcopi Colocenſis, aulæ noſtræ Cancellarii, viri utique omni bonitate præclari, & experti, ad Eccleſiam Strigonienſem factam, pro qua vobis ſemel, & ſecundo ſupplicavimus, & nuntium omni devotione & affectione pariter cum devotis veſtris filiis, noſtris, & toto regno noſtro inſtantiſſime ſupplicamus, & in ſignum ſpecialis dilectionis affectuoſiſſime poſtulamus. Admittere dignemini Pater ſanctiſſime, certo certius tenentes, quod per ſolam ipſius providentiam eminentem, dicta Strigonienſis Eccleſia in ſpiritualibus, & temporalibus reformari poterit, & reformata ſalubriter gubernari. Hoc quoque in verbo veritatis, teſte Deo dicimus, & adjicimus ad cautelam, quod nec nos, nec Capitulum Strigonien-

1) *Vide Ciaconium; item Ughelli Ital. Sac. Tom. 1. pag. 209.*

Digitized by Google

nienſe, nec Barones, nec cæteri homines Regni noſtri in aliquem alium conſentimus : & ſi quiſpiam quantacunque dignitate præfulgens, etiamſi Angelus alium ſuggeſſerit, nullo modo credatis. Exaudite Pater benigniſſime tot vota ſupplicantium; & ſalvate totam Eccleſiam Hungaricam, dando tam nobile ſpectaculum, & exemplar, & nos exinde, una cum noſtris ad univerſa beneplacita veſtra amplius conſtringetis, devotiores reddendo de devotis. Ecce uno corde & puro, una voce, & veraci ſalutem noſtram, & noſtrorum attendentes in hac parte, vos clamamus cum ſumma fiducia, Pie Pater! Cætera nuntii, quos paternaliter expedite. Datum Zamar. 10. *Idus Octobris* (1).

Hactenus *Belæ* regis ad Pontificem litteræ; in quibus *Poſtulationis* quidem fit mentio, ſed cum his additis: *Hoc quoque in verbo veritatis, teſte Deo, dicimus & adjicimus ad cautelam : quod nec nos, nec Capitulum Strigonienſe, nec Barones, nec cæteri homines Regni noſtri in aliquem alium CONSENTIMVS.* Quæ clariſſime docent, Regem cum regno primas ad electionem mordicus retinuiſſe, & a Pontifice ſolam confirmationis ad conſecrationem gratiam *poſtulaſſe*, id eſt, petiiſſe. Valeant ergo omnes, qui per ſupinam, vel ſubdolam rerum ac jurium noſtrorum ignorantiam adſeverare unquam ſunt auſi, ſpeciem quampiam *Electionis* & *Poſtulationis canonicæ*, ad mentem recentiorum canonum, apud nos aliquando viguiſſe : nam quæcunque adhuc aut producta ſunt, aut produci unquam poterunt litterarum monumenta, in quibus *poſtulationis* occurret mentio; ea, tum iſto Belæ IV. tum aliorum Regum noſtrorum teſtimonio, aut illegitime, id eſt, ſine conſenſu Regis erunt edita; aut τὸ *Poſtulatio* vulgarem ſolummodo & Grammaticam, ut hic, *petitionis* notionem habebit, haudquaquam autem *Canonicam* ad mentem *Cæleſtini* & *Innocentii*, vel aliorum recentiorum Canonum. Omnem autem iſtam, ut dixi, controverſiam a *Stephano Vancſa* fuiſſe excitatam, patet, ut alia non commemorem, ex illis, quæ Rex addit: *Et ſi quiſpiam quantacunque dignitate præfulgens, etiamſi Angelus, aliud ſuggeſſerit, nullo modo credatis.* Quæ, opinor, non obſcure *Stephanum* indigitant, &, ut Rex bene præmonuit, *& laicaliter & veraciſſime* dicta ſunt. At vero tertiæ etiam iſtæ fruſtra fuerunt litteræ; adhibendæ iterum atque iterum erant preces. Egit & iſtud Rex *Bela* per litteras, ſingulari prudentia, modeſtia, & magnitudine

1) *Edidit Péterfius Concil. H. P. I. pag.* 70.

Digitized by Google

dine animi ſcriptas, quarum exemplum a *Péterſio* vulgatum eſt ſequens:

Sanctiſſimo in Chriſto Patri Domino I. Divina providentia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici.

Bela Dei gratia Rex Hungariæ, devotam obedientiam cum reverentia filiali. Fervor devotionis continuæ, qua ſacroſanctam Romanam Eccleſiam Matrem noſtram ſumus ex intimis amplexati, affectus etiam ipſius, quo nos hactenus in omni requiſitione noſtra favorabiliter proſequens, maternaliter exaudivit, mirari nos cogunt, Pater Sancte! quis falſis, & iniquis perſuaſionibus aures veſtræ ſanctitatis adeo perpulſavit, ut erga nos veſtræ benignitatis animum immutaret, & non ſolum repulſam, quam nunquam ſenſimus uſque modo, in noſtris petitionibus juſtiſſimis & honeſtis *per vos immerito pateremur: ſed & expectantibus conſolationem, gravamina; læta ſperantibus, triſtia provenirent? Ecce etenim pro admittenda poſtulatione Canonica, conſona, & concordi & quaſi per inſpirationem communiter ab omnibus de perſona Venerabilis Patris B. Archiepiſcopi Colocenſis, Aulæ noſtræ Cancellarii, in Strigonienſem Metropolim celebrata, una cum Eccleſia poſtulante, totiusque Regni clero, ac populo, quorum omnium utilitati publicæ in ipſius translatione ſalubriter conſulitur, affectuoſiſſime nuper ſupplicantes, non ſumus apud veſtram immenſam pietatem, qua ſingulis, & univerſis affluere conſueviſtis, quod non ſine dolore dicimus, exauditi; quamquam* conſilium, & aſſenſus *Domini S. Cardinalis Epiſcopi Præneſtini, ſicut per Veſtras litteras receperat in mandatis, vel, ut verius fateamur, Veſtræ ſanctitatis autoritas, cum is, cujus autoritate fit, facere intelligatur, grande nobis ſupplicantibus adminiculum, imo potius felicem effectum præſtitiſſe debuerint in hac parte. Confuſione quippe, ac rubore afficimur, quod tam legitime, ac ſolemniter facto negotio*, conſenſum Regium, ſicut de jure decuit, adhibentes, *repellimur ut indigni, & ad fontem pietatis accurrentes, nec guttam valuimus reportare: præſertim cum non ſolum ob poſtulantium vota concurrentia, ſed & poſtulati merita, quibus idem multipliciter effulgens ſe Deo, & hominibus reddidit gratioſum*, conſenſus noſter debitus fuerit, *& merito approbandus. Cum enim Strigonienſis Antiſtes ſit primus inter Eccleſiaſticos, & ſeculares Principes, qui nobis conſilio, & auxilio*

 in

in omnibus arduis, & ſecretis Regni noſtri negotiis debet aſſiſtere, cujus etiam præſentia carere non poſſumus, vix in brevitate; merito aſſumi debuit in dictam Eccleſiam, qui omnibus amabilis pro ſua reverentia habitus, & omnibus approbari meruit ex condigno. Talis autem eſt ille Venerabilis Pater, de quo nunc eſt nobis ſermo; & ideo non in privato, ſed in publico; non in angulo, ſed in tecto eſt utique collocandus, ut tanquam lucerna ſuper candelabrum poſita, cunctis luceat in exemplum, & ex ſuæ bonitatis affluentia locupletentur largius univerſi. In Eccleſia enim Strigonienſi idem conſtitutus, tanquam in medio ſtans, omnem ſuam communicat utilitatem, publice circumquaque. Præjudicium quoque ex translatione ipſius, nec Colocenſi Eccleſiæ, nec cuiquam alii generatur; cum & dictæ Eccleſiæ Colocenſi, & quibuslibet aliis idem in Archiepiſcopum Strigonienſem aſſumptus, poſſit utilius conſulere, efficacius proſpicere, ac propenſius providere. Nec iſtud tanquam novum his attentatur temporibus, ſed etiam in tranſactione hujusmodi translatio celebrata reperitur, & pariter approbata, nec ſine cauſa; cum utilitas publica privatæ ſit merito præferenda. Memoratus etiam Dominus S. Cardinalis, cum de gremio fuerit Eccleſiæ Hungaricæ, & earum ſtatum ad plenum agnoverit, nullatenus ex certa ſcientia conſenſiſſet, taliter poſtulationem eam dicens, & faciens, approbando, cui & conſilio affuit, & poſtmodum reddendis Deo laudibus interfuit, & ore proprio orationem conſuetam in talibus dixit, ſi exinde cuiquam fieri præjudicium inſpexiſſet, vel aliqualiter crediḋiſſet. Ad hoc, cum de mandato veſtro infra certos dies ad electionem, ſeu poſtulationem faciendam Canonici Strigonienſes proceſſerint, & auctoritate veſtra Dominus S. Cardinalis, ſicut in veſtro mandato continebatur, quanquam nobis irrequiſitis, *eandem probavit, patet evidenter, quod poſtulatio jus extitit aquiſitum. Conſequens ergo eſt, quod ſine præjudicio, & confuſione poſtulati, & pariter poſtulantium, ut ſalva reverentia veſtræ Paternitatis loquamur, tam legitime factum non debuit, vel potuit immutari. Quia, etſi ex plenitudine poteſtatis omnia poſſitis, poteſtati tamen veſtræ renuntiaſſe videmini in hac parte: ſicut & ipſe Deus, cujus vices geritis in terris, non omnia facit potentia ordinata ſeu conditionata, licet poſſit omnia potentia abſoluta. Hoc igitur tantum poſſe debetis, ut fiducia filiali diximus, quod de jure poteſtis. Non enim debet inde injuriarum naſci occaſio, unde jura prodierunt.*

Supplicamus itaque, & rogamus humiliter, ac devote Sanctitatis Veſtræ Clementiam, quatenus dignemini reducere ad memoriam, qualiter

Digitized by Google

ter ſancti progenitores noſtri una nobiſcum, vel potius nos cum ipſis & poſt ipſos elaboravimus in plantatione, & ampliatione fidei Catholicæ, ſicut manifeſtum eſt de ſollicitudine noſtra ac diligentia in converſione Cumanorum, nuper ad fidem revocatorum, & venientium omni die; nec non in revocatione Ruthenorum ad obedientiam ſedis Apoſtolicæ, quorum Nuntii vel jam acceſſerunt, vel ſunt ad vos in proximo reverenter acceſſuri: & recogitantes, qualiter in obedientia prompta, reverentia humili, honorifica & munifica receptione legatorum, & aliorum Nuntiorum ſedis Apoſtolicæ, inter omnes Reges & Principes Catholicos ſedem Apoſtolicam dilexerimus. Et hos ab expeditione noſtra, & petitione juſtiſſima Pater ſanctiſſime non confundatis, quin potius ut nos & Principes Regni noſtri promptos ad omne beneplacitum veſtrum faciatis, merito promptiores, poſtulationem tam legitime factam cum omni integritate Jurium Archiepiſcopalium paternaliter admittatis. Alioquin non ſolum noſtræ, ſed etiam videremini in hac parte Divinæ reſiſtere voluntati: quia omnis Clerus, Princeps & populus, tam pauperes quam divites, a majori uſque ad minorem petunt & deſiderant Venerabilem Patrem noſtrum Benedictum in Patrem & Paſtorem Eccleſiæ Strigonienſis promoveri, & ut laicaliter, ſeu vulgariter loquamur, populi, eſt vox Dei; & fama vulgi, ſpeciem obtinet Prophetiæ. Datum in Inſula Leporum, quinto Idus Maji. Anno 1252. (1).

Continent eximiæ litteræ omnia, quæ ad præſentem controverſiam æque, atque ad Jus noſtrum regium, penitus cognoſcendum, ſunt neceſſaria. Miratur primum rex: *Quis*, inquit, *falſis & iniquis perſuaſionibus aures veſtræ ſanctitatis adeo perpulſavit, ut erga nos veſtræ benignitatis animum immutaret, & non ſolum repulſam, quam nunquam ſenſimus uxque modo in noſtris petitionibus juſtiſſimis & honeſtis per vos immerito pateremur.* Enimvero non nunc ſolum, ſed, ut vero eſt ſimillimum, alias etiam falſæ & iniquæ perſuaſiones, perverſorum atque indoctorum hominum ſuggeſtiones, cauſæ illæ frequenter fuerunt, cur reges noſtri optimos quoſque Pontifices *in ſuis petitionibus juſtiſſimis & honeſtis* experti identidem ſint paulo difficiliores. Queritur deinde rex: Poſtulationem ſuam canonicam conſonam & concordem adprobari a Pontifice non eſſe promeritam: *Confuſione quippe*, inquit, *ac rubore afficimur, quod tam legitime ac ſolemniter facto negotio*,

1) *Péterf. Concil. Hung. P. I pag.* 71.

Digitized by Google

CONSENSVM REGIVM ſicut de JVRE decuit, adhibeantes, repellimur ut indigni. Legant hæc & diſcant, qui ignorant, quæ apud Hungaros ſit *Electio canonica*? nempe quæ ſine conſenſu Regis eſt nulla. Notent præterea etiam illud: *Concordem & conſonam* apud nos *Poſtulationem* vocari, quæ fit *volente* & *conſentiente* rege. Omnes igitur Poſtulationes Prælatorum inſcio rege attentatæ, præterquam quod *ipſo facto* nullæ ſint, ſevere etiam ſunt caſtigandæ; utpote in graviſſimum præjudicium Jurium & libertatum Regis & regni factæ. Tranſit Rex ad refutanda ea, quæ aut objecta fuere; aut controverti poterant. Igitur oſtendit primo ſe in transferendo *Benedicto* Jure ſuo non eſſe abuſum: *Præſertim*, inquit, *cum non ſolum ob poſtulantium vota concurrentia, ſed & poſtulati merita, quibus idem multipliciter effulgens, ſe Deo & hominibus reddidit gratioſum, CONSENSVS noſter DEBITVS fuerit, & merito approbandus.* Nullum deinde præjudicium ea translatione Eccleſiæ Colocenſi inferri, his rationibus docet: *Cum*, inquit, *& dictæ Eccleſiæ Colocenſi, & quibuslibet aliis, in Archiepiſcopum Strigonienſem aſſumptus, poſſit utilius conſulere, efficacius proſpicere, ac propenſius providere.* De novitate rei, ait: *Nec iſtud tanquam novum his attentatur temporibus, ſed etiam in transactione hujusmodi translatio celebrata reperitur, & pariter approbata, nec ſine cauſa; cum utilitas publica privatæ ſit merito præferenda.* Transactio, oppoſitum hic eſt, τῷ *his temporibus*, ac notionem habet Hungarici: *elmult idö*, ſive *temporis elapſi.* Innuit vero, ut opinor, Rex translationem *Joannis*, Archiepiſcopi Colocenſis ad Strigonienſem metropolim, regnante *Andrea II.* Belæ patre, a Pontifice adprobatam. At vero hanc ipſam, de qua agitur, translationem a Pontifice jam adprobatam eſſe oſtendit: *Cum*, inquit, *authoritate veſtra Dominus Stephanus Cardinalis, ſicut in veſtro mandato continebatur, quanquam nobis irrequiſitis, eandem approbavit.* Ubi illa: *quanquam nobis irrequiſitis*, clare indicant, Regem primas ad Electionem a *Stephano*, poſtea Romam profecto, & Cardinali, uſurpatas, pati minime voluiſſe. At cum *Stephanus*, ut adparet, mandato Pontificis ſe tueretur, in quo, ut jam ſupra etiam ſæpe vidimus, conſenſum regium *ex plenitudine poteſtatis ſuæ ſupplere ſe* dicebat Pontifex; eam ob rem ſubdit Rex Bela: *Quia etſi*, inquit, *ex plenitudine poteſtatis omnia poſſitis, poteſtati tamen veſtræ renuntiaſſe videmini in hac*

parte:

Digitized by Google

parte: ſicut & ipſe Deus, cujus vices geritis in terris, non omnia facit potentia ordinata, ſeu conditionata, licet poſſit omnia potentia abſoluta. Hoc igitur tantum poſſe debetis, ut fiducia filiali diximus, quod de JVRE poteſtis. Non enim debet inde injuriarum naſci occaſio, unde jura prodierunt. Quæ ultima & naturam & originem Juris hujus noſtri perſpicue demonſtrant. Cauſas Rex poſt paulo ſubdit: *Supplicamus*, inquit, . . . *quatenus dignemini reducere ad memoriam qualiter ſancti progenitores noſtri una nobiſcum, vel potius nos cum ipſis & poſt ipſos elaboravimus in plantatione & ampliatione fidei Catholicæ; ſicut manifeſtum eſt de ſollicitudine noſtra ac diligentia in converſione Cumanorum &c.* Revocabat his *Bela* Rex Pontifici in memoriam illa *Silveſtri II.* verba: *Et quia Nobilitas tua Apoſtolorum gloriam æmulando, Apoſtolicum munus, Chriſtum prædicando, ejusque fidem propagando, gerere non eſt dedignata . . . idcirco & nos . . . Excellentiam tuam . . . Hæredes ac ſucceſſores tuos legitimos . . . condecorare cupientes, ut poſtquam &c. Et ſecundum quod divina gratia te & illos docuerit Eccleſias Regni tui præſentes & futuras NOSTRA ac ſucceſſorum noſtrorum VICE diſponere atque ordinare Apoſtolica authoritate ſimiliter conceſſimus &c.* Quæ opportune innuebat Rex, & in argumentum ſumebat: ob easdem Jus hoc Regium rationes intactum conſervari oportere, propter quas authoritate Pontificia fuit conceſſum.

CAPVT XXII.

Genuina hujus controverſiæ cauſa detegitur; Summus Pontifex Juri & precibus Regis cedit, & translationem Benedicti adprobat.

Hæc de laudata Regis *Belæ IV.* ad Summum Pontificem epiſtola, anno CIↃCCLII. ſcripta; cur vero hæc etiam fruſtra Romæ fuerit, annus proxime ſequens CIↃCCLIII. detexit. Quippe *Stephanus Vanoſa*, ſcribente *Ughello Ital. Sac. Tom. I. pag.* 209, cum graviorem aëris Italici intemperiem non ferret, Summum Pontificem, ut ad Strigonienſem ſedem eum iterum traduceret, exoravit; petitioneque ſummis obtenta difficultatibus, ad Strigonienſem Junio menſe ea lege redire permiſſus, ut ſi intra feſtum omnium Sanctorum poſſeſſionem Strigonienſis adiiſſet, tunc Præneſtina Eccleſia cum dignitate Cardina-

litia vacare cenſeretur, ac ſi intra id tempus Strigonienſem non occupaſſet, illa prius abdicata renunciataque, eique, antequam ex Hungaria diſceſſum adornaret, dato paſtore, ad Præneſtinam reverteretur, dignitatemque Cardinalitiam retineret, ſeſeque intra feſtum Natale Domini Summo Pontifici ſiſteret. De quibus omnibus ad ipſum *Stephanum* Innocentii ſcriptas litteras, tum ad clerum populumque Strigonienſem, tum ad Regem ſequentes e regeſto Vaticano erutas exceptasque habemus.

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Epiſcopo Præneſtino.

Etſi erga Eccleſias ſingulas ex Apoſtolatus officio, illam præcipue adhibeamus ſollicitudinem, ut ad earum regimen paſtores diſcreti, & vigiles aſſumantur, circa Romanam tamen Eccleſiam in aſſumendis ad eam perſonis utilibus, & diligentiores nos eſſe convenit, quo eadem diſpoſitione divina magiſtra & regula cæterarum præcelſior eſſe dignoſcitur univerſis. Sane vacante olim Præneſtinenſi Eccleſia nos perſonam idoneam pro ipſius gubernatione conſideratione ſedula perquirentes, te tandem tunc ſtrigonienſem Archiepiſcopum inter cæteros, virtutum tuarum ſuadentibus meritis, præeligentes, & advocantes, velut ex nimia probitate famoſum ad ipſius Eccleſiæ Rom. collegium dictæ Præneſtinenſis Eccleſiæ de fratrum noſtrorum conſilio in Epiſcopum præfecimus, & potiorem te ad illam de ſtrigonienſi Eccleſia transferendo. Demum ipſius Eccleſiæ Præneſtinæ ſuſcepto regimine, metuens poſtmodum aëris intemperiem inexperti, & nonnulla impedimenta, multaſque neceſſitates exponens, propter quæ tuæ non expediebat perſonæ in Italicis partibus commorari, cum inſtantia petiiſti ſibi ſuper hoc circumſpectione Apoſtolica provideri. Licet autem nobis & eiſdem fratribus tua plurimum ſit cara præſentia, nec ea, multa utilitate perſpecta, quam ex ipſa prædicta Rom. conſequebatur Eccleſia ullatenus carere vellemus, præfato tamen quodſi velle habemus te nobis adeſſe, ut abeſſe hujuſmodi aſſiſtentia ſibi non poſſit, nec ob id perſonam tuam periculis ſubeſſe contingat, ſuis poſtulationibus conſideratis attente præmiſſis benigno concurrentes aſſenſu, licentiam tibi quamquam inviti concedimus ad præfatam ſtrigonienſem Eccleſiam redeundi, & te ipſi Eccleſiæ in Archiepiſcopum, & Paſtorem præficimus de fratrum eorumdem conſilio, & plenitudine poteſtatis. Verum indemnitati memoratæ Præneſtinæ Eccleſiæ nos convenit

nit præcavere, deliberatione cum fratribus ipſis perhibita ſic te volente, ac petente duximus providendum, ut quamcito uſque ad feſtum omnium Sanctorum proxime venturum prædictæ ſtrigonien. Eccleſiæ poſſeſſionem habueris, præfata Præneſtina Eccleſia, & Cardinalatus tui dignitas ſtatim vacent: quod ſi uſque tunc poſſeſſionem hujuſmodi non obtinueris, & poſt feſtum ipſum vel etiam ante, poſſeſſione ipſa non habita, reverti ad Apoſtolicam ſedem elegeris, redire tibi liceat cedendo eidem ſtrigonienſi Eccleſiæ in manibus alicujus Prælatorum Regni Ungariæ, quem elegeris, recipientis ceſſionem hujusmodi vice noſtra Capitulo Strigonienſi priuſquam de regno ipſo diſcedas libera conceſſa licentia ſibi de paſtore idoneo providendi, ita tamen, quod infra feſtum nativitatis Dominicæ proxime futurum ad noſtram præſentiam ſis reverſus. Sive autem in Ungariæ remanere partibus potius acceptaveris, ſive non, dummodo ad nos infra prædictum nativitatis feſtum reverſus non fueris, nihilominus utroque caſu vacent Eccleſia Præneſtina, & dignitas memorata. Datum Aſſiſii, 7. Idus Junii, anno X.

Capitulo Strigonienſi.

Olim fama nominis Ven. Fratris noſtri Epiſcopi Præneſtini ad aures noſtras crebra fide dignorum inſinuatione perlata, ipſum propter hoc ad Rom. Eccleſiam non indigne providimus evocandum, & quamvis ad ipſam accedens honorabilem locum exigentibus ſuis meritis ſortitus fuerit in eadem, eo tandem aſſerente propter inſueti aëris intemperiem, tum ob hoc, tum etiam propter alia, quæ in Ungariæ partibus ſollicitudini ſuæ imminere proponit, licentiam redeundi ad partes easdem, natalis ſoli eum ad hoc attrahente dulcedine, a nobis, & fratribus noſtris, non abſque importuna inſtantia poſtulavit. Verum licet ſua petitio in hac parte gravis, & moleſta nobis non modicum videatur, maxime cum nos, & patres prædicti ſua grata, & votiva præſentia defraudemur inviti, ſuis tamen deſideriis ſuper hoc urgente nos ad id ſuorum impreſſione precaminum acquieſcere cupientes, Archiepiſcopatum Strigonienſis Eccleſiæ de fratrum noſtrorum conſilio ſibi de ſpeciali gratia duximus conferendum. Spe nobis propoſita, quod auctore illo, qui dictas virtutes præmia tribuit, & gratiam gratiæ ſuperaddit, dicta Eccleſia per diligentiæ ſuæ ſtudium ſicut hactenus, ſic & inpoſterum grata, in ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Ipſum ergo ad eandem Eccleſiam curam ejus acturum

Digitized by Google

rum cum plenitudine noſtræ gratiæ remittentes, Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus eundem recipientes hilariter, & honeſte tractantes ſibi tanquam Patri, & paſtori animarum veſtrarum plene ac humiliter intendatis, & exhibeatis obedientiam, & reverentiam debitam & devotam, ejus ſalubria monita, & mandata ſuſcipiendo devote, ac irrefragabiliter obſervando, alioquin ſententiam, quam idem propter hoc &c. Uſque obſervari. Datum Aſſiſii, 5. Idus Junii, anno X.

In eundem modum. *Regi Vngariæ illuſtri.* Uſque *incrementa. Ipſum ergo &c.* Uſque *remittentes ſerenitatem Regiam rogamus, & monemus attente, quatenus eundem pro noſtra, & Apoſtolicæ ſedis reverentia ſereno vultu recipiens, ac eum, & commiſſam ſibi Eccleſiam habens propenſius commendatos ipſos favore Regio proſequeris. Ita quod idem tua gratia gaudeat ſe munitum, & nos id gratum habentes, ſinceritatis tuæ zelum merito commendemus. Datum.* ut ſupra.

In eundem modum. *Epiſcopo Præneſtino.* Uſque *incrementa. Idemque fraternitatem tuam rogamus, & monemus attente mandantes, quatenus ad Eccleſiam ipſam accedas acturus curam ita fideliter, & prudenter, quod dignam Deo exinde poſſis reddere rationem. Dat.* ut ſupra.

Hactenus *Innocentii* Summi Pontificis epiſtolæ, *Stephani Vancſa*, epiſcopi Præneſtini cauſa ſcriptæ; longe omnino clariores, quam ut luce iis mea opus ſit. Digna in primis attentione ſunt, quæ in priori Pontifex ad Stephanum ſcribit: *Licentiam tibi, quamquam inviti, concedimus, ad præfatam Strigonienſem eccleſiam redeundi, & te ipſi eccleſiæ in Archiepiſcopum & Paſtorem præficimus de fratrum eorumdem conſilio & plenitudine poteſtatis.* Item: *Quod ſi uſque tunc poſſeſſionem hujuſmodi non obtinueris &c.* Quæ argumento ſunt, ipſum etiam vehementer dubitaſſe Pontificem, utrum *Stephanus* bona Regis cum gratia ad metropolitanam Strigonienſis eccleſiæ ſedem unquam perventurus eſſet. Lateant, per me licet, reliqua: unum illud notum omnibus atque exploratum adſcribere ſufficiet: Regem *Belam IV.* a ſuſcepto ſemel conſilio ſuo nullis precibus, nullis *Stephani* artibus ne latum quidem dimoveri unguem potuiſſe; qua demum tuendi Juris ſui con-

conſtantia victus Pontifex, anno proxime ſequenti cIɔccLIV. juſtiſſimæ petitioni Regis ſubſcripſit; ac *Benedictum*, Archiepiſcopum Colocenſem, *de fratrum ſuorum conſilio & plenitudine poteſtatis in Archiepiſcopum & paſtorem providit, & a vinculo, quo Colocenſi tenebatur eccleſiæ abſolutum ad ipſam Strigonienſem duxit transferendum. 5. calend. Martii, Anno undecimo Pontificatus*, ſeu 25. Februarii 1254. (1). Atque hunc finem habuit celeberrima controverſia iſta; ſalvis nempe Juribus Regiis, *Stephanus Vancſa* ſpe ſua excidit (2).

1) *Vide Péterf. Conc. P. I. p. 73.*

2) Ughellus *quidem, indicato ſupra loco, dicit: eum Archiepiſcopatum Strigonienſem cum purpura Cardinalitia, ac Epiſcopatu Præneſtino tenuiſſe geſſiſſeque; quod illuſtre & conſpicuum eſſe, ex ſubſcriptionibus Bullarum Innocentii, Alex. IV. Urbani IV. Clem. IV. adſerit: verum a veritate quam longiſſime aberrat vir doctus; ut enim de purpura Stephani certum eſt, ita etiam, Strigonienſes eum infulas nunquam poſtea recepiſſe, longe certiſſimum: continent itaque ſubſcriptiones illæ:* conceſſa forſan ſolatia *tituli.*

HISTORIAE DIPLOMATICAE IVRIS PATRONATVS APOSTOLICORVM REGVM HVNGARIAE &c. &c.

LIBER TERTIVS.

In quo oſtenditur fortuna, & uſus legitimus Vicariæ Apoſtolicæ poteſtatis in diſponendis per Hungariam Chriſti Eccleſiis, Divo Regi Stephano ejusque legitimis ſucceſſoribus a Silveſtro II. Summo Pontifice conceſſæ, ab anno CIↃCCLXX. *uſque ad annum* CIↃIↃXIV. *quo Vladislai Regis juſſu Jura & conſuetudines Regni noſtri collectæ & ſcripto vulgatæ ſunt; denique Interpretatio tituli X. & XI. Tripartiti Part. I. ſive Diplomaticæ bujus Hiſtoriæ Scopus, & Finis.*

CAPVT I.

Fortuna Juris Regii a morte Regis Belæ IV. ad annum CIↃCCLXXIX.

Anno CIↃCCLXX. Rex *Béla IV.* naturæ debitum reddidit; qui merito ſuo apud nos, *alter fundator Regni Hungariæ; vir integerrimus & æquiſſimus* audit. *Belæ* patri ſucceſſit filius *Stephanus V.* & huic biennio poſt morte ſublato *Ladislaus IV.* ejusdem filius. Tempus quo *Ladislaus* coronatus eſt, erudite more ſuo contra omnes Scriptores Hungaros oſtendit *Lucius* Lib. IV. Cap. IX. ubi ex Tragurienſi tabulario *Ladislai* litteras profert hoc exemplo:

Ladis-

Digitized by Google

Ladislaus Dei Gratia Rex Hungariæ, fidelibus ſuis judicibus, conſiliariis, totique communitati de Tragurio, Salutem & Gratiam.

Veſtra noſcat fidelitas, quod nos ſumus Regni noſtri diademate inſigniti, & coronati gratiam per Divinam, Regesque & Principes Regnorum circumquaque adjacentium ſunt nobiſcum in bona pacis unione: quare vobis firmiter præcipientes mandamus, quatenus circa ea, quæ nos, & Joachimum noſtrum Banum dilectum contingunt, tali fidelitate procedatis, ut vos omni bono proſequamur. Sciatis enim, quod quamvis ſimus ad præſens puerili in ætate, tamen Domino propitio habemus poteſtatem nobis inſurgentes potenter coërcendi. Vnde, ſi aliquid infidelitatis in corda veſtra aſcendet, nec ſuper aquis, nec in terris evadetis manus noſtras. Volumus igitur, quod majores ex vobis veniant ad nos, ſicut ad Dominum ſuum naturalem feſtinanter, ac ſine timore, & aliud facere non præſumant. Datum Albæ, in quindenis ſancti Stephani Regis.

Ex qua epiſtola adparet, *Ladislaum* in juvenili admodum ætate fuiſſe coronatum, haudquaquam tamen in puerili, ut *Lucius* credidit, cum A. CIↃCCLXXIV. *Eliſabetham*, ſive *Iſabellam*, *Caroli*, Siciliæ Regis, filiam matrimonio ſibi junxerit. Tetris admodum coloribus Rex iſte a ſcriptoribus domeſticis pingitur, ob turpem & pertinacem cum mulieribus Cumanis conſuetudinem; ex qua radice pullularunt cetera *Ladislai* vitia quam plurima: quorum præcipuum, quod amoribus infaſcinatus illicitis *Eliſabetham* Reginam citra omnem cauſam e conjugali thoro removerit. Tragice hoc, more ſuo, narrat *Péterfius Conc. Hun. P. I. p.* 91. in eo non leviter lapſus, quod Metropolitanam Strigonienſem ſedem ab anno CIↃCCLXXII. ſive a morte *Philippi* Archiepiſcopi, ad annum CIↃCCLXXVIII. per avaritiam & libidinem *Ladislai* caruiſſe Præſule ſcribit, & anarchiæ huic omnia, quæ Eccleſiam Hungaricam exceperant mala, adſignat. Certum quippe eſt, fide vetuſtorum diplomatum, *Philippo* Strigonienſi Archiepiſcopo e vivis erepto ſucceſſiſſe poſt menſes aliquot *Nicolaum II.* & huic, qui breviſſimo tempore Strigonienſis Eccleſiæ regimen abſolvit, *Benedictum II.* An. CIↃCCLXXIV. fuiſſe ſubſtitutum: qui in diplomate anni CIↃCCLXXVI. *Strigonienſis Eccleſiæ Electus* ſcribitur, ut erudite docuit Rev. & Cl. Vir *Nicolaus Schmitth e S. J.* in Strigonienſibus Archiepiſcopis. Fatendum

tamen eſt, ut obſervat idem vir doctus, *Benedictum* iſtum per triennium, quo *Electus* Archiepiſcopus Strigonienſis erat, non ſemper his adpellationibus fuiſſe uſum in diplomatis, quæ ipſe ſignavit. *Crediderim*, inquit, *invidiam veritum ſuorum æmulorum, de induſtria abſtinuiſſe nonnunquam hujuſmodi titulis. Certe magni Præſules Lodomerius Varadinenſis, Joannes Colocenſis, aliique, oblique Regis deſignationem ſugillarunt, quod novum hominem, heſternum civem, Conſulem crearit.* Hæc ille; At profecto alia longe fuerit cauſa, cur *Benedictus Electi* & *Archiepiſcopi* titulis frequenter abſtinuerit; tæduerit fortaſſe diſcordiæ inter Regem & Pontificem, Electionis ſuæ cauſa rurſus exortæ. Certe ſine conſecrationis gratia Anno CIↃCCLXXVI, ut videtur, de vita exiit. A morte *Benedicti*, duobus qui conſecuti ſunt annis ſedes Strigonienſis vacavit. *Namque Ladislaus*, ut vir quidam non indoctus ſcribit, *in omnem libidinem effuſus, non ſolum poſſeſſiones Archiepiſcopatus invaſit, verum etiam aliarum Eccleſiarum facultatibus viſcoſas manus injecit.* En pupillam oculi! ac de aliarum Eccleſiarum facultatibus, quibus hic viſcoſas injeciſſe manus *Ladislaus* dicitur, legiſſe me quidpiam alibi nunc non commemini: centenis contra exemplis certiſſimum facile dederim, hoc genus ſcriptores, explendæ periodi gratia, de Regibus ſuis mandare ſigmenta litteris nihil vereri. De poſſeſſionibus poſt mortem Archiepiſcopi ab Rege occupatis, imperite prorſus & inique idem ſcriptor pronunciat. In cauſa enim procul dubio fuit bellum contra *Ottocarum* Bohemum, hoſtem Hungariæ graviſſimum, quem *Rudolphus I.* Imperator, cum *Ladislao* Rege noſtro armorum ſocietate inita, per duos hoſce ipſos annos armis petitum, maximo cum Auſtriæ tum etiam Hungariæ bono profligavit: potuit idcirco Rex vacantis Archiepiſcopatus proventibus, ad mentem ſanctionis *Geyſæ*, & *Belæ III.* Regum, in ſumptus hujus belli uti. At vero ſcriptores monaſtici, res unice ſuas curare adſueti, Regum noſtrorum facta ratione iſta intelligere & interpretari plane ignorant. Bello in *Ottocarum* necdum pene finito *Nicolaus III.* Summus Pontifex, Fratrem *Philippum* Ord. Min. Epiſcopum Firmanum cum poteſtate legati Apoſtolici anno CIↃCCLXXVIII. in Hungariam proficiſci jubet. Ejus Legationis cauſas Raynaldus memorat hunc in modum: *Res*, inquit, *Ungariæ adverſis populorum in Regem factionibus afflictæ admodum ac laceratæ erant: ad quas reſtituendas Nicolaus*

Digitized by Google

laus Philippum, Epiſcopum Firmanum Apoſtolicæ Sedis Legatum his litteris creavit (1):

Nicolus &c. Philippo Epiſcopo Firmano Apoſtolicæ ſedis legato.

Nobilis regni Ungariæ neceſſitates, Apoſtolicæ ſedi frequenter expoſitas, præcordialiter intuemur, auditas recolimus, & non ſine cordis amaritudine ſæpius contemplamur. Condolemus enim tumultuoſis motibus & ſeditioſis tumultibus illorum, qui vel per diſſidia ſimultatum alterutrum diſſident, vel congreſſus mutuos, & bella plusquam civilia immaniter colliduntur. Ex quibus inter alia, dono pacis mortalibus cunctis accomodo libello dato repudii graviter ſolium regale deprimitur, ejusque depreſſo regimine, non ſolum in regno ipſo vaſtantur bona fidelium; ſed jura Eccleſiarum & aliorum piorum locorum in direptionem veniunt, & libertas Eccleſiaſtica damnabiliter conculcatur: animarum quoque ſubſequuntur deploranda pericula, nefanda perſonarum excidia, & alia fere innumera detrimenta, &c. Interjectis nonnullis, quibus Firmano Epiſcopo gerendæ legationis provinciam demandat, hac illum prærogativa exornat. *Nos itaque tam ingenti & periculoſa neceſſitate præmiſſorum attente penſata, te, de cujus claris meritis & probata induſtria plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad regnum ipſum, tibi legationis officio plene commiſſo, in eodem regno, ac Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Ladomeriæ, Galatiæ, & Cumaniæ partibus illi conterminis; ut in eis evellas & deſtruas, diſſipes & diſperdas, ædifices & plantes in nomine Domini, ſicut videris expedire, de fratrum noſtrorum conſilio, velut pacis angelum deſtinamus; injuncto tibi nihilominus, ut in regno ipſo inter eundem Regem & Regni perſonas, nec non tam ibidem, quam in provinciis memoratis inter Eccleſiaſticos & mundanos viros, & univerſos alios cujuscunque conditionis, præeminentiæ, ſive ſtatus, agere ſtudeas, & tractare, quæ ad cultum Dei, Apoſtolicæ ſedis honorem, obſervantiam canonicæ ſanctionis, redintegrationem Eccleſiaſticæ libertatis, robur ſtatus regii, honeſtatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, ac animarum ſalutem, & tranquillitatem corporum pertinebunt. Et ut circa legationis officium, quod in eodem regno Ungariæ tibi duximus committendum, eo poſſis proſperari facilius, quo ſolitis legatorum, qui miſſi de*

1) *Lib. I. ep. cur. 91.*

de latere mare tranſeunt, *adornatus inſignis perſonam noſtram quodammodo præſentabis, de ſpeciali gratia, apoſtolica tibi auctoritate concedimus*, *quod eiſdem inſigniis, infra prædictum Ungariæ regnum duntaxat & terras dominio ejusdem Regis ſubjectas*, *uti libere valeas*, *prædictæ legationis officium proſequendo, &c. Dat. Viterbii X. Kal. Octobris anno I.*

Nec leve damnum, ſubdit Raynaldus, *Ungariæ Eccleſiaſticorum diſſenſiones inferebant*, *quæ maxime in Strigonienſi clero in Archiepiſcopi electionis cauſa exarſere diutius: ad quas extinguendas Nicolaus Papa præficiendi Archiepiſcopi munus ſedi Apoſtolicæ reſervavit* (1), *tum Waradienſem Epiſcopum ad ſedem Strigonienſem traduxit*: *quo argumento datis ad Regem Ungariæ litteris* (2), *hortatus eſt*, *ut eum ſuſciperet &c.* En digeſtas veteres diſcordias, iterum ſuſcitatas! iterum Juri Regio grave imminens periculum! Ac permirum ſane eſt, ſapientiſſimum Pontificem reſtituendis Hungariæ rebus aptiorem invenire medelam non quiviſſe. Sed litem iſtam maximi in præſenti argumento momenti, a primis originibus ducto initio, enarrare hic oportet.

CAPVT. II.

Prima & vera memoratæ litis cauſa exponitur.

Faciam hoc verbis ipſius *Nicolai* Pontificis, ex Epiſtola, quam mox proferam, ad *Ladislaum* Regem data, decerptis: *Licet itaque*, inquit Pontifex, *in primo ipſius Legati progreſſu*, *diſplicuerit nobis*, *& merito*, *quod*, *ſicut audivimus*, *tu ejus reformidans adventum*, *& ingreſſum forſitan dubitans*, *illum diceberis* (*quod invite referimus*) *impedire*; *cum non deceret de patre filium dubitare*, *nec opinari*, *ſeu debere præſumere*, *quod Romana mater Eccleſia . . . in te ſæviens quicquam tibi nocivum transmitteret*, *vel celſitudini regiæ ac regno prædicto . . . fomenta negaret propinare ſalutis.* Hæc Pontifex; ſed vero eſt ſimillimum, Regem *Ladislaum* vel auditione, vel animo præcepiſſe ea omnia, quæ Legatus poſtea de Jure hoc Regio conſtituere conatus eſt; atque idcirco eum aditu regni prohibere fuiſſe adniſum, nec impediviſſe tamen; ait

1) *Lib. I. epis. 68.*

2) *Ext. apoſt. lit. in eod. Vallic. ſig. lit. C. n. 49. p. 74.*

Digitized by Google

ait enim porro Pontifex: *Tamen reſumpſimus in mente lætitiam, gratanter audito, quod tu poſtmodum ingreſſu dicti Legati percepto, te ipſius inductionibus & ſalutaribus monitis regali manſuetudine conformaſti, & animum tuum ad omnipotentem Dominum, ut videbatur, devote concurrens dicta tibi per eundem legatum tam ſuper obſervatione fidei ac decretorum & conſuetudinum progenitorum tuorum, & conſervatione libertatis Eccleſiaſticæ; quam hæreticorum expulſione de regno prædicto ſervare, ac in terris tuis ſervari facere, ſuper altare, tactis Evangeliis promiſiſti.* Formam, ſive litteras memorati hic juramenti adſervari *Raynaldus* dicit in arce Sancti Angeli, exſtareque etiam alibi; exemplum ab eodem vulgatum eſt ſequens:

Ladislaus Dei Gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ Rex omnibus Chriſtifidelibus præſentes inſpecturis ſalutem in auctore ſalutis.

Divinæ viſitationis exordium, quo nos Dominus verus oriens viſitavit ex alto, quo ſanctæ matris Eccleſiæ viſceribus aduniamur, lumine Catholicæ fidei illuſtrati, in progenitore noſtro ſancto Rege Stephano, a ſacroſancta Romana Eccleſia recognoſcimus, ut debemus. In ipſo enim orthodoxæ fidei, divina afflante clementia, ſacrum redolevit unguentum: in ipſo alluvione cœleſtis gratiæ pullulante una cum reliquis ſereniſſimis Regibus Ungariæ, claro germine deſcendentibus, ab eadem Regni gubernaculum ſuſcipimus, & coronam. Et ut principatum fidei in ſacroſancta Romana Eccleſia conſiſtere, eandem Chriſti thalamum, & Trinitatis hoſpitium luculentius demonſtraret, non a ſe vel ab alio; ſed ab eadem Romana Eccleſia matre omnium & magiſtra, Regni diadema revelatione divina meruit obtinere; ut ab ea, quaſi quodam capite principali dona ſua in omne corpus diffunderet lux divina & exortem miniſterii ſe intelligeret eſſe divini, qui a Petri ſoliditate recederet deviando. Et quia nil, quod lumine clariore præfulgeat, quam in principe recta fides; cupientes, toto mentis anniſu, tentoria fidei dominicæ ampliare, ejuſdemque ſanctiſſimi Regis Stephani, progenitoris noſtri, veſtigiis pro modulo inhærentes; ut in arcam domini ſub unitate fidei inter cæteros Comanorum multitudinem, pro parte charactere Dominico inſignitam, ſuſcepto baptiſmatis ſacramento, quamvis adhuc in via morum errantem, reliquam etiam partem a ritu paganiſmi ad agni-

Digitized by Google

agnitionem Chriſtianæ fidei, mediante venerabili & ſanctiſſimo patre Domino Philippo, Dei gratia Epiſcopo Firmano, Apoſt. ſedis legato, ejuſque ſancto miniſterio, domini cooperante clementia, perducamus, quatenus cœleſte regnum proficiat per terrenum; ſolemniter promiſimus & juravimus, quod fidem catholicam, & Eccleſiaſticam libertatem ſervaremus, ac teneremus, ac teneri faceremus & ſervari in regno noſtro & terris nobis ſubjectis: quodque conſtitutiones & decreta ſanctorum Regum progenitorum noſtrorum, & bonas conſuetudines eorumdem, nec non omnia alia & ſingula, quæ noſtri progenitores in ſua conſueverunt coronatione jurare, inviolabiliter ſervaremus; venerabilique patri domino Philippo A. S. L. & aliis, quibus ex officio competeret, aſſiſteremus debito cum effectu juridictionis & poteſtatis noſtræ brachio, ad comprimendos, & expellendos hæreticos de regno noſtro & terris nobis ſubjectis.

Secundo juravimus in præſentia prædictorum, quod novem alios articulos, qui fidem catholicam & Eccleſiaſticam libertatem, nec non Chriſtianorum & Comanorum ſtatum tangunt, effectualiter impleremus, & modo ſimili ſervaremus, & ſervari a noſtris ſubditis faceremus. Demum promiſimus & juravimus venerabili patri domino legato præfato, attendere & ſervari facere articulos infra ſcriptos, quos pro cultu juſtitiæ & unitate fidei obſervanda Uxuc & Tolon principales Comanorum pro ſe, & univerſitate Comanorum, quorum vicem & conſenſum ſe habere dicebant; in præſentia ejuſdem domini legati & noſtra ſolemniter, & publice ſe facturos ſine refragatione qualibet aſſumpſerunt: & modis omnibus curabimus, & in noſtrum ſuſcipimus officium & miniſterium Regiæ Majeſtatis, ſub obligatione Regni noſtri & noſtra, eosdem principales Comanorum & univerſos Comanos articulos infraſcriptos fideliter ſervaturos, omnem ad hoc, quantum ad noſtrum ſpectat officium, curam & operam impendendo. Qui quidem articuli hoc ordine declarantur: ut ſcilicet univerſi Comani & ſinguli, cujuscunque ætatis & ſexus, qui nondum ſunt baptizati, volunt & deſiderant recipere baptiſmatis ſacramentum, & ſuſcipere & tenere omnia Eccleſiaſtica Sacramenta & quæcunque alia ſervanda docet, tenet, & prædicat Romana Eccleſia ſacroſancta: & idolorum cultura, ac omnibus & ſingulis paganorum ritibus dimiſſis & prorſus relictis, ſervare Catholicæ fidei unionem: & quod deſcendent & recedent a tabernaculis ſuis & domibus filtrinis, & habitare & morari in villis Chriſtiano more in ædificiis & domibus ſolo fixis,

ex-

Digitized by Google

expreſſius aſſumpſerunt, & conformare ſe in omnibus moribus & ritibus Chriſtianis promiſerunt expreſſe.

Præterea in regno & terris, noſtro dominio ſubjectis, ab omnibus inſolentiis & homicidiis faciendis, ac interfectione Chriſtianorum, & eorumdem ſanguine effundendo retrahent penitus manus ſuas: & in antea nullo unquam tempore facient, nec patientur fieri hujuſmodi aliquatenus per ſuos famulos & ſubjectos. Præter hæc iidem procuratores Comanorum eidem Domino Legato humiliter ſupplicaverunt, quod ipſe Dominus Legatus procuret ordinare inquiſitores aliquos fide dignos, qui per ſingulas generationes eorum & generationum gradus ſibi invicem quacunque linea attinentes, & per omnes alios ſubjectos eorum inquirant, & ſciant ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis veritatem, & quam Domino Legato & nobis referre, & exponere teneantur; ut is, qui in aliquo præmiſſorum transgreſſor inventus pœnam Eccleſiaſticam, quam meretur, ab eodem venerabili Patre & Eccleſia ipſam recipiat, & per nos temporalis vindictæ debitam ſentiat ultionem. Cæterum ſæpe dicti procuratores Comanorum procuratorio nomine pro ſe & pro eisdem Comanis renuntiaverunt, & abdicaverunt omnia monaſteria, Eccleſias, & poſſeſſiones monaſteriorum, Eccleſiarum, & omnium nobilium, ac cæterorum Chriſtianorum, quæ & quas hactenus injuſte & minus debite occuparunt, & etiam tenuerunt; aſſerentes eosdem Comanos & ſe eſſe paratos ad remittenda & reſtituenda, juxta mandatum ejusdem Domini Legati, omnia & ſingula ſupradicta.

Promittimus etiam ſub ſponſione fidei & præſtiti juramenti ac obligationibus ſupradictis, quod, ut præmiſſa omnia & quacunque alia pro ampliatione fidei Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ libertatis, ac ſublimatione regalis ſolii & ſtatu pacifico Regni noſtri idem Pater venerabilis A. S. L. in convocatione publica & Regni noſtri, facienda XX. die poſt Feſtum B. Joannis Baptiſtæ, duxerit ordinanda, acceptabimus, ſervabimus; attendi ac ſervari ab omnibus noſtræ ditioni ſubditis firmiter faciemus. Quæ omnia, videlicet tam articulos prænotatos, quam alia, quæ in præfata convocatione per ipſum Dominum Legatum fuerint ordinata, & ſolemniter publicata ad æternam rei memoriam in noſtris ſcriptis publicis ſub Bulla aurea ſeriatim redigi faciemus, ac ſic redacta & bullata legato trademus & tradi faciemus præfato. Quod ſi præfatos Comanos ad prædicta & ſingula obſervanda & implenda exhortationibus, perſuaſionibus, rationibus, & precibus for-

Digitized by Google

forſitan inducere non poſſemus; recepimus, promiſimus, & juravimus, quod in Congregatione prædicta contra dictos Comanos indicemus & faciemus exercitum generalem de regno & terris nobis ſubjectis; ad quem noſtros & regni noſtri invitabimus & invitari faciemus amicos; ad compellendum eos per dictum exercitum, & alios quoslibet utiles modos brachio Regiæ poteſtatis ad recipienda, facienda, ac etiam obſervanda omnia, & ſingula ſupradicta. Promittimus ſub obligationibus ſupradictis, quod eos faciemus dare neceſſarios obſides, cuſtodiendos & tenendos juxta regnum & terram noſtram ad mandatum & præceptum præfati Domini Legati in loco, ſeu locis, per illum, ſeu illos, de quo, vel quibus eidem Domino Legato videbitur expedire. In quorum omnium teſtimonium, memoriam, & notitiam pleniorem, nec non perpetui roboris firmitatem, præſentes conceſſimus litteras duplici ſigilli noſtri appenſione roboratas. Dat. Budæ per manus Magiſtri Nicolai aulæ noſtræ Vicecancellarii, dilecti & fidelis noſtri, anno Dom. MCCLXXIX. IX. Kal. Julii, Regni autem noſtri an. VII.

Hactenus *Ladislai IV.* litteræ; quas, tametſi longiores ſint, quia tamen in re præſenti maximi ſunt momenti, integras hic dare libuit. Memorabilia vero in primis ſunt verba illa: *Promittimus etiam ſub ſponſione fidei . . . quod, ut præmiſſa omnia & quæcunque alia pro ampliatione fidei Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ libertatis, ac ſublimatione regalis ſolii & ſtatu pacifico regni noſtri idem Pater venerandus A. S. L. in Convocatione publica & regni noſtri, facienda XX. die poſt Feſtum B. Joannis Baptiſtæ, duxerit ordinanda, acceptabimus, ſervabimus; attendi ac ſervari ab omnibus noſtræ ditioni ſubditis firmiter faciemus.* Nam ex his clariſſime patet, Regem juvenem in articulos *Synodi* provincialis Budenſis memorato ſupra tempore, a *Philippo* Apoſt. ſedis Legato celebratæ, jurare prius fuiſſe inductum, quam ſynodus ipſa celebrata, ejuſque articuli plane cogniti fuerint. Caverat tamen præviæ Rex Juribus ſuis cum adderet: *Quæcunque pro ampliatione Eccleſiaſticæ libertatis, ac SUBLIMATIONE regalis ſolii . . . duxerit ordinanda.* Porro dicta ſynodus celebrata fuit A. CIƆCCLXXIX. Auguſto & Septembri menſibus. Conſtitutiones in ea conſcriptæ lucem viderunt in Collectione Conciliorum Regia. *Péterſius* ex Vaticano codice exſcriptas vulgavit *Concil. Hung. P. I. pag.* 106. quo videlicet olim *Raynaldus* uſus eſt, cum easdem ederet ſub finem anni CIƆCCLXXXV. Sunt vero ſine mutilæ; quam ob rem

rem adnotat *Raynaldus: Mutila ſunt*, inquit, *Acta hujus Concilii, atque in ſuperiora verba deſinunt, tum in Vaticano, cujus rei cauſa ſuo loco allata eſt* (1); *diſſolutam nempe Ladislai Regis, ab impiis ſubordinati, juſſu ſacram ſynodum, armorumque terrore diſturbatam, quod ſcelus atrox inflictis a legato juſtis pœnis expiatum vidimus* (2). Hæc ille; quæ nos infra paulo planius interpretabimur; nunc prævie monere ſufficiet, juſtas quadamtenus abrumpendæ ſynodi habuiſſe Regem cauſas; hac enim, uti Legatus volebat, cum juramento Regis & ordinum, publicata, actum conclamatumque erat de omni iſto Jure Regio.

CAPVT III.

Rationes adſerti reddita.

Teſtes hujus ſunt articuli ejusdem ſynodi quam plurimi. Præcipuus eſt XXIII. qui eſt hujuſmodi: De intruſis in beneficia. *Quia multorum aſſertione comperimus, & pro certo didicimus, quod in multis Eccleſiis, ac monaſteriis, & Eccleſiaſticis beneficiis noſtræ legationis, multi per ſecularem potentiam absque libero & legitimo Eccleſiaſticarum perſonarum aſſenſu, ad quas ipſarum electio, ordinatio, proviſio, & inſtitutio pertinere dignoſcitur, damnabiliter ſunt intruſi, ac quotidie intruduntur, contra ſacrorum inſtituta Canonum, & Eccleſiaſticam libertatem, ex quo multa provenerunt, & proveniunt quotidie detrimenta, & animarum deploranda pericula ſubſequuntur: ſtatuimus, quod nullus Laicus, cujuſcunque authoritatis extiterit, ſive Status, aliquem de cætero in Eccleſiis, vel monaſteriis, aut Eccleſiaſticis beneficiis legationis prædictæ, ponere, vel intrudere quacunque occaſione, vel auctoritate, quin potius transgreſſione, ſeu temeritate, præſumat, ſalvo, & reſervato jure patronatus veri competentis patroni, prout Canonica jura declarant . . . Quicunque alii de cætero aliqua beneficia Eccleſiaſtica per manus receperint laicorum, & electionibus, poſtulationibus, proviſionibus, ſeu inſtitutionibus, ad minas, comminationes, terrores, ſive impreſſiones laicorum quorumcunque aliorum præſumpſerint conſentire, ex tunc ſe ſciant excommunicationis ſententiæ ſubjacere; ipſosque per Diœceſanum &c.*

 En

1) *Anno Chr. 1279. n. 34, & anno 1280. n. 8.*
2) *An. Chr. 1280. n. 8.*

Digitized by Google

En uno articulo omne pene Jus regium ſublatum! Adſerit quippe: *Eccleſiaſticarum perſonarum electionem, ordinationem, proviſionem, & inſtitutionem ad Eccleſiaſticas perſonas pertinere.* Extra regna, coronæ Hungaricæ ſubjecta, robur hæc ſuum habere poterant; intra hæc vero non item. Eccleſiaſtico enim apud nos ordini, ex veteri & conſtanter obſervata conſuetudine, non alia electio, niſi minor; & ea ipſa beneficentia ſolum Principis, competit. Recentiores canones, vetuſtiſſimo huic ſacræ Coronæ Juri contrarii, ab Rege Hungatiæ recipi non poſſunt; cum is vi juramenti ſui, coronationis tempore præſtiti, jura libertatesque regni ſui quam religioſiſſime conſervare teneatur. Sacrorum ordinum collationem Eccleſiaſticis perſonis competere, nemo Regum noſtrorum controvertit: *Proviſionem* autem & *Inſtitutionem*, ſive Collationem dignitatum Eccleſiaſticarum æque ac beneficiorum nemo adhuc fuit, qui non tenaciſſime retinuerit. Habet Rex noſter conceſſione Pontificia, & ex veteri diſciplina Canonica, Primas ad Electionem Prælatorum ſuorum & beneficiorum Collationem; quam ob rem ſi juſtis de cauſis, tametſi pluribus ignotis, Electioni Prælatorum minori non deferret, ejusmodi Regia electio *Intruſio in beneficia* adpellari non debet. Clauſula, quam articulus, ſupra indicatus, continet: *Salvo & reſervato jure patronatus veri competentis patroni, prout canonica jura declarant;* præterquam quod inſtabili interpretationi obnoxia ſit, recentiora inſuper Jura canonica intelligit, quæ a Regibus noſtris, ut dixi, nunquam recipi potuerunt. Idem Jus Regium ſtirpitus evertebatur Ejuſdem Budenſis Synodi Articulo XV, qui eſt, *ne quis beneficium Eccleſiaſticum accipiat de manu Laicorum.* Item Articulo XXXVI: *Prohibemus inſuper, ne inferiores Prælati absque Epiſcoporum, nec ipſi absque Archiepiſcoporum, nec ipſi Metropolitani absque ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali aliqua de bonis immobilibus . . . alienare præſumant.* Jus Regaliæ, ſiue in Bona a morte Prælatorum vacantia, eripiebat Articulus XLIX his verbis: *Statuimus, quod ad bona decedentium Epiſcoporum, ſeu Epiſcopatuum & aliorum inferiorum Prælatorum ſæcularium ſeu Religioſorum, monaſteriorum, vel aliarum Eccleſiarum vacantium nullus Laicus, quantæcunque & cujuscunque ſit* ALTITVDINIS, *exiſtentiæ, conditionis, vel ſtatus manus ſuas extendi faciat, vel permittat, bona bujusmodi auferendo, aut etiam occupando, vel alio quocunque prætextu &c.* Abrupta hæc Syno-

Digitized by Google

ſnodus fuit in articulo LXIX, qui eſt: *Adverſus bonorum & jurium Eccleſiaſticorum invaſores.* *Cauſam*, inquit Péterſius (1), *inconſtantiæ Ladislai Odoricus Raynaldus producit. Epiſcopi duo, vitæ improbæ ſocii potius quam cenſores per Philippum dignitate exuti, in novum odium Regem impulerunt. Proferebant hi cenſum bene longum injuriarum, quas jura, per Romanam ſedem in nominandis Epiſcopis, & Eccleſiarum procuratione Regibus Hungariæ conceſſa, paterentur. Videret, ne diſſimulata Legati authoritas eo ſenſim procederet, ut neglecto Principe, pro libitu Epiſcopos damnaret, inſtitueretque: ſic Primatem nominatum, Synodum collectam, veſtium rationem dictatam Hungaris, denique anathematis fulmen in perſonam Principis, totamque Remp. jactum; quæ cum longe abeſſent a poteſtate Nuntii Apoſtolici, futurum tandem, ut infularum partitio, & quidquid privilegiorum haberet, Romam, unde per Silveſtrum Papam ad S. Stephanum profecta eſt, rediret.* Hæc Péterſius; quibus addit: *Et effecit hæc aſſentatio, ut Ladislaus nihil cunctatus, miſſis ſatelitibus Philippum comprehendi, & intentata morte, ſi rediret, tota pelli Hungaria mandaret.* At *Ladislaus* ipſe publicis litteris, quibus factum hoc ſuum corrigit, minus quidem eleganter, ſed magis vere, abruptæ Synodi cauſas memorat, ut mox videbimus. Porro erraviſſe Regem, ſive ardore Juventutis, ſive pravorum conſiliis abreptum, in confeſſo eſt. Nam quod ad *Jura Regia* adtinet, poterat plurimis aliis, magisque decentibus modis, iisdem conſulere; poterat publicis docere litteris, nihil avitis Regum & Regni Hungariæ juribus prævio juramento ſuo derogare ſe voluiſſe; Regem præterea Hungariæ nullo juramento teneri, quod in præjudicium regni ſui unquam juraverit. *Decret. tit. de Jurejurando Cap. XXXIII. Quia*, teſte eadem Decretali, *cum teneatur & in ſua coronatione juraverit, jura regni ſui, & honorem coronæ illibata ſervare; illicitum profecto fuit, ſi praſtitit de non revocandis alienationibus hujusmodi juramentum, & propterea penitus non ſervandum.* At vero agnovit ipſe errorem ſuum Princeps non peſſimæ indolis, & proclivem ad virtutem animum publica confeſſione probavit, ut mox videbimus. Præcipue autem omni hac in re *Nicolai III.* ſummi Pontificis, ſingularis prudentia enituit; qui tametſi datis ad alios Principes ac proceres litteris ad reducendum Regem ſeveriora pararet remedia;

1) *Concil. Hung. P. I. p. 102.*

Ladislaum tamen prius epiſtola pertentandum cenſuit, ſingulari amore & manſuetudine perſcripta, & eodem hoc CIↃCCLXXIX anno, v. Id. Decemb. ad Regem data; quam profecto, etſi longior ſit, dignam tamen cenſui, quam hic adſcriberem:

Regi Ungariæ Illuſtri Spiritum Conſilii Sanioris.

Militantis Eccleſiæ Pater æternus proprium Filium Jeſum Chriſtum, præter quod nemo aliud ponere poteſt, poſuit fundamentum. Ad cujus Eccleſiæ regimen voluit Chriſti clementia Romanum Pontificem vice ſui deputari miniſtrum, ut ejus fidem, inſtructionem, atque doctrinam, eloquio veritatis evangelicæ traditas, cuncti renati fonte baptiſmatis teneant, & obſervent. Qui enim ſub hac fide laudabiliter curſus vitæ peregerint, Salvatoris gratiam merebuntur; & qui ab ipſa declinaverint, ſunt damnationis æternæ ſententia feriendi. Hoc itaque miniſterium apoſtolicæ ſervitutis expoſcit, hoc ſolicitudo noſtra requirit, & ad hoc continuis vigiliis anxiamur potiſſime, ut fides ipſa ubilibet ſervetur & vigeat, ſubmotis quibuslibet nubibus, clare reluceat, & effundat in ſingulos illam profitentes libere ſuos radios claritatis; nec minus pro Eccleſiaſtica libertate ſervanda curis quotidianis inſiſtimus & quietem quærimus fidelium populorum, in iis paſtoralis officii debitum exolventes. Unde non indigne de tua regnique tui ſalute more patris ſoliciti cogitantes, ab olim intellectis tumultuoſis motibus dicti regni, & ſeditioſis tumultibus incolarum illius, qui per diſſidia ſimultatum alterutrum diſſidebant, & mutuis congreſſibus collidebantur immaniter; quæ quidem, dono pacis poſtpoſito regale ſolium graviter deprimebant, ejusque depreſſo regimine non ſolum in regno ipſo vaſtabantur bona fidelium, ſed jura Eccleſiarum & aliorum, piorum locorum diripiebantur enormiter, & libertatem Eccleſiaſticam inſolentia damnabiliter conculcabant; animarum quoque ſubſequebantur deploranda pericula, nefanda perſonarum excidia, & alia fere innumera detrimenta; nos veriſimiliter hæſitantes, ne ex iis fidem ipſam vacillare, libertatem eamdem & juſtitiam conculcari, ac errores Schismaticos pullulare contingeret; licet conſideraremus interdum, ſi concurriſſet cum poſſibilitate decentia, noſtram ibidem exhibere præſentiam, ut circa hæc præſentialiter ſtudia noſtra verſando, apud Deum & Patrem retributorem omnium in ſic gratis & acceptis obſequiis mereremur, tua culmina præ-

ſerva-

ſervaremus a fluctibus, & tam te quam dicti regni populum præſentialibus reficeremus affatibus, & exhibitionibus ſpiritualium gratiarum; quia tamen id non patiebatur noſtra conditio, nec emergentium undique negotiorum immenſitas permittebat, venerabilem fratrem noſtrum Philippum epiſcopum Firmanum Apoſtolicæ ſedis legatum, de cujus induſtria, circumſpectione provida, & fidei puritate confidimus; ad partes illas tamquam pacis angelum, de fratrum noſtrorum conſilio duximus deſtinandum, ut perſonam noſtram prælatis, tibi ac aliis illarum partium catholicis, & aliis præſentaret; & quæ Deo placitura, dictoque regno ad ſalutem profutura, & ad Chriſtianæ fidei ac tui ſtatus fulcimenta pertinere cognoſceret, auctoritate noſtra munitus impleret. Utinam hac in parte noſtris deſideriis ſatisfiat!

Profecto te affectibus paternis alloquimur, & tibi noſtræ mentis aperimus intrinſeca; ut de patris pectore colligas, quod tuæ proſperitatis commoda quærimus, & in tuis ſucceſſibus proſperis delectamur: devota quoque horum attentione percipias, quod tuæ ſalutis zelatores exiſtimus, nec omittimus actus tuos dirigere precibus, interdum linire commonitis, & ad te, cum expedit, correctionis paternæ virgam extendere, ac illa feriente a te indecentia quæque prorſus excutere, ut illis expiatis munde reniteas Deo Patri, & nobis filius præſenteris electus, & exultent corda fidelium in lumine vultus tui, tuque proſpere procedens & regnans, tandem participationem æternæ gloriæ merearis: & ſi qua forſan ex noſtris eloquiis amara colligeres, tenere te volumus, quod ex amoris dulcedine talis amaritudo procedit, & finaliter a te grate percepta dulceſcet.

Licet itaque in primo ipſius legati progreſſu, diſplicuerit nobis & merito, quod, ſicut audivimus, tu ejus reformidans adventum, & ingreſſum forſitan dubitans, illum dicebaris (quod invite referimus) impedire; cum non deceret de patre filium dubitare, nec opinari, ſeu debere præſumere, quod Romana mater Eccleſia (quæ munifica ſingulis non ſolum filios benedictionis gratæ complectitur, & dulcedinis lactat uberibus; verum etiam aberrantibus, ut neminem ſuæ relinquat benignitatis expertem, potius manſuetudinis ſinum pandit ad gratiam, quam in illos judicium exerceat ultionis) in te ſæviens quicquam tibi nocivum tranſmitteret, vel celſitudini regiæ ac regno prædicto, quod in memoria noſtra tenemus acceptum, quod Chriſti miniſtros producit electos & viros religione fæcundos, inclytos catholicæ fidei

pro-

Digitized by Google

feſſores; & in quo degit catholicus populus mandatorum Domini ſectator eximius, peregrinationibus, pœnitentiis, & aliis piis vacans operibus, prout in pluribus experimur, fomenta negaret propinare ſalutis; tamen reſumpſimus in mente lætitiam, gratanter audito, quod tu poſtmodum, ingreſſu dicti legati percepto, te ipſius inductionibus & ſalutaribus monitis conformaſti, & animum tuum ad omnipotentem Dominum, ut videbatur, devote concurrens, dicta tibi per eundem legatum tam ſuper obſervatione fidei ac decretorum & conſuetudinum progenitorum tuorum, & conſervatione libertatis Eccleſiaſticæ; quam hæreticorum expulſione de regno prædicto ſervare, ac in terris tuis ſervari facere, ſuper altare, tactis Evangeliis, promiſiſti: quodque ipſius legati monita ſuper liberatione Chriſtianorum, quos Cumani & alii pagani ſub ſervitute tenebant, benigne recolligens, quod Chriſtianos a Cumanorum obſequiis retraheres, quod compelleres Cumanos ad habitandum in domibus ſolo fixis, & ex eis baptizatos potiſſime ad deſtructionem cogeres idolorum; nullum etiam infidelem, vel quem ſcires excommunicatione ligatum in officialem regium, vel familiarem admitteres, quod tam in te, quam in illis in regno tuo, dimiſſo paganorum abuſu, reſumeres Chriſtianorum habitum tam in veſtibus quam capillis; Cumanos inſuper reſtituere monaſteria & Eccleſias, occupata per ipſos; ac apoſtatas dicti regni ad ordines redigere compelleres, cum ab eorum prælatis exiſteres requiſitus, & quædam alia directionem regni & ſalutem continentia ſtatus tui coram ligno crucis ſolemniter in altari, primo & iterum regia fide data Ungarico more juraſti. Et dum expectaretur, quod in hujuſmodi propoſito ſalutari concreſceres, prædicta ſic promiſſa pluries & jurata per te non fuerunt, proh dolor! ut ſperabatur, impleta: quamquam Cumanorum nuntii certos recepiſſent & approbaſſent articulos; uno excepto, videlicet de barbis radendis, & crinibus breviandis ad quod te, Prælatis & Baronibus regni prædicti, eundem legatum inducentibus, tu eidem Legato, quod cætera alia ſervari faceres, promiſiſti, coronam & regnum tuum propter hoc ſpecialiter obligando. Et poſtmodum pro eo quod præmiſſa, quæ promiſeras, & juraveras ut prædicitur, adimplere diſtuleras, te graviter deliquiſſe humili ſpiritu recognoſcens, iterum cum obligatione ſimili per manum dextram regia fide data, Ungarico more ſimiliter, & denuo te excommunicatum & regnum tuum propter hoc juſte interdicto fuiſſe ſuppoſitum recognoſcens, tactis ſacroſanctis Evangeliis juraſti; & renunciando appellationibus, exceptionibus, & impugnationibus quibuslibet, promiſiſti etiam implere per omnia ſupradicta. Sed

Sed nec iis, non ſine nota tui nominis, prout decuit; obſervatis, miramur, & mirando tibi compatimur, & compatiendo dolemus, quod te famam regalis nominis reprehenſivæ inconſtantiæ, in principe maxime, lacerari remorſibus negligentiæ ac in vetita toties, non ſine Dei offenſa & inconſtantia notabili, relabente, prædicta ſic per te jurata toties, & promiſſa, & obligationibus roborata, ne dicamus contempta, reperiuntur omiſſa: & demum audito, quod te improvide appellationis refugio, immo potius diffugio commiſeras, & prætextu appellationis hujuſmodi, quaſi baculo arundineo incautus inhærens, non ſolum legato non parebas eidem ſecundum te ipſum, nec non & alios ab ejus prælatorum ſibi adhærentium obedientia, non abſque notæ macula interdum comminationibus, inductionibus, interdum pœnarum inflictionibus retrahebas; in eo potiſſime tanto graviori dolore perpungimur, & anxiamur anguſtia, quanto incautius ſuper his te ipſum, animam & regnum tua diceris involviſſe: unde progredi videris in devium, & niſi reſilias, in ruinam.

Nos itaque more paſtoris de commiſſo nobis grege dominico & ſalute tua, juxta officii noſtri debitum, ne videamur in te, ac regno prædicto negligere, quod in Catholicis Chriſtianis amamus, ſedulo cogitantes; ac licet nondum ad nos ex parte tua ſuper proſecutione appellationis hujusmodi nuncii, ſeu procuratores tui venerint, præmiſſis absque intermiſſione temporis occurrentes, te ne ſub talibus nubibus ceſpitando præcipites, paſtoris miniſterio non adjutus; ad tuam, & regni tui ſalutem, ſub ſpe ſummi Patris promptis adhibitis ſtudiis, prævenimus. Attende igitur, Rex inclyte, cogita & revolve, quo ducaris, & a quibus: quid poſtpoſueris; & cui, vel quibus inhæſeris. Attende te ipſum, & vide quod dicitur, dum auditur, quod regalis domus Ungarica, quæ conſuevit athletas Chriſti cantra infideles producere ac inſurgere ad reprimendam aſtutiam barbarorum; & quæ viros enutrivit electos catholicæ fidei profeſſores, Deum & matrem Eccleſiam reverentes ultores juſtitiæ, religionis Chriſtianæ ſervatores præcipuos, & piorum operum ſedulos ſectatores; tali & tanto, quod ex præmiſſis colligitur, nefando contagio maculetur. Attende quod in præſenti negotio agitur cauſa Chriſti, a quo non eſt appellationibus divertendum: nam ipſe ſcrutator cordium judicat illos Deus. Quibus allegationibus te munies, dum, ut dicitur, juramentorum & tot promiſſorum violator, maxime contra fidem, libertatem Eccleſiaſticam, in notoriis inſuper in eo etiam, quod eſt tempore

 peri-

periturum, contra renuntiationem tuam, ac ſalutem propriam, ſub pallio talis appellationis inobediens coram Chriſti vicario præſentaris? Reſpuunt interdum in talibus appellationes, ne dum divina, ſed humana judicia. Quibus te poteris apud juſtum judicem excuſare ſuffragiis, dum ſalutem tuam & regalis nominis famam poſtpoſuiſſe ſic diceris; & pateris, quod ſub tuo prætextu in regno ſic catholico, unde conſcripta ſanctorum merita colit Eccleſia, fluctuet fides chriſti? Quibus defenſionibus poteris coram illo ſubſiſtere, qui patiens & humilis miſeretur, & commodat: & tandem provocatus ad iram mucrone duræ ſententiæ ferit, & deprimit obſiſtentes?

Abſit, quod tu talibus contracteris inſultibus. Abſit, quod tantum principem, & ſic electum regnum, ſicque copioſam fidelium multitudinem periclitari noſtro tempore videamus. O quanta producimus, & quam amara ſuſpiria, dum te ac dictum regnum, ſic nobis chara, tantis videmus ſubjacere periculis! O quam profunde diſtrahimur, dum aſtutis infidelium ſubtilius judicamus; & quanto langvore diffundimur, dum timemus nequitiam ſitientium Chriſtiani populi colludere veritatem! Nam ipſi Schiſmatici tecum barbarico more luctantes, tibi ſe ipſos ſeditioſa calliditate ſubjiciunt, ut tandem ſibi ſubjiciant tui nominis claritatem. Ad quæ divinam clementiam orationum ſuffragiis humiliter imploramus, ut dignetur ab oculis tuis omnem nubem excutere, per quam poſſet in te ſuperioris luminis beneficium impediri: ut excluſa tenebrarum caligine, quid ſis, & ubi, quid agas, quidque tuis merearis actibus, tam exteriori, quam interiori lumine contempleris. Et nihilominus illius vices gerentes in terris, qui pro ove deperdita ad flagella duci, clavis affigi, & tandem mortem ſubire voluit, ut mortem noſtram moriendo redimeret, & quas protoplaſti delicto meruimus, miſerias tolleret infernales; nos & fratres iidem, non ſolum in his adhibere, quæ videbantur opportuna remedia; ſed nos ipſos etiam prout tenemur, pro conſervatione catholicæ fidei, ſi expedierit, exhibere proponimus, ut tuam & regni præfati ſalutem, & ſi oportuerit non ſolum ſpiritualibus, ſed temporalibus correctionibus procuremus.

Et licet ſperemus in bonorum omnium directore, quod ipſe te reducet ad gratiam, & diriget per ſuorum ſemitam mandatorum: ſi tamen, quod abſit, in præſenti varietate calleſceres, firma fide tenemus, quod nobis aderit ipſe propitius, & ſua potentia, prævalebit. Digne quoque confidimus,

ſic

Digitized by Google

ſic prælatos, barones & populum regni præfati ad Deum & matrem Eccleſiam ſincera devotione fervere, & in divinis beneplacitis radicatos, quod non ſolum te in talibus non confoverent flagitiis, ſed zelo fidei, & fervore Chriſtianæ religionis accenſi potius in tuos actus reprobandos inſurgerent pro conſervanda gloria Redemptoris.

Exſurge igitur per te ipſum, & imbutus ſpiritu ſalutari, mente conſurge: animum tuum regali conſtantia, & ad Creatorem tuum ſerena magnanimitate reforma; & illi pure ac ſimpliciter irrefragabili ſoliditate ſtudioſius te conforma, & ejus nutibus dirige actus tuos, a quo dependent omnium mors & vita. Exſurge, nec tepeas illius te beneplacitis humili ſpiritu devovere, cujus eſt proprium miſereri ſemper & parcere. Conſurge fortis, & prudenter audi verba, quibus te Chriſti vicarius alloquitur. Illa ſume, ſumptaque diligenter attende: nam te dant cauſam, deducunt ad verbera, ut te ipſum correctione paterna reformes, nec avertas manſuetudinem matris Eccleſiæ filium trahentis ad ubera, ut ipſum materna dulcedine liniat, & reficiat gratia ſalutari. Et exſurgens humiliter de tua vel cujuſvis alterius contra Deum potentia non confidas: ſicque faciens ſicut catholicus Chriſtianus regalibus circumfultus virtutibus, de quadam Deo placida neceſſitate virtutem; & in dicto legato perſonam noſtram devote contemplans, ſicut nobis in prædictis & aliis legato parere, prætextu cujuſquam appellationis indebitæ, vel incauti conſilii, non dimittas eidem: ſed ei potius ſic prompte ac humiliter acquieſcas, promptitudine regali corrigas per te in hac parte commiſſa, & pœnitudine plena, & intentione perfecta places Altiſſimum, quod nos & dicti fratres per ipſius legati, tuas, prælatorum, & baronum regni præfati litteras, & alias etiam optata & Deo accepta gaudia cum efficaci & devota regali promptitudine de tuis actibus, dante Domino, velociter colligamus: ipſe quoque pius pater tibi placatus arrideat, ſolium & regnum prædicta ſolidet, dirigat & reformet; ac te dictumque regnum ubertate fæcundet: tuque progenitorum tuorum ſequens clara veſtigia, quolibet nubilo fugato, reluceas; & plene percipiens nominis divini fragrantiam, & efficacius ad amorem ejus allectus, ad dona cæleſtis gratiæ valeas tanquam benedictionis filius pervenire: nec cogamur, quod facerimus invite, circa hæc alia remedia cogitare. Datum Romæ apud S. Petrum, V. id. decembr. anno II. (1)

(1) *Raynal. ad an. 1279. n. 35.*

Hæc ad *Ladiſlaum Nicolaus* Pontifex; amara dulcibus, dura mollibus permiſcens. Reſipuit Rex anno proxime ſequenti, quo tum a *Rudolpho I. Imp.* armorum ſocio, tum a *Carolo Siculo* ſocero ſuo, teſte *Raynaldo*, perſtrictus, commiſſum ſcelus agnovit, & meliori vita emendare ſtuduit. Exemplum palinodiæ *Ladiſlai*, a *Raynaldo* vulgatum, eſt ſequens:

Ladiſlaus Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Crovatiæ, Ramæ, ſive Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex, omnibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, ſalutem in auctore ſalutis.

Cum ad catholicos & Deo devotos principes, & quoslibet alios Chriſtianæ fidei profeſſores principaliter quaſi expectare noſcatur, culpas ſuas agnoſcere, & Eccleſias, ac alia pia loca ad uſum pauperum, & egenorum, ac infirmorum Chriſti ædificare; notum fieri volumus univerſis, quod cum tempore ſacri concilii per venerabilem patrem dominum Philippum Dei gratia Firmanum Epiſcopum, Apoſtolicæ ſedis legatum, in caſtro Budenſi devote & ſolemniter celebrati, nos fervore juventutis contra noſtram ſalutem accenſi, & quorumdam pravorum conſiliis depravati atque ſeducti, in noſtram hoc inferri injuriam æſtimantes, quod erat ad propagationem virtutum, excluſionem etiam vitiorum; judici & civibus dicti caſtri Budenſis ſub gravibus pœnis dedimus in mandatis, ut prælatos regni noſtri, ad mandatum domini legati præfati ibi occaſione dicti concilii congregatos, de caſtro ipſo excluderent, nec aliquos in dictum caſtrum permitterent introire; quodque eis & familiæ eorumdem, victualia, & venalia probiberent. Tandem paterna manſuetudine ab ipſo domino legato pie & leniter informati, ad eruditionem, & frequentem inductionem ipſius exceſſum noſtrum in hujuſmodi cupientes miſericordiæ operibus expiari; cum crimina eleemoſynis redimantur, in perpetuam eleemoſynam ad mandatum ipſius domini legati donamus, concedimus, atque offerimus eidem reverendo patri domino legato, recipienti nomine & vice egenorum, ac pauperum, & infirmorum Chriſti centum marchas argenti annis ſingulis perpetuis temporibus ipſorum pauperum & egenorum, ac infirmorum nomine percipiendas; ad opus conſtruendi unum hoſpitale pro ſuſtentatione dictorum pauperum, egenorum, ac etiam infirmorum, & in ſolatium

tium

Digitized by Google

tium eorundem in regno noſtro ubi, quando, & ſicut præfato Domino legato videbitur expedire; & per ſe vel per alium duxerit ordinandum: irrefragabiliter ſtatuentes, quod dictæ centum marchæ per nos, & ſucceſſores noſtros annis ſingulis perpetuis temporibus perſolvantur de argentifodina noſtra Quiyluylcbbana vocata, circa Scepes: qui per ipſum vel alium, qui de mandato ipſius aut per venerabilem patrem Lodo, Dei gratia Strigonienſem archiepiſcopum ad curam, miniſtrationem, & gubernationem dicti hoſpitalis fuerint deputati; nos & cameram noſtram, noſtrosque ſucceſſores ad prædicta omnia & ſingula per præſens privilegium obligantes. Quod ſi caſu aliquo dictam argentifodinam deficere, diminui, vel deperire contingeret, quod dictæ centum marchæ de ipſius argentifodinæ proventibus ſolvi non poſſent; aſſumimus, promittimus, ordinamus, atque ſtatuimus, nos & cameram, & ærarium noſtra, ut ſupra obnixi obligantes, quod dictæ centum marchæ de camera vel ærario noſtris annis ſingulis perſolvantur; tam pro ſatisfactione præfatæ injuriæ, & offenſæ per nos Deo & Eccleſiæ irrogatæ, quam pro noſtro & progenitorum noſtrorum remedio peccatorum. In cujus rei memoriam ſempiternam, & perpetuam firmitatem præſentes conceſſimus litteras, duplicis ſigilli noſtri munimine roboratas. Dat. per manus diſcreti viri magiſtri Bartholomæi, aulæ noſtræ vicecancellarii, dilecti & fidelis noſtri, anno Dom. MCCLXXX. XV. Kal. Septembris, regni noſtri anno VIII.

CAPVT IV.

Adnotata quædam ad præcedentes litteras. Conſtitutiones Apoſtolicas de exſcindendis hæreſibus, ab Apoſtolica ſede quomodocunque perlatas, Ladislaus recipit; apud Martinum IV. ſummum Pontificem, Nicolai III. ſucceſſorem amare queritur, Jura coronæ & regni Hungariæ cum a ſuis miniſtris, tum etiam ab aliis fraudulenter impeti & ſubverti: memorabiles ea de re Martini IV. ad Ladislaum litteræ.

Hactenus Palinodia *Ladislai*, eximium poſteris conſervans teſtimonium, haudquaquam ita depravatum fuiſſe *Ladislai* Regis noſtri animum, ut quidam memoriæ prodiderunt. Fatetur enim Rex: *Se fervore juventutis contra ſuam ſalutem accenſum, & quorundam pravorum conſiliis depravatum atque ſeductum, eam injuriam Deo & Eccleſiæ* irro-

irrogaſſe. Dolorem idcirco publice teſtatur ſuum, & *ad mandatum ipſius Domini legati* illatam ſynodo injuriam centum marcis annuis penſat. Maximum vero bonæ *Ladislai* mentis indicium eſt, quod ab eo pie & leniter informatum, & melius eruditum ſe fuiſſe profiteatur, a quo in primis exiſtimabat ſe eſſe offenſum. Legati rationes, quibus Regem ad meliora conſilia traduxit, conjectura adſequi non eſt difficile. Dicere quippe Regi perſuadereque poterat, Budenſem ſynodum non ad Hungariam ſolum, ſed omnes etiam reliquas legationis ſuæ provincias pertinere, in quibus etiam Poloniæ Regnum fuit. Quippe Art. XIV. ſynodi verba ſunt: *Quoniam ſicut audivimus nonnulli Eccleſiarum Prælati & perſonæ eccleſiaſticæ noſtræ legationis & maxime Regni Ungariæ &c.* Item Art. LII. *Ab omnibus prælatis Regni Ungariæ, quantum ad Ungaros, & ab illis de Polonia, quantum ad Polonos.* Item Art. LXVII. *Quod autem de denuntiandis excommunicatis ſupra diximus, intelligimus de Polonis quantum ad Polonos; & de Hungaris & incolis terræ, Regi Hungariæ ſubjectæ, quantum ad Hungaros ipſos incolas.* Addiderat fortaſſe præterea, pleroſque ejus ſynodi canones vitam ſolum & honeſtatem Clericorum, in provinciis legationis ſuæ, in Hungaria præſertim admodum labefactatam perſtringere, atque corrigere: quam morum diſciplinam manutenere potius, quam prohibere, Apoſtolici Regis eſſet officium. His porro aut perſimilibus rationibus Rex leges Apoſtolicas, de exſcindendis hæreſibus *quomodocunque* perlatas, ad requiſitionem & commonitionem *Philippi*, Apoſtolicæ ſedis legati, in provinciis quoque Coronæ Hungaricæ ſubjectis robur ſuum habituras eſſe, publice edixit. Celeberrimas ejus ſanctionis tabulas juris publici fecit *Raynaldus* ad an. 1280. n. 9. ex quibus ad rem noſtram hæc fere ſunt: *Diverſæ hæreticæ pravitatis ſectæ . . . jam dudum miſerabiliter pullulaſſe, & damnabiliter excreviſſe noſcuntur, per regalis noſtræ auctoritatis, & poteſtatis officium, ac miniſterium dilatari; omnia ſtatuta, conſtitutiones, leges & jura, atque decreta contra hæreticos & hæreticam pravitatem, quibuſcumque nominibus cenſeantur, per ſanctam ſedem Apoſtolicam edita, accepta, & quomodolibet approbata, ad requiſitionem & commonitionem reverendi Patris Domini Philippi . . . devote recipimus, acceptamus, ac etiam approbamus &c.* Quæ ſanctio dubio procul ad Budenſem etiam ſynodum, *quatenus de exſtirpatione hære-*

ſium

Digitized by Google

ſuum diceret, pertinuit; nam in iis, *quæ Juri Regio contraria habet*, nunquam a *Ladislao* fuiſſe receptam, certum eſt. Atque hæc, ut patet, anno CIↃCCLXXX. ſunt geſta; ad annum proxime ſequentem *Raynaldus* notat: *Inter hæc*, inquit, *Ladislaus Rex in Ungaria, laxato cupiditatibus fræno, Cumanarum muliercularum inſanis amoribus irretitus, cum jura matrimonii, contempta uxore, Caroli ſiculi filia, violaret, ac rem Chriſtianam in periculum adduceret; à Philippo legato apoſtolico fruſtra admonitus, ut Cumanorum mores habitumque exueret, anathemate percuſſus eſt, ut ſcribit Longinus* (1), *ac duo epiſcopi, qui fœda illius opera pravis aſſentationibus mulcebant, dignitate deturbati. Quo efferatus veſanus Rex, miſſis ſatellitibus, legatum, objecto mortis metu, ſi rediret, ejecit. At regni proceres, juſto concitati zelo, ad comprimendam Regis ſui temerariam inſolentiam illum comprehendere; depulſisque cum ignominia omnibus illius concubinis, in arce una cum uxore, ut ſervandis matrimonii legibus aſſueſceret, atque Ungariæ juſtus hæres daretur, incluſerunt.* Permira enimvero rurſus rerum mutatio! ex qua plura, quæ fugias; quam quæ ſequaris, diſcas. Ac de Rege quidem, animus mihi non eſt, juveniles ejus mores multis defendere; de legato autem *Philippo*, manifeſtum eſt, eum vibrato in Regem & duos illos præſules fulmine ſuo, Budenſis ſynodi Canones religioſe obſervari voluiſſe. Nam Canone XLVII. & XLVIII. *Arcebantur ab ingreſſu eccleſiæ & perceptione ſacramentorum, qui meretrices in domibus & poſſeſſionibus ſuis habitare permitterent; perſonæ autem eccleſiaſticæ, ſi in prædictis exceſſiſſent, præter prædictas pœnas, per ordinarios, ſive ſuperiores ſuos, gravius puniri jubebantur.* Si igitur duo illi Præſules a legato dignitatibus moti ſunt cum conſenſu procerum, qui in devia abrepti Regis vices tum ſupplere poterant, factum id eſſe ab legato legitime, nullus ambigit: ſin vero ſine conſenſu procerum, & pro abſoluta, quam Budenſibus Canonibus inducere voluit, poteſtate ſua: id enimvero erat ignem potius fodere quam reſtinguere. At hoc utcumque ſit, neque enim triſtem refricare memoriam pluribus delectat, hoc pro certo compertoque habeo: primum, brevi illo, quo *Nicolaus III.* ſummus Pontifex, vixit, tempore, *Ladislaum* Regem de juribus ſuis Regiis continenter fuiſſe impetitum; deinde, non Cumanos illos amores ſolum, ſed hæc

1) *Long. Hiſt. Pol. l. 7.*

Digitized by Google

hæc etiam Juris Regii PERICVLA, mutati identidem *Ladislai* animi cauſam fuiſſe vel maximam. Teſtatum hoc poſteris reliquit *Ladislaus* ipſe, qui datis ad *Martinum IV.* ſummum Pontificem, *Nicolai III.* ſucceſſorem, literis, amare queſtus eſt, Jura Coronæ & Regni Hungariæ cum a ſuis miniſtris, tum etiam ab aliis fraudulenter impeti, ac ſubverti. Opportunam iſtam occaſionem nactus piiſſimus Pontifex, litteras ad Regem dedit, in quibus blande primum adhortatus eſt, ut gentilium mores habitumque exueret; aſſentatores expelleret; probos conſiliarios adhiberet; ſeque e ſanctis originem ducere meminiſſet. Ne vero de ſedis Apoſtolicæ in eum benevolentia diffideret: ac ſi quas ſubreptitias litteras, quæ ipſius coronæ jura labefactarent, ejus adminiſtri obtinuiſſent, ſciret, eas irritas fore: non eſſe conſilii ſedis Apoſtolicæ *in jura celſitudinis regalis obrepere*, *vel cum eo agere captioſe*, *ſed potius velut chariſſimum filium Apoſtolico favore protegere.* At en eas ipſas, editas a Raynaldo hoc exemplo:

Regi Ungariæ Illuſtri.

Paterna nos monet affectio, zelus tuæ ſalutis inducit, tua regnique tui deſiderata proſperitas interpellat, ut exacta pericula, quæ per opitulationem ſolius divinæ gratiæ ſuperaſti, repetitione ſummaria tuæ mentis obtutibus exponentes, excellentiam regiam ad debitam de tanta tibi conceſſa gratia gratitudinem excitemus, te proinde in concedentis beneplacitis confortantes. Et quidem, fili chariſſime, ſi multiplicata in te tui beneficia Redemptoris ſcrutinio ſolerti recenſeas; ſi præteritorum eventuum qualitatem devota meditatione recogites; habes procul dubio, unde Creatori tuo humiliato ſpiritu, in vocem confeſſionis erumpas, ſoloque ipſius beneficio te vivere, ac regnare humiliter fatearis. Recogita itaque quam paratus eras ad caſum, quam diſpoſitus ad ruinam, quando regno tuo diverſarum guerrarum convulſo diſſidiis, & quaſi totaliter tuæ ditioni ſubtracto, in manus, tuam quærentium animam, incidiſti. Recognoſce quam gratioſe te, iniquorum ſeductionibus impulſum, & verſatum ut caderes, quam benigne ſuſcepit. Quomodo ipſius dextra, tecum virtutem faciens, te a rugientibus ad eſcam paratis eripuit, præfatum regnum tuum tranquillitati reſtituit, & in eo regium ſolium ad exaltationem ſtatus ſoliti præparavit; excellentiæ tuæ ſatis certis

jam

Digitized by Google

jam datis auſpiciis, quod te in ſuorum mandatorum ſemita perſiſtente, thronum tuum in ſtatu conſuetæ altitudinis ſolidabit.

Perſta igitur, & ab omnibus, quæ contrarii poſſent ſuſpicionem inducere, mentem tuam prorſus averte; teque diligenter attendens de ſanctorum ſtirpe progenitum, abhorre ab eorum laudabilibus ſemitis deviare: ſed eorum veſtigia imitanda proſequere, fidemque catholicam totis viribus devotus amplectens ad dilatationem illius ſolerter intende. Mores ab illa quomodolibet, etiam in cultu corporis & habitu, alienos penitus aſpernare. Pravos conſiliarios abjice, conſilia illorum obaudi: juſti & in fide ſinceri vias tuas regant, & dirigant; nec impinguet peccatoris oleum caput tuum. Aſſueſce virtutibus; illis ita juvenilem animum imbue, ut eas in provectiori ætate præſentet. Illis taliter aſſueſce, quod per conſuetudinem mores ſiant, nec ab ipſis facile poſſis averti, converſis quodammodo in naturam. Nec excellentiam regalem deterreant litteræ quædam, quas ſuper tuis corona & regno per miniſtrorum tuorum malitiam conquereris fraudulenter extortas: ſciturus quod non eſt intentionis Eccleſiæ in jura celſitudinis regalis obrepere, vel tecum agere captioſe; imo potius, tuis ad id concurrentibus meritis, velut chariſſimum filium, prout eam decet, apoſtolico favore protegere, ipſiusque ubertate quaſi maternis uberibus confovere. Dat. apud Montemflaſconem II. Kal. octobris anno II.

Hactenus *Martini IV.* Summi Pontificis litteræ; ad quas perinde atque ad lydium quemdam lapidem explorent vetuſta monumenta ſua, qui, neſcio quas de *Electionibus canonicis*, *Poſtulationibus*, ſummorum Pontificum immunitates, in tabulariis ſuis habere ſe exiſtimant: ſunt enim omnes per malitiam fraudulenter extortæ, atque idcirco ſuis tenebris plane dignæ.

CAPVT V.

A morte Ladislai IV. varia, cum Regni noſtri, tum Juris hujus Regii fortuna; Conſtitutiones legati Apoſtolici a Carolo Rege neque receptæ ſunt, neque unquam recipi potuerunt.

Anno ᴄɪↄᴄᴄxc. *Ladislao* Rege in pugna a Cumanis interempto, cum hæredem, qui in throno ſuccederet, non reliquiſſet, gra-

vis diſceptatio exorta eſt de Corona Regni Hungariæ. Quippe eodem anno, tertio & decimo die ab occaſu *Ladislai*, *Andreas Venetus*, vivente adhuc *Ladislao* in Hungariam delatus, a *Lodomerio*, Strigonienſi Archiepiſcopo, voluntate procerum ac populi, in Regem Hungariæ, ſolemni ritu inauguratus fuit. Corona Hungarica vix incinctus continuo regni æmulos habuit duos, *Carolum* videlicet *Martellum*, & *Albertum* Auſtriæ Ducem: quorum alter, adnitente *Carolo Siculo* patre, a legato ſummi Pontificis Neapoli in Regem Hungariæ coronatus jam erat; alter a *Rudolpho I.* Imperatore, itidem patre, eadem regni inſignia recepturum ſe ſperabat. *Andreæ* originem & jura in Regnum Hungariæ optime omnium *Ranzanus* deſcribit hunc in modum: *Andres II. Hungariæ Rex, reverſus a terra ſancta, duxit uxorem, filiam Marchionis Eſtenſis, Itali, ex qua genuit filium, cui Stephano nomen fuit. Is cum fuerat natus (mortuo namque viro, uxor jam facta gravida, quod Hungariæ Magnatibus patefecit, ad patriam regreſſa eſt,) & ibidem apud maternum avum ſibi adolevit, duxit uxorem cujusdam civis Veneti filiam, cujus magnæ tunc erant opes. Ex illa igitur Stephanus ſuſcepit filium Andream*, de quo nunc agimus. Hic enim, ut idem *Ranzanus* ſcribit: *Superſtite adhuc Ladislao, adjutus avi ſocerique opibus, perrexit in Hungariam, quem Hungari, quos non latebat quali genere eſſet ortus, electum appellatumque Regem coronarunt.* *Caroli Martelli* genus & in Hungariam jura fuerunt iſta: *Maria*, *Stephani V.* Hungariæ Regis filia, nupſerat *Carolo II.* Regi Siciliæ. Ex illa natus eſt hic *Carolus*, *Martellus* dictus. De *Rudolphi I. Imp.* in Hungariam juribus *Odericus Raynaldus* ad annum CIↃCCXCI. n. 47. ſcribit hunc in modum: *Ad comprimendas in Ungaria de ſceptri ſucceſſione ſeditiones, coërcendosque Germanos principes, Rudolphum nimirum Regem ejusque filium Albertum, Auſtriæ Ducem, qui Ungariam affectabant, legato provinciam demandavit* (Nicolaus IV. PP.) *ut Apoſtolicæ ſedis nomine iis denunciaret, Ungariam Eccleſiæ Romanæ fiduciariam eſſe. . . At Rudolphus jam ſpe Ungariam invaſerat, ac tanquam ex Cæſarum aula illud regnum penderet, Albertum filium illius Regem Imperii fiduciarium crearat; quem Nicolaus, ob violata in ea re Eccleſiæ Romanæ jura, perſtrinxit, cœptisque abſiſtere juſſit.* Litteras Pontificis ea de re ſcriptas vulgavit *Raynaldus* ad eundem annum. 48. Implicatum iſtum de jure in Hungariæ regno ſuccedendi

no-

nodum potior & ſanior pars Procerum facile admodum ſolvit. Quippe cum præ cæteris jura & conſuetudines patriæ ac gentis ſuæ exactius noſſent, & rebus gerendis potius, quam diſceptandis eſſent aptiores, miſſis odii plenis diſceptationibus, re ipſa oſtenderunt, Hungariæ regnum neque Pontifici ob piam *Divi Stephani* oblationem; neque Romano Imperatori ob privatam *Petri* & *Henrici* gratitudinem, ulla Feudorum lege obſtrictam eſſe; atque idcirco Jus eligendi coronandique Reges ſuos ad ſe, gentem liberam, regnumque pertinere: in cujus rei fidem *Andream Venetum* ſacra corona ab *Lodomerio*, Strigonienſi Archiepiſcopo, qui unus jam tum Reges Hungariæ coronandi jus habebat, incingi juſſerunt. Sufficiens hæc cauſa *Nicolao IV.* viſa eſt, cur odio proſequeretur *Lodomerium*. Etenim cum vehementer cuperet, ut *Carolus Martellus*, a legato ſuo corona, neſcio qua, coronatus, pro Rege Hungariæ haberetur, magno conatu, tum per litteras, tum Nuntios ſuos egit, ut *Andreas Venetus*, Rex Hungariæ legitimus, throno pelleretur. At vero obſtiterunt Pontificis conatibus acerrime Proceres Regni, in primis *Lodomerius* Strigonienſis Archiepiſcopus, qui in defenſionem ſui atque *Andreæ* Regis protuliſſe fertur celebres notasque Pontificum bullas, quibus poteſtas coronandi Reges Hungariæ Metropolitis Strigonienſibus eſt facta; addidiſſeque: ſe neque Neapoli fuiſſe, neque ulli hominum poteſtatem feciſſe inaugurandi *Martellum* in Regem Hungarorum. Anno cIɔccxcv. *Carolus Martellus* cum conjuge ſua *Clementia*, *Rudolphi Imperatoris* filia, moritur, atque *Andream* Regem tantiſper metu liberat. Anno cIɔccxcIx. e vivorum pariter numero ereptus eſt *Lodomerius*, Archiepiſcopus Strigonienſis, cui, præter voluntatem *Andreæ* Regis, a *Bonifacio VIII.* ſummo Pontifice, ſuffectus eſt *Gregorius*; neque ab *Andrea* dum viveret, neque a *Venceslao*, ejus ſucceſſore, pro Metropolita unquam habitus. Eodem Anno, *Dubravio* teſte, Hiſt. Bohem. Lib. XVIII. *idem Bonifacius Pontifex Hungaris etiam tum Carolum Robertum, Caroli Martelli ex Clementia filium, Regem obtrudebat . . . ſed pleriſque Procerum, & præ cæteris Archiepiſcopo Colocenſi* (Joanni), *vehementer hic ritus novus, ratum habendi quicquid Romanus Pontifex etiam in ipſo Rege declarando conſtitueret, diſplicebat.* Anno cIɔccc[illegible] *Carolus Robertus*, (Carobertus), teſte *Ranzano*, undecim natus annos, ſpa-

latum advehitur menſe Auguſto; ubi menſibus fere duobus moratus cum *Paulo* Bano, Zagrabiam concedit, & *Hugrini* curæ & protectioni committitur. Anno cIↃcccI. Idem *Carolus Robertus* a *Gregorio* Strigonienſi, contra Regis Jura electo, juſſu Pontificis in Regem Hungariæ ungitur: ſacra tamen corona redimitus non fuit, neque Albæ loco legitimo inunctus. Eodem anno e famulis Regiis unus, natione Italus, præmiis contrariæ partis corruptus, illitum veneno cultrum *Andreæ* Regi utendum dedit; unde quarto decimo die menſis Januarii Rex extinctus eſt. Hungari, qui *Andreæ* fidem ſequebantur, *Carolum* recipere nolunt, Regemque ab Hungaris eligi, neque ab aliis electum recipi debere, contendunt: quam ob rem *Venceslao*, Bohemiæ Regi, proximo potentique principi, gradu uno cognationis Carolo propinguiori, regnum defferunt; quod *Venceslaus* acceptare noluit: filium tamen ſuum, cui itidem *Venceslao* nomen, Hungaris tradidit. *Gregorius*, Strigonienſis Archiepiſcopus, a Pontifice electus, anno cIↃcccIII. occiditur a filiis *Nicolai de Columna* in Italia. *Bonifacius VIII.* (1) Anagniæ, II. Kal. Junii *Carolo Roberto* Regnum Hungariæ attribuit, quem Dalmatæ continuo Regem ſalutant; in tabulis tamen publicis nomen ejus ſcribere differunt, dum ſcilicet more Majorum ſacra corona Albæ redimiretur, nunc anathematis metu perculſi Regem agnoſcunt. Quam ob rem Hungariæ etiam præſules *Carolo* favere incipiunt: qua re cognita *Venceslaus*, filium ſuum e manibus Hungarorum cum corona eripit. Pro *Carolo Roberto Nicolaus* Ordinis Prædicatorum Cardinalis, Italus Tarviſinus, apud ſeculares Hungariæ ordines fruſtra fuit. Conſtitutiones Eccleſiaſticas plures Cardinalis hic in Hungaria ſparſit, nihil tamen eum profeciſſe, Hungarici ſcriptores cum *Raynaldo* conſentiunt. *Auguſtinus* Tragurienſis, Ordinis Prædicatorum, a *Benedicto* Pontifice eligitur Epiſcopus Zagrabienſis, contradicentibus Hungaris. A. cIↃcccIV. *Otto*, Dux Bavariæ, a quibusdam proceribus in Regem Hungariæ eligitur. Anno cIↃcccV. Mortuo *Venceslao* ſeniore, Bohemiæ Rege, Hungarorum non nulli Regnum ſuum ejus filio, jam coronato iterum obtrudunt, qui coronam *Ottoni* electo gratuito mittit. Eodem anno *Otto* in Regem inungitur a Veſprimienſi & Tſanadienſi Epiſcopis,

(1) *Errat Timon dum* Benedictum XI. *ſcribit.*

Digitized by Google

pis, reliquis *Carolo* faventibus. Anno ciↄcccvii. Perditur Corona Hungariæ ab *Ottone* in itinere Tranſilvanienſi reperta in via publica non ſine prodigio. *Ladislaus* Vajvoda Tranſilvaniæ *Ottonem* Regem in arce quadam captivum concludit, qui anno proxime ſequenti ciↄcccviii. Coronæ Hungaricæ renuntiare cogitur, ex Tranſilvania in Poloniam traductus. Fr. *Gentilis*, Cardinalis, legatus Apoſtolicus, Ordinis Minorum, pro *Carolo* coronando multum laborat. In Comitiis Regni, Hungarorum pars in *Carolum Robertum* hac lege inclinant, ut Hungari Optimates eligant, legatus confirmet. Abſunt a Comitiis potentiſſimi principes, in quibus erat *Ladislaus* Vajvoda Tranſilvanus cum ſacra regni corona. Anno ciↄcccix. Cardinalis *Gentilis*, Rege *Carolo* nondum coronato, in maximis regni diſſidiis, partim veteres Budenſis ſynodi canones recoquit, partim novos, Juri Regio non minus contrarios, condit & perferre tentat. Scilicet ad ſummam calamitatum afflictæ Hungariæ id unum deerat. Sed nempe Rege admodum juvene, nondum coronato, ab legato Apoſtolico unice pendente, regno denique in partes diviſo, tentandum erat aliquid. Fidem his faciunt omnia ea, quæ ab morte *Ladislai IV.* ad hæc uſque tempora cum ex aliis, tum in primis ex Chronotacte domeſtico *Timone* decerpta compendio retuli, eo unice fini, ut clare docerem naturam& ingenium temporis, quo *Gentilis* Conſtitutiones ſuas procudit, & Poſonii, quæ doctiorum ſententia eſt, in uſum Hungaricæ Eccleſiæ, petentibus Epiſcopis, conceſſit. Eas ex ms. vulgavit *Cl. Péterſius Concil. Hung. P. I. p.* 141. ubi recte obſervat: *Redeunt in his non pauca, quæ Budæ Philippus jam ſanxerat; ſed in illa gentis perturbatione, memoria & neglectu conciderunt: ut proinde, ſedata profana republica, pax etiam Eccleſiæ, ſuſcitatis bonis legibus, reddi debuerit. Gentilis* Conſtitutiones dividuntur in capita, quorum epigraphas, quo de iis judicium ferre facilius poſſis, adſcribere non piguit: *I. De non offendendis prælatis. II. Ut nulla Eccleſiaſtica perſona præbeat auxilium, conſilium, vel favorem alicui LAICO, contra Eccleſias, Eccleſiaſticasque perſonas. III. Ne quis recipiat Eccleſiaſticum beneficium de manu LAICI. IV. De non occupandis, & occupatis reſtituendis, bonis Eccleſiaſticis. . . IX. De obſervantia mandatorum Apoſtolicæ ſedis & legatorum ipſius.* Videlicet eorum, quæ in præjudicium jurium Regni & Coronæ Hungaricæ non vergunt, cum teſte *Martino IV.* ſummo Ponti-

tifice, ad *Ladislaum IV.* ut vidimus, ſcribente, *Non ſit intentionis Eccleſiæ in jura celſitudinis Regum noſtrorum obrepere, vel eum dio agere captioſe*; quod *Gentilis* legatus ſcire utique potuit. At quid de illis ſtatuendum conſtitutionibus, quas pro *Rege*, *Clero*, *ac ſeculari ordine* idem *Gentilis* in publicum ſparſit, juris publici factas a *Péterſio Concil. Hung. P. I. pag.* 150. ? nimirum eas, cum juribus Regis & Regni ſint contrariæ, a Rege & regno nunquam fuiſſe receptas, ut ex ſequentibus clariſſime patebit. Anno CIↃCCCX. Vajvoda Tranſilvanus cum corona Regni ad partes *Caroli* attrahitur. *Carolus* Rex Hungariæ electus eodem hoc anno a *Thoma*, Strigonienſi Metropolita, ritu & more legitimo eſt coronatus. Quærat hic ex me aliquis, & merito quærat, ſi *Carolus* Rex ante vel poſt coronationem ſuam *Gentili* legato Pontificio pro ſe ſucceſſoribusque ſuis juratus promiſiſſet, memoratas ſupra legati Apoſtolici Conſtitutiones robur perpetuum in Hungaria eſſe habituras, utrum eo juramento ſe & poſteros ſuos obſtringere potuerit? Non, inquam, potuit; quippe hoc genus Regum noſtrorum juramenta irrita ſemper ſunt & nulla. *Tit. de jurejurando Cap. XXXIII.* ut ſupra fuſe docui. Erudite enim ac vere ad ejusdem Decretalis verba: *teneatur Regni jura ſervare*; Cironius adnotat: *Imo*, inquit, *& in Decretis ejusdem Regis* (Andreæ II.) *datis anno* 1222. *forſan occaſione hujus negotii, datur facultas regnicolis reſiſtendi Regiæ Majeſtati, ſi contra ire voluerit diſpoſitioni ſuæ factæ ad jura regni ſervanda & contradicendi.* Quæ *Andreæ II.* lex, tametſi anno CIↃIↃCCXV. antiquata penitus & ſaluberrime ſublata ſit; jurare tamen Reges noſtri ordinibus Regni ſui tenentur: *Fines Regni noſtri Ungariæ, & quæ ad illud quocunque jure aut titulo pertinent, non abalienabimus, nec minuemus, ſed quoad poterimus, augebimus, & extendemus.* Item: *Quod nos Eccleſias Dei, Dominos Prælatos, Barones . . . & omnes Regnicolas in ſuis immunitatibus & libertatibus, juribus, privilegiis, ac in antiquis bonis & approbatis conſuetudinibus, prout ſuper eorum intellectu & uſu, Regio & communi ſtatuum conſenſu Diætaliter conventum fuerit, conſervabimus* (1). Unde, ut arbitror, abunde liquet, neque limitationem

(1) *Vide Juram Mariæ Thereſiæ Aug. & Reginæ noſtræ. Decret. anni 1741. art. 2. & 8. Item. anni 1715. art. 2. & 3. §. 2.*

Digitized by Google

nem Juris hujus Regii a *Geyſa* Rege factam, & a *Bela III.* ejus filio, *Emerico* nepote, confirmatam, robur aliquod apud nos fuiſſe habituram, niſi adeſſet hæc concluſio: *Hæc autem omnia de conſilio glorioſæ Reginæ matris noſtræ, & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum omnium electorum, Præpoſitorum regalium atque Abbatum, Comitum omnium, Procerum, & aliorum Principum ſtabilita & firmiter roborata noſcantur.* Atque his Regni noſtri juribus & conſuetudinibus rite perſpectis, ut, cum de *Gentili* legato Apoſtolico, tum de Rege *Carolo* mitiſſime ſentiam, exiſtimo, *Gentili* primum Jura Canonica melius fuiſſe perſpecta, quam ut is Conſtitutiones ſuas, quas Rex ne juratus quidem obſervare poterat, perferri in Hungaria voluerit: Regem deinde *Carolum*, arbitror, officii ſui potius fuiſſe memorem, quam accepti a Pontifice beneficii, quo in damnum & præjudicium Regni & gentis liberæ legitime uti non potuit.

CAPVT VI.

Quid de litteris Capitulorum, per hæc tempora ad ſummum Pontificem ſcriptis, quæ ſpeciem Poſtulationis Canonicæ ad normam Eccleſiarum Germaniæ præſeferunt, ſentiendum?

Attamen poterat *Carolus*, tametſi haudquaquam bono exemplo, jure ſuo eligendi Prælatos clero Hungariæ ad tempus conceſſo, quieti ſuæ conſulere: quod ſi reipſa ab eodem factum eſt, graviſſime toties in Jura Regia legeſque Regni clerus peccavit, quoties *Nomine ſuo* Confirmationem, aut Proviſionem a ſummo Pontifice petiit, vel eandem petentibus Capitulis impertitus eſt. Certum hoc atque indubitatum eſſe, ex iis, quæ ſupra dixi, liquet; atque idcirco de omnibus iis bullis, confirmationibus, litteris, quæ per hæc tempora ſcriptæ, ſpeciem quampiam *Poſtulationis Canonicæ* ad mentem recentiorum Canonum præſeferunt, & in tabulariis Capitulorum ſuperſtitioſe nonnunquam cuſtodiuntur, hunc in modum plane ſentiendum: vel cum conſenſu Regis editæ ſunt, vel non ſunt editæ; ſi etiam, legitimæ

qui-

Digitized by Google

quidem ſunt, ſed inſigni jurium patriæ ignorantia ſcriptæ: ſin minus, llegitimæ; & ſuis tenebris plane dignæ. Servat Bibliotheca noſtra hoc genus litteras complures, quas in alios Hiſtoriæ noſtræ uſus cuſtodio, & ſpeciminis gratia eas ſolum hic adnecto, quæ a *Péterſio editæ Concil. Hung. P. I. p.* 73. leguntur hoc exemplo:

Litteræ Theophili, Capituli Strigonienſis Præpoſiti, ad Capitulum Agrienſe datæ, quibus approbatur Electio Epiſcopi Agrienſis, a Capitulo facta Anno 1323.

Theophilus Sanctæ Strigonienſis Eccleſiæ Præpoſitus, dilectis ſibi in Chriſto Fratribus, ſociis, & amicis chariſſimis, Domino Petro Præpoſito, & Venerabili Capitulo Eccleſiæ Agrienſis, Nobilibus, Jobbagionibus, Civitatibus, populis, & cujuſcunque conditionis, aut ſtatus hominibus, ad eandem Eccleſiam pertinentibus. Salutem in Domino ſempiternam.

Vacante eadem Eccleſia Agrienſi, Domino Martino quondam Epiſcopo veſtro, Divina vocatione viam univerſæ carnis ingreſſo, vos Præpoſitus & Capitulum die & termino ad celebrandam futuri veſtri Pontificis electionem *ad hoc aſſignatis, habito inter vos tractatu, & deliberatione matura, ac nominationibus diverſarum perſonarum inter vos præmiſſis, tandem invocata gratia ſpiritus ſancti, in Venerabilem, & diſcretum virum Dominum Chanadinum, tunc Præpoſitum Varadienſem, Secretarium, Notarium, & Comitem Capellæ Domini noſtri Caroli, Dei gratia Illuſtris Regis Hungariæ, Doctorem decretorum* unanimiter, & concorditer dirrexiſtis vota veſtra, & ipſum vobis in Epiſcopum, & Paſtorem nemine diſcrepante, canonice, rite, & legitime elegiſtis, & poſtmodum hujusmodi electione veſtra ſic ſolenniter celebrata, *ad præſentiam Venerabilis Patris noſtri Bogeslai Ducis Toſtenſis, Dei, & Apoſtolica gratia ejuſdem ſanctæ Strigonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, ipſiuſque loci Comitis perpetui, Metropolitani veſtri, Domini noſtri, cum decreto electionis reverenter, prout moris eſt, acceſſiſtis*, & confirmationem electi viri memorati inſtanter petebatis. *Verum, quia idem Dominus noſter Archiepiſcopus, quodam impedimento legitimo, eo tempore fuerat præpeditus, & perſonaliter ad*

con-

confirmationem prædictam intendere, prout volebat, non potuit, nobis examinandi proceſſum, formam electionis, perſonam electi, & ipſum decretum electionis, & confirmandi perſonam electi, poſt habitam diligentem examinationem, ac munus conſecrationis, per quemcunque Epiſcopum Catholicum eidem impendendi plenam, & liberam, ac ordinariam, autboritate Metropolitana tradidit poteſtatem, ratum, gratum, & firmum babiturus, quid per nos in perſona dicti Domini noſtri electi ageretur.

Nos igitur, omnibus præmiſſis diligenter inſpectis, & examinatis juxta ſtatuta Sanctorum Patrum, noviſſima & antiqua, *Edictum, ſive Bullam in eadem Eccleſia Agrienſi, per Religioſum virum Fratrem Jacobum, Præpoſitum S. Stephani de Promontorio Varadienſi fieri fecimus; ut quæcunque contra formam electionis, aut perſonam electi vellent, aut poſſent quicunque objicere, vel opponere, Sabbatbo proximo poſt octavas Epipbaniarum Domini, nunc præteritas, coram nobis in loco, ad boc eis aſſignato, perſonaliter, vel per Procuratorem legitimum, ſufficienter inſtructum comparerent. Ipſo itaque termino adveniente, nullus de citatis per nos legitime expectatis, apparuit contradictor. Quibus præmiſſis, & taliter legitime terminatis, ipſoque Domino electo, & quibuſdam diſcretis viris, de ipſo Capitulo ad boc deputatis, confirmationem ſuam inſtanter petentibus, ne ipſa Eccleſia diutius in temporalibus, & ſpiritualibus detrimentum patiatur, nos autboritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ad bonorem & gloriam eorum, & Beati Joannis Evangeliſtæ, Patroni ejuſdem Eccleſiæ, & autboritate Metropolica nobis commiſſa, & vice, nec non poteſtate Capituli Eccleſiæ Strigonienſis,* ſub ſpe ratificationis, & ratihabitionis ſanctiſſimi Patris, Domini Joannis Divina providentia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summi Pontificis, *die veneris poſt diem memoratum, in Eccleſia S. Georgii Martyris in Themeſvar, coram Venerabilibus Patribus, Dominis Epiſcopis, qui tunc præſentes aderant, & aliis diſcretis viris Clericis, ſæcularibus, & Religioſis, ac copioſa multitudine fidelium, invocata gratia Spiritus Sancti,* ipſum Dominum Chanadinum electum, duximus canonice confirmandum, & ipſum præfecimus in ejusdem Eccleſiæ Agrienſis Epiſcopum, & Paſtorem: *cui tandem per ſacras manus Venerabilis Patris Domini Benedicti Dei gratia Chanadienſis Epiſcopi aſſiſtentibus ſibi Venerabilibus Patribus Domino Nicolao Jaurinenſi, Ivanka Varadienſi, Dei gratia Eccleſiarum Epiſcopis, præſente & Venerabili*

rabili Patre Domino Ladislao, eadem Dei & Apoſtolica gratia Colocenſi Archiepiſcopo, & ad hoc conſentiente & licentiam tribuente, cum in ipſius eſſet provincia, die Dominica ſequenti in Eccleſia S. Ladislai Fratrum Prædicatorum in Themeſvar, munus, & beneficium conſecrationis fecimus impendi Domino largiente. Quapropter, devotioni univerſitatis veſtræ, eadem auctoritate freti, in virtute S. Obedientiæ, & ſub excommunicationis, ac interdicti pœnis, mandamus firmiter injungentes; quatenus eundem Dominum Chanadinum Dei gratia Epiſcopum Agrienſem, tanquam Dominum Epiſcopum, & Prælatum veſtrum, cum reverentia debita, & obedientia fideli recipere debeatis, eidem omnia ſervitia debita, & conſueta, certis, & debitis temporibus impendatis; adeoque puniendi bujuſmodi rebelles, & contumaces, idem Dominus Epiſcopus plenam, & liberam habet, & habere dignoſcitur poteſtatem. In cujus rei memoriam & teſtimonium, ac perpetuam firmitatem, Prævenerabili Patri Domino Chanadino, Dei gratia Epiſcopo veſtro præſentes conſcripſimus litteras appenſione ſigillorum ejuſdem Venerabilis Patris Archiepiſcopi Strigonienſis, & Domini noſtri, & noſtro roboratas, ac munitas. Datum, & actum in Themeſvar Dominica die ſupradicta. Anno Domini milleſimo, treceenteſimo, vigeſimo tertio.

Hactenus Capituli Srrigonienſis litteræ, indulgentia *Caroli* Regis, ut videtur, ſcriptæ; quam tamen in re adeo gravi ſive indulgentiam, ſive negligentiam haudquaquam paſſus eſt *Ludovicus I. Caroli* filius, ut mox videbimus. At neque *Carolus* ipſe Jus ſuum Regium ſemper negligebat. Patuit hoc vel maxime cum è vivis ſublato *Ladislao*, Archiepiſcopo Colocenſi, prædia & caſtra quæpiam, ad eum quidem Archiepiſcopatum pertinentia, ſed non admodum neceſſaria, occupari, & in munitiones Regias contra vicinum Raſciæ Regulum Schismaticum anno cıɔccccxxxıx. converti juſſit. Quippe *Raynaldus* ad eundem annum n. 83. ſcribit hunc in modum: *Delatæ*, inquit, *fuerant de Rege Ungaro apud Pontificem graves querelæ, occupata fuiſſe, vacuo Colocenſis & Bacſienſis conjunctarum Eccleſiarum Archiepiſcopali ſolio, prædia & caſtra, quæ juris erant Eccleſiaſtici, a regiis adminiſtris, diſſimulante eodem Rege; ac tum ipſum monuerat Benedictus* (Pontifex), *ut a ſacris opibus temperaret manus, atque anteceſſorum ſuorum, qui Eccleſias locupletarunt, exempla ſequeretur. Qui cum Pontifici reſcripſiſſet, id ad tuendum limitem Regni Ungariæ, ne Raſciæ Rex Schiſmaticus iiſdem oppidis*

in-

invadendis inhiaret, geſtum; partes datæ ſunt a Benedicto Strigonienſi Archiepiſcopo, ut ejuſdem rationes in publica documenta redactas ad ſedem Apoſtolicam tranſmitteret. Hæc *Raynaldus.* Strigonienſis Archiepiſcopus tum erat *Cſanadinus de Telegd;* qui impoſito ſibi a Pontifice munere, ſi, uti decebat, perfunctus eſt; profecto agnovit Summus Pontifex *Benedictus XII.* Regem *Carolum* non vi, neque ulla Eccleſiaſticæ libertatis injuria, ſed deceſſorum ſuorum, Hungariæ Regum, jura atque exempla ſecutum, vacantia a morte Archiepiſcopi Regalia occupaſſe; non in opes ſacras, ſed in feudum, Regi apertum, manus protendiſſe; caſtra vero & oppida, hoſtibus expoſita, & eam ob rem Archiepiſcopo parum utilia, pro ſecuritate Eccleſiarum Dei & Regni ſui, jure optimo in munitiones convertere potuiſſe. Quam hæc, ſi ſapimus, diverſa ſunt ab illis *Raynaldi*: *Delatæ fuerant de Rege Ungaro apud Pontificem graves querelæ &c.* Scilicet a monachis indoctis, rerum & jurium Coronæ imperitis, & *quid ſerus vehat veſper parum ſollicitis.* Enimvero melius de Hiſtoria noſtra, deque ipſa rei veritate meritus fuerit *Raynaldus*, ſi, vel epiſtolam Regis *Caroli*, ad Pontificem ſcriptam, vel Archiepiſcopi Strigonienſis *rationes*, *in publica documenta redactas* (in manibus enim habuiſſe videtur) annalibus ſuis inſeruiſſet; ſic enim de *Caroli* rationibus, de peritia Jurium Regiorum Archiepiſcopi, & erga Regem & patriam fide, certius judicium ferre poteramus. Nam ſi *Cſanadinus*, quod de illo viro vel ſuſpicari religioni mihi duco, in alterutro, vel utroque, ſibi ac muneri ſuo defuit, privata hujusmodi ſive ignorantia, ſive fides mala, Regis & regni Juribus fraudi eſſe non poteſt. Aliam ſub *Carolo* Rege controverſiam *Raynaldus* ad annum 1318 dicit fuiſſe de Jaurinenſi caſtro, Epiſcopo ejus loci ab Rege adempto. Sicce hanc quoque idem autor pertractat, & pro more ſuo rationes regis religioſe reticet. At, niſi me omnia fallunt, eædem illæ fuerunt, quas modo retuli. Ex ſerie enim Jaurinenſium Epiſcoporum, a Cl. ac Rev. Viro *Laurentio Karolyi* conſcripta, & anno 1747 typis edita Jaurini in fol. diſcere licet, *Colomannum*, ſecundum & vigeſimum Jaurinenſem Epiſcopum, eodem illo 1318 anno, Nicolao vita functo, ab rege fuiſſe ſuffectum. Igitur vel hoc, vel proxime ſuperiori anno bona regalia vacabant, quæ rex, tametſi privatim minime vellet, publice tamen occupare debuit, ad-

admonentibus videlicet proceribus adminiſtris, quorum non minus ac Regis vetuſtam iſtam, & ſingularem ſacræ Coronæ libertatem tueri, & conſervare intererat.

CAPVT VII.

Ludovicus, Caroli Regis filius, Patri e vivis erepto ſuccedit; Jure ſuo Regio more Majorum utitur, illudque ſtrenue tuetur.

Anno ɔɔcccxlii. *Carolo* regi vita functo in throno regni Hungariæ ſucceſſit *Ludovicus*, ejus filius, rebus bello & pace feliciſſime geſtis *Magni* nomen apud nos promeritus. Tria ex plurimis, ne longior ſim, ſolummodo deligam, ex quibus clare elluceat, *Ludovicum* regem juri huic regio tuendo, haudquaquam defuiſſe. Anno cɪɔcccxlvii. Eccleſiam Scepuſienſem in Epiſcopatum erectam eſſe volebat. *Clemens VI.* Summus Pontifex, antequam adſenſum præſtaret de diſſecanda Strigonienſi Diœceſi, *Nicolaum* Quinqueeccleſienſem duoſque Abbates miſſo Brevi Apoſtolico arbitros habere voluit. En illud ipſum (1):

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Epiſcopo Quinqueeccleſienſi, & dilectis filiis Sancti Benedicti juxta Gruon, tum Sancti Andreæ de Wiſſegrad Strigonienſis & Veſprimienſis Diœceſis monaſteriorum Abbatibus, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Petitio chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Ludovici Regis, & Eliſabeth Reginæ Hungariæ Illuſtrium, nobis nuper exhibita, continebat: Quod, licet quædam partes Regni Hungariæ, quæ Scepuſienſis Provincia communiter in prædictis Hungariæ, ac Poloniæ Regnorum confinibus conſtitutæ, ab olim fuerint ſylvoſæ ac populis deſtitutæ: tamen poſteaquam in Regno Hungariæ prædicta pax viguit, & maxime Domini Ludovici & claræ memoriæ Caroli Regum Hungariæ Patris, & Mariti, Ludovici Regis & Reginæ, prædictorum temporibus, refertæ populis & habitatorum ſunt multitudine decoratæ: Quodque, licet in eiſdem partibus ſæcu-

1) *Ex Péterf. Conc. Hung. P. I p. 194.*

ſæcularis, & collegiata ſcepuſienſis Eccleſia Sancti Martini, per eorundem progenitores fundata conſiſtat ac per ipſius Eccleſiæ Præpoſitum, qui eſt pro tempore, in inſtituendis & deſtituendis Plebanis & Rectoribus Eccleſiarum ac viſitandis & corrigendis Eccleſiaſticis & laicis, partium earundem, animarum cura geratur ex conſuetudine approbata; tamen dictarum partium populi, propter magnam diſtantiam ab eorum Eccleſia Cathedrali, tam in conſecrandis & reconciliandis Eccleſiis, ac cymeteriis, & confirmationibus puerorum, & audiendis confeſſionibus, in caſibus Epiſcopo reſervatis, quam in aliis ad officium Epiſcopale, & ordinem pertinentibus, magna diſpendia patiuntur. Quare Ludovicus Rex, & Regina præfati cupientes hujuſmodi obviare diſpendiis, ac in eodem Regno Hungariæ Sarmaticis & infidelibus, ac Tartaris circumſepti, ut aſſerunt, fidem Catholicam per multiplicitatem Eccleſiaſticorum Prælatorum, & Præſulum adaugeri, ac dilecti Filii Capitulum ipſius Eccleſiæ, nobis humiliter ſupplicarunt, ut eandem Eccleſiam in Cathedralem erigere, & Villam Scepuſienſem, Civitatis inſignire titulo, ac partes Scepuſienſes prædictas, & certam terram, Liptovienſem provinciam nuncupatam, Strigonienſis Diœceſis, ac unam Diœceſim ex iiſdem partibus, & terram intuitu Eccleſiæ memoratæ, ipſi Eccleſiæ pro Diœceſi aſſignare: ac decimas, nec non alios fructus & reditus, proventus, ac obventiones & jura Præpoſituræ, ex qua ipſe congrue ſuſtentari, & alia eis incumbentia onera valeat ſupportare, Epiſcopali menſæ deputare, ipſius Eccleſiæ dignaremur. Nos igitur commendantes in Domino, tam laudabile favorabileque dictorum Regis & Reginæ in hac parte propoſitum, ac de præmiſſis notitiam non habentes, diſtrictim per Apoſtolica ſcripta mandamus, quod vos, vel duo veſtrum, vocatis Venerabili Fratre noſtro Archiepiſcopo Strigonienſi, ac Domino Præpoſito ac aliis, qui fuerint evocandi, de præmiſſis & univerſis valvati ejuſdem fidei, quod Eccleſia in cathedralem erigatur, ac Villæ prædictæ, Civitatis titulo decorentur, & quota præviarum partium & terræ prædictarum ſufficiat Eccleſiæ memoratæ pro Diœceſi, juxta ſtatum, & conditionem Eccleſiarum Regni Hungariæ; nec non de portione congrua decimarum, fructuum, redituum, perventuum, jurium, & obvenientium prædictorum eidem Præpoſito aſſignanda, ſicut prædicitur; ac de facultatibus, quas Epiſcopus, ſi ibi præficiatur, habere poterit & aliis circumſtantiis in præmiſſis omnibus accedendis, diligenter, & fideliter nos informare, & quidquid per informationem hujus vos reperire contigerit, nobis per patentes litteras

teras veſtras ſeu publicum inſtrumentum tenore præſentium continentes, ſeu continens fideliter intimare curetis. Datum Ameraci XVI. Kal. Maji, Pontificatus noſtri Anno ſexto, ſeu CIƆCCCXLVII.

En rurſum Σκήψεις atque ἀναβολὰς (1)! quin etiam re ex præſcripto Pontificis peracta, *hærebat nihilominus*, ut probe adnotat Péterſius, *expectatio in flore, nec fructum adivit: utpote cum Chanadinus Archiepiſcopus metu turbarum*, inquit ille, *quas nova partitione erupturas præviderat, nihil, aut invalidam certe, infirmamque ſententiam ad cauſæ promotionem Clementi PP. ſuggeſſerit. Neque irritandum cenſebat Ludovicus Papam, novis precibus; mota alioquin in Italia tempeſtate ob Andream fratrem infami paricidio ſublatum.* Siluit controverſia ad annum uſque CIƆCCCCXXXV. quo *Sigiſmundus* Imp. & Rex, pro authoritate Juris hujus regii præpoſitum Scepuſienſem ſingularibus privilegiis ornavit, ut mox videbimus.

Anno CIƆCCCLV. notante Timone, *Ponitur caſtrum Budenſe extra territorium Veteris Budæ. Ceſſat & Penſio, quam a loco Caſtellanus. Præpoſito Budenſi nomine Regis dabat. Major pars veteris Budæ Capitulo a rege aufertur, attributis aliis poſſeſſionibus. Novum templum Rex erigit Capitulo veteris Budæ, & Virginibus S. Claræ inſtitutum profeſſis templum, ac monaſterium magnificum cum matre Eliſabetha ſtatuit.* Omnia iſta pro jure ſuo regio *Ludovicum* Regem egiſſe, quis dubitet? *Quid vero ſibi penſio illa vult*, inquit eruditiſſimus *Belius Tom. III. pag.* 198. *ſeu cenſus, quem Caſtellanus ſive Præfectus Budenſis præpoſito veteris Budæ, regis nomine, pendebat? Docuimus ſupra montem hunc Peſtienſem fuiſſe olim Præpoſiti. Ergo, quando locum caſtello, quin ponendæ etiam urbi idoneum, in rem ſuam verterunt Bela IV. ſequutique reges; ne Geyſæ M. a cujus liberalitate ea poſſeſſio manavit, inſtitutum quoquomodo contemnerent, annuum ei cenſum, tamquam qui herus eſſet loci, pacti ſunt. Quem nunc, ne ſederet opprobrio regibus, abrogandum, penſandumque alio beneficio, Ludovicus ſtatuit.*

Anno CIƆCCCLXXV. *Uladislaum*, *Caſimiri* filium, olim Ducem Cujavienſem e Regio Polon. genere, nunc Monachum, cognatum Ludovici, idem Rex Abbatia *S. Martini* Montis Pannoniæ donarat, contradicente Gregorio XI. Romano Pontifice. Rem geſtam, more ſuo

1) *Prætextus, dilationes.*

Digitized by Google

ſuo, *Raynaldus* narrat hunc in modum: *In Ungaria Ludovicus Rex libertati eccleſiaſticæ infeſtus in eo erat, ut ad ſui gratiam ac voluntatem omnes eccleſiaſticas dignitates conferri a ſede Apoſtolica contenderet: cujus votis cum non aſſentiretur Pontifex, priſtini in eccleſiam amoris ob nonnullorum ſuſurros in eo refrixit; qua de re Gregorius, X. Kal. Auguſti apud Eliſabetham Reginam queſtus eſt:* Tua, *inquit*, diſcreta devotio dignetur attendere, ſi eſt decens & expediens univerſali Eccleſiæ, quod omnia, prælaturæ, dignitates, & beneficia, in quibus dicta ſedes meram & plenam a Deo poteſtatem obtinet, ad beneplacita principum & aliorum dominantium concedantur. Hæc enim non catholici reges, ſed tyranni faciunt, quorum exemplum deteſtabile & damnabile ipſi regi per aliquos deteſtabiles reges, ut audivimus, allegatur. Advertas etiam, ſi ſuper his omnia dicti regis beneplacita curaremus adimplere, quale inde exemplum daretur: oportet nos & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices aut facere ſimile (quod abſit), quia non expediret fidei Chriſtianæ: aut ipſorum regum contra Apoſtolicam ſedem turbatio oriretur &c. *Addit preces, ut Ludovicum Regem ab ea ſententia dimoveat, atque ad priſtinum eccleſiæ amorem revocet: illius enim potentiam hoſtibus eccleſiæ magno terrrori futuram. Dat. Avin. VI. Id. decemb. anno V.* Hæc *Raynaldus*; at vero cur hic etiam, bonus vir, rationes & jura *Ludovici* regis ſtudioſe reticuit? cur horum loco vaniſſimam querelam, non levibus in regem optimum injuriis refertam conſcripſit? docuiſſet monumentorum teſtimoniis doctus ac diligens ſcriptor, *Ludovicum* regem *Eccleſiaſticæ libertati* vere *fuiſſe infeſtum*; quod quia prudens omiſit, &, ſi tentaſſet, evictum dare nunquam potuit, manifeſtum eſt, eum fidem proborum ac doctorum hominum haudquaquam mereri. Nam quacunque demum ratione *Eccleſiaſticam libertatem* intelligas, ſemper tamen, ut toto hoc opere oſtendi, veriſſimum certiſſimumque erit, reges noſtros in regno ſuo Prælatos inſtituendi, transferendi, libertatem poteſtatemque per vim & injuriam haudquaquam invaſiſſe: verum jam inde a primis Religionis Chriſtianæ in regno noſtro exordiis CONCESSIONE APOSTOLICA obtinuiſſe, & pro religione juramenti ſui, tempore Coronationis Proceribus & populo præſtiti, uſurpare, & quam diligentiſſime conſervare, debuiſſe. At nempe multum ſemper in-

ter-

tereſt, in quos homines & quæ tempora incideris. Anno ciↄccxliv. *Innocentius IV.* ſummus Pontifex, ut jam ſupra retuli, prius quam de eligendi Prælatos Regum noſtrorum Jure definiret, a *Benedicto*, Colocenſi Archiepiſcopo, certior fieri edocerique ſuſtinuit: *utrum de antiqua & approbata Regni noſtri conſuetudine, pacifice hactenus obſervata, in electionibus Pontificum noſtrorum aſſenſus regius deberet poſtulari.* Addens præterea: *Se diminutionem Jurium & libertatum ipſius Regis in ejus non modicum præjudicium & gravamen ſuſtinere minime velle, nec debere.* In eandem prorſus ſententiam Anno ciↄcclxxxiii. ad *Ladislaum IV. Martinus IV.* ſummus Pontifex pariter ſcripſit: *Sciturus*, inquit, *quod non eſt intentionis Eccleſiæ in jura celſitudinis regalis obrepere, vel tecum agere captioſe &c.* Sciebant nempe ſapientiſſimi Pontifices, Jus hoc regium gravioris in Hungaria momenti eſſe, quam ut ſcripta una ad regem quempiam, vel ejus *Matrem* epiſtola, pro libitu mutari antiquarique poſſit. *Cum Reges noſtri*, auctoritate *Honorii*, *Decret. De jurejurando Cap. XXXIII. Cum*, inquam, *Reges noſtri ob juramentum, quod in Coronatione ſua jurare debent, jura regni ſui & honorem Coronæ alligata*, vel ut Cironius edidit, *illibata ſervare teneantur.* Nota hæc fuerunt *Ludovico* Regi; quam etiam ob rem non modo ſententiam ſuam de electo *Uladislao* non mutavit, ſed leges etiam de Jure hoc Regio graviſſimas pertulit, ut omnibus Juris noſtri atque Hiſtoriæ peritis notum.

CAPVT VIII.

Mariæ, Ludovici filiæ, & Sigismundi Imp. & Regis noſtri, ejus Sponſi, Juris Regii conſervandi ſtudium.

Ludovico Regi ſucceſſit *Maria*, ejus filia. Anno ciↄcccclxxxiv. Confirmat Decreta regum, inter quæ tum ab aliis tum præcipue a *Ludovico*, ut dixi, ejus patre de Jure hoc regio perlata leguntur quam plurima. *Carolus* Rex, parvus dictus, eodem anno a factioſis in regem coronatus, & anno proxime ſequenti cæſus, ad Jus hoc noſtrum non pertinet. Anno ciↄcccclxxxvii. In Regem Hungariæ inunctus eſt *Sigiſmundus*, cui Jus hoc noſtrum præter ſingularem ſolici-

licitudinem, novum etiam, ut videbimus, robur atque auctoritatem debet. Anno cIↄcccci. notante *Timone*, conjurati *Sigiſmundum* Regem capiunt, & *Nicolai Garæ* filiis cuſtodiendum in arce Szokloſienſi tradunt. Anno proxime ſequenti, adnitente matre *Gararum*, ex cuſtodia Rex in Bohemiam elabitur, & paulo poſt cum copiis Bohemorum & fidelium Ungarorum Ungariam ingreditur. Arcem Strigonienſem, Verebélium, & alia Juris Archiepiſcopalis loca, in Fiſcum redigit, ipſumque Strigonienſem Archiepiſcopum *Joannem de Caniſa*, qui *Ladislao*, cæſi Caroli filio, Siciliæ regi, in regem Hungariæ, contra *Sigiſmundum*, voluntate Pontificis, electo favere dicebatur, bonis omnibus mulctat. Atque hæc, lector, tibi velim ſufficiant; nam reliquorum vel meminiſſe omnino tædet: *Longa eſt injuria, longæ Ambages; hinc ſumma ſequi faſtigia rerum* libuit. Strigonienſem Archiepiſcopum juſtiſſima a *Sigiſmundo* Rege pœna fuiſſe caſtigatum, certum eſt; quicquid ſcriptores monaſtici per ſummam rerum & jurium noſtrorum ignorantiam ſibi ſuisque per otium canant. Anno cIↄccccv. *Sigiſmundus* Rex multa ſalutaria reipublicæ ſancit, ac in ſubſcriptione Decreti ſui ſecundi hæc addit: *Syrmienſe*, *Tragurienſe*, *Scardonenſe*, *Tyninienſe*, *Nonenſe*, *Sibinicenſe*, *Corbavienſe*, & *Segnienſe ſedibus vacantibus*. Quæ indicio ſunt, eum in Eccleſias Dalmatiæ, ab Hungaria tum avulſas, Jus ſuum Regium retinuiſſe. Præcipuum autem ac plane ſingulare illud eſt, quod *Collatio beneficiorum*, cum compluribus aliis regni noſtri libertatibus, ſive Jus hoc noſtrum regium, ad preces *Sigiſmundi* regis, a Patribus Concilii Conſtantienſis, circa annum 1415. fuerit confirmatum. Quippe Tripart. noſtri Part. I. Tit. 11. §. 5. leguntur hæc: *Quarto, quia iſta libertas regni, quantum ad beneficiorum collationes, olim tempore Domini Sigiſmundi Imperatoris, & Regis noſtri, una cum complurimis libertatibus hujus regni, in generali ac celebri Concilio Conſtantienſi . . . corroborata, jurisque jurandi religione firmata fuit: prout in Bulla ſuperinde confecta, clare continetur.* Eam Bullam videre mihi adhuc non contigit, tametſi omni ſtudio & diligentia indagarim: non enim in manu exaratis codicibus noſtris, ex quibus potiſſimum *Cl. Van der Hardt* Conſtantienſis Concilii Acta collegit; non in aliis typis vulgatis collectionibus, niſi me omnia fallunt, reperitur. Fit autem ejus itidem mentio Art. 63. Decreti III. ab Uladislao Rege

D d An-

Anno 1498. perlati, his verbis: *Quia ex conceſſione Venerabilium Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, olim in Concilio Conſtantienſi conſtitutorum, regnum hoc in eo privilegiatum eſſe conſtat: Quod nullus extrahatur extra iſtud regnum ad judicia, authoritate litterarum Apoſtolicarum, niſi cum cauſæ aliquæ per appellationem legitime fuerint ad ſedem Apoſtolicam devolutæ &c.* Excutiant igitur ſcrinia ſua & horum indices, quibus tabularia in regno noſtro ſunt concredita, & pulcherrimum Juris hujus Regii monumentum publico non invideant. Anno cIↃccccxxxv. *Sigiſmundus* Rex finem imponere conatus eſt Controverſiæ, de Præpoſitura Scepuſienſi ſub *Ludovico* Rege commotæ; ea fini memorato ſupra anno, *Venerabili Magiſtro Joanni Stock, Medicinæ & artium Doctori, Suæ Majeſtatis, Præpoſito Scepuſienſi authoritate juris Patronatus, privilegium contulit ſingula beneficia, ac quaslibet dignitates, Lectoratum, Cantoratum, Cuſtodiatum, Canonicatus, præbendas, aliaque beneficia vacantia in bene meritos diſpenſandi*, teſte *Catalogo compendiario manu ſcripto Dominorum Præpoſitorum*, ex quo fragmentum hoc retulit *Péterf. Concil. Hung. P. I. pag.* 196. Eodem anno *Sigiſmundus* Rex variis decretis Budæ editis Juri huic regio prudentiſſime conſuluit. Pertinet huc præcipue Art. XXI. qui eſt: *Ne ullus Comes, Banus, Waywoda, ſeu alius officialis regius, cujuſcunque conditionis, denominationis & dignitatis exiſtat, Eccleſias Epiſcopales, Archiepiſcopales, Abbatiales, Præpoſitales, & alias quaſcunque*, Regio jure Patronatus diſponendas; *earundemque tenutas, pertinentias, decimas & poſſeſſiones, intra terminos & limites ſui honoris, ſeu officialatûs, absque ſpeciali mandato regio, occupare, aut ſe de eisdem, partialiter, vel totaliter ingerere præſumat.* Qua lege Juri noſtro regio in diſponendis vacantium Eccleſiarum bonis optime a *Sigiſmundo* conſultum eſt.

Atque his a me integerrima fide in medium prolatis, haudquaquam diſſimulabo difficultatem, quæ de Jure hoc regio propter *Sigiſmundum* Regem moveri olim poſſet. Notum eſt, & in triviis etiam noſtris decantatum, tredecim oppida Scepuſienſia anno cIↃccccxii. a *Sigiſmundo*, *Wladislao* Poloniæ Regi pignori fuiſſe data: quam ob rem non ſine cauſa quis fortaſſe addubitet, utrum Sereniſſimus Poloniæ Rex, vel is, qui ejusdem Regis gratia *utilitatibus & proven-*

Digitized by Google

ventibus eorum oppidorum fruitur, Juris Patronatus uſum ibidem jure ſibi arrogare queat? Ac de jure noſtro regio diligenter jam & prolixe omni hoc opere docui, illud toto, quod dicitur, cœlo a Jure Patronatus recentiori & vulgari eſſe diverſum; cum potius ſingularis quædam ſacræ Coronæ noſtræ libertas ſit, authoritate Pontificia ante omnes de Jure Patronatus recentiores canones conceſſa, quam Jus illud, quod nunc jura recentiora canonica Patronis eccleſiarum concedunt. Ridiculus itaque & jurium noſtrorum ignarus fuerit, qui jus noſtrum Regium cum poſſeſſionibus venditis, aut pignori datis, ad alium tranſire poſſe exiſtimet. Fuſe deinde hoc ipſo in opere itidem oſtendi, in regnis & provinciis, ſacræ Coronæ Hungaricæ ſubjectis, jus conferendi dignitates eccleſiaſticas, & beneficia quævis, ſoli & uni Regi noſtro, vel ei, cui is illud conferre voluerit, competere; qua poteſtate ſua tum *Sigiſmundus* fuiſſe uſus cenſendus eſt, cum, ut ſupra memini, *authoritate Juris Patronatus Præpoſito Scepuſienſi Joanni Stok privilegium contulit, ſingula beneficia & quaslibet dignitates bene merentibus diſpenſandi*; quæ poteſtas a *Matthia* Rege anno 1458. deinde vero a *Pio II.* Papa confirmatione nova munita fuit (1). Confirmationem quidem iſtam antiquare conatus eſt *Leo*, ſummus Pontifex, anno 1513. ſed parvo plane ſucceſſu; cum controverſia hæc perdurarit ad *Olahi* uſque Strigonienſis Archiepiſcopi tempora; quando, ut *Péterſius* obſervat, affulgente poſtliminio pace, & republica in ordinem redacta, conceſſione Ferdinandi, inter Præpoſitos Scepuſienſes, eorumque Metropolitas, amice conventum fuit. Quibus pactis Præpoſiti Archiepiſcopo ſuo Strigonienſi adſtricti ſint, mihi quidem non conſtat; pro certo contra atque indubitato apud nos haberi debet, Metropolitas Strigonienſes in eccleſiis, Præpoſituræ Scepuſienſi ſubjectis, dignitates & beneficia conferendi Jus, ſolius regis noſtri conceſſione habere: cum tam ex legibus noſtris, quam etiam ex omni iſto opere certum atque indubitatum ſit, *collationem dignitatum ac beneficiorum eccleſiaſticorum* in regnis & provinciis Hungaricis, ſingulari ſacræ Coronæ noſtræ jure, ſoli & uni Regi noſtro competere. Qui ſecus ſentiunt, aut Jus hoc Regium ignorant, aut ignorare ſe diſſimulant; a vero certe quam longiſſi-

(1) *Vide Péterſ. Concil. P. I. pag. 197.*

Digitized by Google

CAPVT IX.

De Eliſabetha, Sigiſmundi Imperatoris & Regis Filia, Alberti Auſtrii, Hung. Regis, Conjuge.

Anno cIↃcccccxxxvii. die IX. Decembris *Sigiſmundus* Rex finem vitæ fecit Znoimæ in Moravia annos natus LXX. cui ſucceſſit *Albertus* Auſtrius, quem is, data in uxorem filia *Eliſabetha*, ex *Barbara*, Ciliæ Comitis filia, adoptaverat, & Hungaris in ſucceſſorem commendaverat. Anno cIↃccccxxxix. *Albertus* pariter in pago ignobili *Neſmil* ad ripam Danubii ſupremum diem obiit d. XXVII. Octobris (1); relicta *Eliſabetha* conjuge, Ladislaum Poſthumum utero ferente. Vacabat per hoc tempus Strigonienſis Metropolitæ ſedes, quam Reginæ indulgentia occupavit *Dionyſius de Szécs*: qua de re *Bonfinius* Dec. III. lib. 4. ſcribit hunc in modum: *Roſzgonianæ defectionis*, inquit, *cauſa Eliſabetha fuit: quippe quæ Simoni, dum Veſprimienſis erat Epiſcopus, Archiepiſcopatum Strigonienſem eflagitanti, repulſam dedit, reſponditque: Eliſabetha regnante, Simonem Roſzgonium nunquam Archiepiſcopum futurum: contra ille; ſe vivente Eliſabetham nunquam regnaturam. Archiepiſcopatus igitur, Reginæ juſſu, Dionyſio datus eſt.* Quæres fortaſſe legitiméne id cenſeam eſſe factum? legitime, inquam; cum exploratum habeam, Eliſabetham Regia poteſtate tum fuiſſe uſam; & cum Eruditiſſimo *Roſentbalio* vehementer miror, eam in catalogo Regum noſtrorum paſſim omitti; ubi jure meritoque locus ei debetur. Luculentum ejus rei teſtimonium conſervant geminæ tabulæ, quarum apographa ex Sanctiori Auguſtæ Domus Tabulario ſuppeditavit laudatus mihi modo Ill. *Roſentbalius*; quæ cum lucem, quod ſciam, nondum viderint, & priores donationem, paucis adhuc notam, contineant: poſteriores vero Roſzgonianæ factioni lucem pulcerrimam accendant, dignas cenſui, quas hic juris publici facerem.

Commiſſio Propria Dominæ Reginæ.

Nos Eliſabeth, Dei gratia Hungariæ Dalmatiæ Croatiæ &c. Regina, Auſtriæque & Stiriæ Duciſſa, nec non Marchioniſſa Moraviæ &c. Memoriæ com-

(1) *Vide Timonis Epitom.*

commendamus ſignificantes tenore præſentium quibus expedit univerſis. Quod nos quæ ſummi opificis opitulante clementia, ad Regiæ paternæ ſcilicet ſublimitatis ſolium, tamquam vera & legitima Regni bujus hæres, evocata, ſingulorum noſtrorum & ſacræ Coronæ fidelium commodis & profectibus perſpicaciter invigilare, & ſollicite attendere, ac unumquemque juxta propriorum meritorum qualitatem remuneratione congruenti teneamur premiare: longe tamen potius atque competentius, nedum communi, verum etiam naturalis ordinis lege ſuadente, talibus noſtræ majeſtatis, ac Sacræ ipſius Regni noſtri coronæ fidelibus, amplioris & uberioris liberalitatis brauio debemus aſſiſtere, quos ſicuti conſanguinitatis copula, ſic non minus, immo fortius, perfectæ devotionis integritas, nobis conjunctos, & caritate adſtrictos fore, propenſius repræſentat. Sane ſicuti his reſpectibus, ſic non minus immo potiſſime ſagaci conſideratione, revolutis multifariis pergratæ, & revera commendandæ fidelitatis obſequiis, virtuoſis geſtis & ſinceris complacentiis, quibus ab olim progenitores fidelium noſtrorum Illuſtrium principum Friderici & Vlrici Ciliæ, Ortenburgæ, & Zagoriæ Comitum, fratrum ſeu conſanguineorum noſtrorum cariſſimorum, tam generis altitudine & nobilitatis proſapia, quam etiam ſtrenuitatis perfectione fulgentes, divis Hungariæ Regibus, poſt ſe ſe in ſolium bujus Regni Hungariæ ſuccedentibus, ſemper & ab eo tempore, quo iidem Coronæ ejuſdem Regni ſubjectione fuere adſtricti, laudabiliter & ſtudioſe gratos ſe reddere curarunt. Demum quoque ipſi Fridericus & Vlricus Comites eiſdem ſuis progenitoribus non minus morum & ſtrenuitatis conſtantiam, quam naturæ ſumentes originem, nequaquam ab ipſorum exorbitantes virtutibus, quin immo commendandam eorum famulandi comitando ſolertiam, primum quondam Excellentiſſimo & victorioſiſſimo benedictæ memoriæ principi, Domino Sigiſmundo, Romanorum Imperatori, ac Hungariæ Bohemiæ &c. Regi, patri noſtro cariſſimo, conſtantia operoſa, uſque felicem ſuæ vitæ temporalis occaſum, & tandem eo defuncto, felicis recordationis Sereniſſimo & Invictiſſimo principi, quondam Domino Alberto, Romanorum, & dictorum Hungariæ ac Bohemiæ &c. Regi, Domino & marito noſtro præcariſſimo; tandemque ipſo, divino Judicio, de medio ſublato, etiam celſitudini noſtræ veluti legitimæ Regni buius Hæredi, in Regimine ipſius more orphanitatis degenti, ſpecialiter præfatus Comes Vlricus, tam operatione peruigili, quam conſilio provido, ſtuduerunt multipliciter complacere: prætextu quorum cupientes ex nunc, prout promptis affectibus largius in-

intendimus in futurum, eorum beneplacitis, quorum obtentu nobis inſtanter ſupplicarunt, aliquantiſper reſpondere, Caſtellum, Koztannicza vocatum, ex altera parte, fluvii Zawan nuncupati, in quodam fluvio, Wn appellato, & ipſius fluvii inſula, ac in Comitatu Zagrabienſi habitum & exiſtens, quod alias quondam Ladislai Toth de Zunzedvar præfuiſſe, & per defectum ſeminis ejuſdem in Coronam ipſius Regni noſtri, rite & legitime devolutum fore perhibetur. Item etiam totum & omne Jus Regium, quod in eodem Caſtello Koztannicza, & ſuis cunctis pertinentiis, tam prævia ratione, quam aliis quibuſcunque modis, cauſis, & rationibus haberemus; & dictam Coronam Regni noſtri, noſtramque concerneret majeſtatem, ſimul cum omnibus ipſius Caſtelli Koztannicza Oppidis, diſtrictibus, villis, prædiis, allodiis, poſſeſſionibus, foris, Tributis, vadis, pertinentiis & utilitatibus, utilitatumque quarumlibet integritatibus, quocumque nomine vocitatis, ad idem ſcilicet Caſtellum Koztannicza & ſuas pertinentias, hujuſmodique Jus Regium de jure ſpectantibus, & pertinere debentibus, ſub ſuis & earundem veris metis, & antiquis; prout idem & eaſdem, prætactus quondam Ladislaus Toth, dum vitales carpſit auras, tenuiſſet, & poſſediſſet, ex certa noſtra ſcientia & animo deliberato, Prælatorumque & Baronum noſtrorum ad id accedente conſilio præmaturo, *præfatis Comitibus Friderico & Vlrico, Ipſorumque hæredibus & poſteritatibus univerſis, omni eo jure, quo noſtræ incumbit collationi dedimus, donavimus, & contulimus; immo damus, donamus, & conferimus,* plena auctoritate Regia, qua fungimur uti hæres Regii Regiminis prædicti, *Jure perpetuo & irrevocabiliter, tenendum, poſſidendum pariter & habendum, ſaluis juribus alienis, harum noſtrarum vigore, & teſtimonio litterarum mediante. Datum Budæ in feſto Beati Pauli primi Eremitæ. Anno domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo.*

L. S. impr.

Hacte-

Digitized by Google

Hactenus priores illæ tabulæ; poſteriorum vero exemplum eſt ſequens:

Nos Stephanus, filius quondam Simonis de Rozgon, Capitaneus Caſtri Poſonienſis &c. Notum facimus univerſis & ſingulis, quibus expedit, noſtro & Magnifici Georgii de Rozgon fratris noſtri nominibus, & in perſonis publice profitendo: Quod quamvis Caſtrum prædictum Poſonienſe, in quo quondam Sereniſſimus princeps, Dominus Sigiſmundus Imperator, ac Hungariæ, Bohemiæ &c. Rex, Dominus noſter gratioſiſſimus divæ memoriæ, nos in Capitaneos præfecerat, certis ex cauſis in diſplicentiam Sereniſſimæ Principis Dominæ Eliſabeth, Dei gratia Reginæ Hungariæ, Dalmaciæ, Croaciæ &c., filiæ annotati domini Imperatoris, dominæ meæ naturalis gratioſæ, hactenus conſervatum fuerit & tentum, nos cum noſtris de eodem ſuæ Majeſtati & ſuis graviter opponendo: tamen memores beneficiorum & gratiarum, per dictum dominum Imperatorem nobis & fratribus ac domui noſtris exhibitorum & impenſarum, pœnitet nos graviter, ſic contra eandem dominam noſtram Reginam, veram Hæredem & Dominam Regni, hucuſque rebellizaſſe; unde cum præfata gratioſiſſima domina noſtra Regina univerſas diſplicentias, & rancores, ac quoſcunque odioſos conceptus adverſum nos habitos penitus de corde ſuo eliminavit & excluſit, nobiſque de tanta rebellione facta contra eam, gratioſius indulſit, ideo præſentibus bona & ſincera fide noſtra, ac in verbo veritatis, dolo & fraude abſque omni, in virtuteque juramenti, tactis corporaliter Sanctæ Crucis dominicæ ligno, ac ſacroſanctis reliquiis per nos præſtiti, promittimus, ſpondemus, ac pollicemur, noſque ac dictum Georgium fratrem noſtrum obligamus, ſub fide, humanitate & honore noſtris, quod a modo in antea ipſam dominam Eliſabeth Reginam tamquam hæredem & dominam, ac Illuſtriſſimum principem dominum Ladislaum Regem, filium ejus Cariſſimum, ut Regem & dominum noſtrum naturalem, omni reverentia & honore, ſicut ex debito tenemur, reverebimur & honorabimus, Ipſiſque omnem obedientiam & ſubjectionem ac fidelia obſequia exhibebimus & impendemus, bonum eorum ubilibet locorum juxta noſtræ facultatis poſſibilitatem promovendo, & malum ipſorum præcavendo; etiam contra univerſos eorum æmulos, Regem ſcilicet Poloniæ, ac alios rebelles hoſtes ſeu inimicos Regnicolas, vel extraneos, ſibi quavis occaſione adverſantes, vel contrariare volentes, eiſdem domino Ladislao Regi, ac dominæ Eliſabethæ Reginæ, ſicut domino ac dominæ noſtris naturalibus, pro omni noſtra facultate adſtare, aſſiſtere, ac fideliter & ſincere ſubveni-

re

re debebimus, volumus etiam & curabimus ipſam dominam Reginam, ac ejus Illuſtriſſimum natum, a quibuſcunque periculis corporalibus ac deboneſtationibus, ſeu damnis, juxta fidem noſtram Deo debitam fideliter præſervare, tueri, & præmunire noſtro toto poſſe. Denique prædictum Caſtrum Poſonienſe, quod & hucuſque ipſis dominæ Reginæ, & ejus filio tanquam veris hæredibus Regni, & nemini alteri conſervavimus, hinc infra proximum feſtum Beati Georgii martyris, vel ad maximum, ipſo die feſti Beati Georgii proxime affuturo, ſine omni ulteriori dilatione & difficultate, prænotatæ dominæ noſtræ Reginæ, aut eius vel filii ſui nomine, illi vel illis, quem, vel quos ſua Majeſtas ad hoc deputaverit, Regnicolis tamen Regni Hungariæ, reddere, reſtituere, & modis omnibus, ac in effectu libere aſſignare, reddique, reſtitui, & aſſignari facere promittimus, & pollicemur bona fide, dolo & fraude abſque omni, & noſtrorum omnium manus de ipſo Caſtro penitus & per omnia excipiendo & extrahendo. Præterea mortalium conditionem & varios fortunæ eventus conſiderantes, ne infra vel uſque tempus pro reddendo Caſtro, ut præmittitur, præfixum, effectu hujuſmodi noſtræ promiſſionis & obligationis, dicta domina noſtra Regina, eiuſque Inclytiſſimus filius, fruſtrari poſſint, quoquomodo, cum domina contborali noſtra cariſſima, ac Caſtellanis & familiaribus noſtris, quos ex nunc in antea in ipſo Caſtro relinquemus & præficiemus, committere volumus, & mandabimus ſerioſe, ut caſu, quod Deus avertat, uſque prænotatum terminum feſti Beati Georgii martyris, vocante Deo, nos præmori, aut caſu quocunque dante, in captivitatem vel inimicorum manus devenire contingeret, ex tunc ipſi, non obſtante morte noſtra, aut captivitate hujuſmodi, Caſtrum memoratum prænotatæ dominæ Reginæ & filio ſuo Illuſtriſſimo, domino ſcilicet noſtro naturali, aut illi vel illis, quem vel quos, ut præmittitur, ipſa domina Regina deputaverit; Regnicolis tamen, tradere & aſſignare debeant, ſine contradictione & difficultate, & fraude & dolo abſque omni. Ad quæ omnia præmiſſa ſpontanee ac cum bona voluntate, non compulſi, nec coacti, ex certa noſtra ſcientia, & animo bene deliberato, nos obligamus, harum noſtrarum litterarum, quibus ſigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimonio mediante. Datum Poſonii in feſto Beati Lucæ Evangeliſtæ. Anno Domini Milleſimo Quadringenteſimo quadrageſimo.

(L. S.)

Digitized by Google

CAPVT X.

Joannes Huniades, ſeu Corvinus, pro Ladislao Poſtumo partium Trans-Tibiſcanarum Gubernator, Epiſcopum M. Varadienſem eligit, & Jus ſuum tuetur.

Quæ ab anno CIↃCCCCXL. ad quartum uſque & quodrageſimum geſta ad præſens argumentum pertinent, ſunt fere hæc: Anno CIↃCCCCXLII *Vladislaus*, Lithuaniæ Dux, contra *Eliſabethæ* & *Ladislai* ejus filii jura, Budæ coronatus eſt, & Anno CIↃCCCCXLIV. die X. Novemb. ad Varnam a Turcis cæſus, vitam cum exercitu amiſit. Deſiderati ſunt inter alios Agrienſis & Varadienſis Epiſcopi, non prius, quam poſt gravem controverſiam ſucceſſores ſuos habituri. Anno proxime ſequenti in feſto Pentecoſtes *Joannem Huniadem* ſive *Corvinum*, Proceres in Gubernatorem Regni eligunt; *Ladislaum Poſtumum*, *Alberti* Regis filium, Regem agnoſcunt. Graviſſima æque atque utiliſſima de Jure hoc noſtro Regio controverſia per hæc ipſa tempora exſtitit: dum enim Gubernatoris authoritas multo infra regiam eſſe videtur; dum, neſcio, quæ minuta Regni & Gubernii diſcrimina obtenduntur, oblata eſt Proceribus, in Comitiis regni congregatis, opportuniſſima occaſio, mentem totius regni Hungariæ, de Jure hoc regio a majoribus hæreditate acceptam, Romam perſcribendi. Celeberrimæ controverſiæ monumenta, auro contra chara, ſervat Codex Cæſareus membraneus, inter codices *Hiſt. Prof.* IↃXXXI. Continet is Epiſtolas, a *Joanne de Zredna*, *olim Protonotario Cancellariæ Regis Hungariæ*, in unum volumen collectas, varii argumenti; *Joannis* in primis *Huniadis*, Gubernatoris; Prælatorum deinde ac Baronum regni nominibus ad Romanos Pontifices, Imperatorem, Reges ac Principes perſcriptas. Eas primus in lucem publicam ex eodem hoc & unico Cæſareo codice protulit Cl. atque eruditiſſimus vir *Joannes Georgius Schwandtnerus*, Auſtriacus Stadelkirchenſis, in pulcherrima Scriptor. Rer. Hungar. editione ſua Tom. II. P. I. pag. 1. vel hoc uno nomine de Hiſtoria Hungariæ præclare meritus. Ad horum igitur monumentorum fidem fortuna Juris hujus Regii, *Joanne Huniade* Gubernatore, fuit hujuſmodi. Anno CIↃCCCCXLIV Varadienſi & Agrienſi Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopis ad Varnam, ut ſupra memini, cum rege cæſis, *Joannes Huniades*, ſimul atque, anno proxime ſequenti, pro *Ladislao Poſtumo* regni gubernaculis admotus eſt, Varadienſi primum Eccleſiæ conſulere volens, pro vicaria poteſtate ſua, *Joannem* a ſe electum eſſe Romam perſcripſerat, eundemque in Epiſcopum conſecrari petierat. Teſtis hujus eſt epiſtola inter editas *quarta*; ubi in aliis hæc ad Pontificem Gubernator ſcribit: *Dum diebus ſuperioribus, poſt conflictum memoratum, plurimorum communiter aures, fama pervolaſſet de caſu quondam Reverendi Patris Domini Johannis de Dominis* (1), *Epiſcopi Waradienſis, feſtinavere plures, alii occupare caſtra, extorquere cenſus de bonis Eccleſiæ ejuſdem; alii promovere quoſdam, qui indigenis hujus patriæ feruntur ſuſcepti: at Ego hoc medio tempore, quo ſolium Regale ſub ambiguo ducitur, ſecludens favorem privatarum perſonarum, affectione præcipua, quam ad beatiſſimam Virginem, & ſanctum Ladislaum Patronum noſtrum gero; quorum alterius nomini dedicata, alterius vero ſacræ in ipſa Eccleſia quieſcunt reliquiæ; cæterum compatiendo etiam ſtatui ejuſdem Eccleſiæ, quæ, dirutis jam & collapſis turribus, ſtallis & choro, quotidianam intrantibus minatur ruinam; volui, pro* eligendo *idoneo ipſi Eccleſiæ Paſtore*, magis publico ordine *procedere. Itaque &c.* Hunc in modum abrumpitur Epiſtola non ſine domno hiſtoriæ patriæ. Poteſt tamen farciri quadam tenus ex aliis, quas eadem de re Gubernator ad alios ſcripſit; in primis vero ex epiſt. *quinta*, quæ eſt ad Cardinalem Aquilegienſem, & Camerariam ſedis Apoſtolicæ, ubi ſcribit: *confidenter aggredior, orans, & deprecans, ut in facto Waradienſis Eccleſiæ voto & litteris meis, immo non meis ſed totius hujus Patriæ, apud ſanctam Apoſtolicam ſedem opem ferre dignetur.* Item ex epiſtola ſexta eadem de re ad *Baptiſtam Eliterium*, Teatinum, olim in Hungaria Oratorem Apoſtolicum, data; in qua dicit: *Itaque ſciat Paternitas veſtra, quod vacante nunc Waradienſi Eccleſia mira concordia Comitum & indigenarum hujus Comitatus & Patriæ &c. credo ut non abſque divino nutu &c.* Item ex epiſtolis VII. & VIII. in primis vero *nona*, quæ inſcribitur: *Ex parte Comitatus Biborienſis ad dictum D.. Eugenium pro facto dictæ Eccleſiæ &c.*

Ee 2

1) In margine eadem manu adnotantur hæc: *Iſte Dominus Joannes Epiſcopus Waradienſis, ac Simon de Rozgon, Epiſcopus Agrienſis, perierunt in prætacto conflictu cum Rege & Legato.*

&c. nec non ex *decima*, ab eodem Comitatu eadem de re ad Collegium Cardinalium miſſa: ad extremum autem & omnium optime ex undecima cujus epigraphe eſt: *Ex parte domini Joannis Wajwodæ ad Dominum Georgium de Cæſarinis, fratrem quendam Domini Juliani Legati &c. in facto præmiſſo.* Ubi in aliis Huniades ſcribit: *Occurrit nunc certum mihi factum expediendum, apud ſanctam Apoſtolicam ſedem, quod quidem, fateor, & honorem meum concernit, & ſtatum; puta de Eccleſia Waradienſi, quæ in terris Gubernationi meæ* (1) *creditis ſita eſt, januaque Tranſilvanarum partium, quarum onus & Wayvodatum ſuffero. In illo facto juxta vota mea, & Comitum, ac indigenarum illius Patriæ, ſcripſi ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum, prout ex litteris deſuper miſſis poterit Reverenda Paternitas Veſtra edoceri. Rogo ergo, & inſtanter rogo eandem Veſtram Reverendam Paternitatem, quatenus dignetur cum aliis amicis meis, factum hoc nomine meo, in manus deſumere, & juxta votum expeditum reddere, inſtareque apud Præfatum Dominum noſtrum, & ſacrum Collegium Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium, ut oſtendant in hac mea prima inſtantia, ſi in aliquo reputantur ſervitia mea* (2), *& propoſitum, adhuc efficacius ſerviendi Reipublicæ Chriſtianæ, ſique aliquo favore dignus exiſto. Intelligat Paternitas Veſtra, quæ ſcribo, & ita referre poterit præfato ſacro collegio. Patria illa, in qua dicta Eccleſia præeminet, multum unita eſt mihi ad agendum, reaſſumendumque vires contra perfidos Teucros, quæ quidem, voluntate Dei, adhuc conſervata eſt ab internis diſſenſionibus. Eccleſia etiam præfata, & ejus caſtra finitima, quaſi inter fauces ſunt dictis partibus Tranſilvanis. Nullo igitur modo elongari potero a Patria illa, & agere libere contra præfatos fidei hoſtes, ſi ponetur in dictam Eccleſiam aliquis, & mihi & dictæ Patriæ de pace ſuſpectus. Quapropter Paternitas Veſtra, intuitu mei eo fortius inſtet, quo magis eidem cor meum aperui in re iſta. Non eſt levis cauſa, ſi ſedes Apoſtolica ponderare voluerit: Ego rem iſtam ſtatui conſervare ſolide, & non permittere motionem*

1) Margo Habet: *Tunc, dum hæ litteræ ſcribebantur, Joannes Wayvoda non erat Gubernator Generalis; ſed iſtæ partes, ex hac parte Ticiæ, verſus Waradinum, erant ſuæ Gubernationi commiſſæ, in congregatione generali, quæ in Alba Regali Anno Domini 1445. circa feſtum B. Dorotheæ habita fuit.*

2) *Scilicet, quæ fecit pro defenſione Chriſtianorum contra Turcos.* Margo.

Digitized by Google

nem in illa Patria. Ad quod quidem omnium (1) *quaſi Prælatorum ac Baronum Regni, pacis amatorum intrinſeca mibi vota concurrunt &c. Dat. XVIII. die menſis Aprilis, Anno Domini* CIƆCCCCXLV. Quæ omnia eo huc tranſtuli, ut clare adpareat modus & forma eligendi Prælatos Hungariæ, quæ per ea tempora, non ſecus ac olim, viguit. Scribit *Huniades: Non eſt levis cauſa, ſi ſedes Apoſtolica ponderare voluerit: ego rem iſtam ſtatui conſervare ſolide & non permittere motionem in illa patria.* Singulari moderatione & prudentia pacis procurandæ ſtudium obtendit, ut Jus eligendi Prælati illibatum conſervet. Voti ſui compos factus eſt eodem anno, menſe Decembri; cujus penultima die gratias per litteras egit omnibus, quorum operam hac in re ſibi utilem fuiſſe expertus eſt; ut ex epiſtolis XII. XIII. XIV. perſpicere licet.

CAPUT XI.

Nova & gravior de Epiſcopo Zagrabienſi, a Gubernatore electo, controverſia.

Anno proxime ſequenti CIƆCCCCXLVI. pro eadem vicaria Juris Regii poteſtate ſua *Huniades* Zagrabienſi & Agrienſi Eccleſiis novos Præſules dedit, eosdemque conſecrari a Pontifice, Eugenio IV. petiit ſcripta epiſtola, quæ inter editas eſt vigeſima ſecunda, cujus partem hic adſcripſi: *Cæterum*, inquit, *in facto Zagrabienſis Eccleſiæ, quæ multis jam annorum ſpatiis* (2) *male tractata vaſtatur, notificat ſuis litteris Beatitudo Veſtra, contraria* (3) *a me ſcripta accepiſſe, in quo quidem facto, votis meis clementer deferre volens, certiorari petit, de mente & intentione mea, ut tandem proviſio ipſius Eccleſiæ tranquilla ordinatione maneret. Contrarietas iſta, vel potius varietas, Pater Beatiſſime, quoad præfatam Eccleſiam ſolvi faciliter poteſt; quoniam intentio ac voluntas mea,*

 favor

1) Margo habet: *Hoc ideo dicit, quia aliqui ex Prælatis & Baronibus erant contrarii in hac parte voto ipſius Domini Joannis Wayvodæ. Attamen pacis amatores eidem conſentiebant.*

2) *Quia poſt obitum quondam Domini Joannis Epiſcopi Zagrabienſis, qui mortuus eſt Anno Domini 1433. ipſa Eccleſia continue per ſeculares manus occupata & vexata fuit.* Margo.

3) *Erant enim duo competitores pro ea, ſed Dominus Gubernator plus favebat Domino Demetrio.* Margo.

favor & promotio, quantum in me eſt, immutabilis ſtetit & inſtat pro perſona Reverendi Patris Domini Demetrii Chupor, Epiſcopi Tininienſis, quem certe & vita, & genere, ſublevandis dictæ Eccleſiæ oneribus aptum ſemper reputavi. Verum de facto Agrienſis Eccleſiæ, longe aliter confiteri habeo (1), *cum expreſſe meminerim, varietatem illam aliis modis accidiſſe, quæ quidem ſi Beatitudinis Veſtræ animum turbaverit, æquanimiter nobiſcum pati dignetur: ea enim tunc erat conditio temporis illius, quod plura poterat extorquere importunitas, quam mera voluntas præſtare. Non de facili patiebatur ſubigi cervix inſueta paci, diſcordiæ aſſueta; opus erat alios terrore, alios favore ſubducere. Prima adhuc ponebantur concordiæ initia, fervebat ambitio, unuſquiſque augere cupiebat propria, qui cogebatur aliena relinquere, ſicque contigit ſæpius, præſertim neceſſitate facti, in una eademque re, & illi præſtitiſſe favorem, & alteri non negaſſe; non quidem inſtabilitate noſtra, ſed ut minori inconvenienti, majora tegeremus tamdiu, donec paulatim dono Domini ſubintraret judicium, quo deliberatione magis ſolida diſcernere poſſemus, quid unicuique rectius opportune expediat. Mira certe res & divino digna munere, cedunt arma, longo nutrita tempore, ſilent bella inteſtina, frenantur diſſidia, concordia pedetentim inducitur, ſola forenſium* (2) *adhuc inſultatorum ſævitia, minas exaggerat. Ego vero etſi iſta eo modo jam ſtare conſpiciam, minus tamen ſperare poteram, tam cito futuram mutationem* (3) *hanc dextræ excelſi, & ob hoc etiam importunitatibus aliquorum reſiſtere, tunc accomodum non ſatis putavi, exoptans finaliter favore furorem collidere. Sic igitur, loquendo apertius, duæ certabant partes pro Eccleſia Agrienſi memorata, utra-*

1) *Quia pro iſta ſpecialiter contraria ſcripta pro duabus partibus contendentibus miſerat, ex cauſa, prout infra declarat; quarum partium una erat Dominus Ladislaus de Hedrebwaar, tunc Abbas S. Martini ſacri montis Pannoniæ, cui adhærebat Dominus Laurentius Palatinus Hungariæ, & Domini de Rozgon, ſed & alii Domini Diœceſeos Agrienſis. Altera vero pars erat Dominus Thomas de Debrenthe, Præpoſitus Weſprimienſis, cui adhærebat Dominus Nicolaus de Vylak, Wayvoda, cum pluribus aliis Dominis.* Margo.

2) *Scilicet ex parte Regis Romanorum, ac cæterorum Bohemorum.* Margo.

3) *Quia mox poſt congregationem generalem ſupra tactam, Hungari prius diſcordantes, ita fuerant uniti, ut nulla inter eos publica partialitas appareret.* Margo.

Digitized by Google

utraque allegato juri confiſa; adhærentia cuique grandis erat. Petebat una ſibi favorem dari, altera pariter non negari; ſatius ergo viſum eſt petita ipſa, quam diſſidia, admittere, quoad uſque, ut præmiſi, ad ulteriora diſcretis dari poſſet. Quam ob rem, ſi excuſationi locus eſt, ſupplico Beatitudini Veſtræ, ut his præmiſſis conſiderationibus, immo potius neceſſitate, penſatis, neque ſibi ex his ſcriptis contrariis turbationem, nec nobis notam ingerat: quoniam deinceps, quantumcunque obſervari poterit, deliberatum eſt, ut ſimili varietate ſanctitatis Veſtræ aures & animus non turbetur, quo equidem pacto, quantum & ad præſcriptam Eccleſiam Zagrabienſem, intentionem confirmans, his ſcriptis ſanctitati Veſtræ iterato devotius ſupplico, quatenus juxta priora ſcripta mea, ipſi Zagrabienſi Eccleſiæ, de perſona memorati Domini Demetrii Epiſcopi providere non differat, quem cum mero affectu diligamus, meritis ſuis ſtatum æquare optaremus, quem etiam vita, converſatione, peritia, & regendi facultate, ipſi Eccleſiæ aptum & idoneum judicavimus. Data die XVII. menſis Octobris, Anno Domini CIↃCCCCXLVI. Hactenus *Huniades*; adnotationes, quas margini adſcriptas vides, non meæ ſunt, ſed *Jvanicſii* cujusdam, qui excellenti hac diligentia ſua de patria, deque poſteris præclare meritus, epiſtolas Huniadis collegit; & ſcholiis pro ingenio eruditioneque ſua illuſtravit, quæ cum lucem non exiguam liti huic procurent, idcirco adſcribendas hic eſſe cenſui. Maximi autem ſunt ea momenti, quæ Huniades ſcribit: *Quoniam intentio ac voluntas mea, favor & promotio, quantum in me eſt, immutabilis ſtetit, & inſtat pro perſona Reverendi Patris Domini Demetrii Cſupor, Epiſcopi Tininienſis &c.* Quæ re ipſa non aliud continent, niſi: voluntate mea alium non eligo; Zagrabienſem Epiſcopum hunc eſſe jubeo: quæ fortaſſe etiam cauſa fuit, cur *Demetrius* ne anno quidem CIↃCCCCXLVIII. Zagrabienſis Epiſcopi ſedem occupare quiverit, tametſi ejus electio ad ſpeciem tum *Eugenio IV.* tum *Nicolao V.* ejus ſucceſſori, fuerit probata. At enimvero *Huniades* non ſibi, non muneri ſuo defuit: nam depoſita privati perſona, & Gubernatoris Hungariæ ſumpta, graviſſime apud Pontificem queſtus eſt, Regnum Hungariæ, cui pro *Ladislao*, legitimo & coronato Hungariæ Rege, moderaretur, ob inutilem iſtam moram *notabilem injuriam pati*; petiit deinde, vellet Pontifex Zagrabienſis Eccleſiæ cauſam ea ratione componere; *ut Demetrii Epiſcopi electi jura, & Regni Hungariæ*

Digitized by Google

ria LIBERTAS offenſa non videatur. Ea *Huniadis* epiſtola eſt inter editas ſexta & trigeſima hoc exemplo:

Beatiſſime Pater & Domine metuendiſſime!

Non credo ignotum eſſe apud Beatitudinem Veſtram, quot quantæque turbationes in Regno hoc pro facto Zagrabienſis Eccleſiæ ortæ, traductæque ſunt, pendentque adhuc in altiora veriſimiliter evaſuræ, niſi de remedio opportuno per ſanctitatem Veſtram proviſum exſtiterit, prout ſuper his cum Reverendiſſimo Domino & Patre noſtro Juliano Cardinali S. Angeli, Sanctitatis Veſtræ Legato, perſonaliter collocutus ſum. Unde & neſcire me fateor, quorſum convertam culpam, quod TRANSLATIO illa, quæ de Perſona Reverendi Patris Domini Demetrii Epiſcopi primum per Dominum Eugenium facta, & deinde per ſanctitatem Veſtram confirmata, effectum conſequi non potuit, per quam, credo, tantis diſſenſionibus finem quandoque potuiſſe dari, præſertim cum in ea translatione LIBERTATI *bujus Regni bene ſatisfactum fuerit. Sed, quia &* translatio *ipſa, & proviſio dictæ Eccleſiæ, hactenus impedite ſtetit, Regnum hoc* notabilem patitur injuriam *in ipſius Eccleſiæ turbationem, propter quam, ut præmiſi, poterit veriſimiliter major diſſenſio ſuboriri. Quocirca Beatitudini Veſtræ, ſupplico humiliter, quatenus dignetur cauſam ejuſdem Eccleſiæ diligenti cura in manus deſumere, taliterque omnibus litibus amputatis providere, ut & præfati Domini Demetrii Epiſcopi JURA, & Regni hujus LIBERTAS, offenſa non videantur. Ad quod quidem faciendum, magna præfatæ Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus ruina Beatitudinem Veſtram commovere poterit, cujus præſertim intereſt talibus defectibus ſine perſonarum acceptione providere. Data apud Villam Krowinii, die VI. Septembris, Anno Domini* CIƆCCCCXLVIII.

Hæc *Huniades*; at vero cauſa hæc paulo intricatior videbatur eſſe, quam ut a Pontifice brevi tempore poſſet cognoſci: patet hoc ex epiſtolis LXX. & LXXI. quas, ne longior ſim, ibi legi volo: Ad ſummam, certum id atque exploratum eſt, Gubernatorem ſententiam ſuam haudquaquam mutaviſſe, & libertatem iſtam pro munere ſuo egregie fuiſſe tuitum.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XII.

Ejuſdem Huniadis de Colocenſi Archiepiſcopo, Tranſilvaniæ & Vacienſi Epiſcopis, ab ſe electis, apud Pontificem cura & ſolicitudo.

Anno proxime ſequenti CIↃCCCCXLIX. non minori ſtudio *Huniades* urſit, uti *Matthiam* Epiſcopum Tranſilvanienſem, ad Colocenſem Metropolim transferri, & *Nicolaum*, Tranſilvaniæ Decanum, in ejus locum ſuffici, ſummus Pontifex permitteret. Epiſtola, eam ob rem a Gubernatore ad Pontificem ſcripta, inter editas eſt quinta & quadrageſima hoc plane exemplo:

Beatiſſime Pater, & Domine metuendiſſime!

Si culpa eſt vacantes Paſtoribus Eccleſias (1) *negligere, ſatis putaverim hujus me expertem culpæ. Inſteti enim magnopere, quo minus id fieret, optimum ratus, ut ad directionem ſtatus regni hujus hoc quoque accederet, ne his officii mei temporibus viduatæ ſedes, abuſu illo veteri, longæ vacationis cogerentur ſubire incommoda. Itaque inter alias, potiſſime circa proviſionem Colocenſis Eccleſiæ, non defuit opera mea, ut turbatæ illi, mox vacanti, ac nonnullorum clava potius quam clave expetitæ, Paſtor dari, non ingeri* videretur. *Scripſi, ſupplicavi, inſtantiam dedi, bonis rationibus & reſpectibus, ardenterque hactenus hoc ipſum effici per ſanctitatem Veſtram præſtolatus ſum; unde, ſi querelæ locus eſſet, conquererer digne, in ea re me non exauditum eo uſque, in qua, ut peteretur, urgeri, quam retardari magis debueram: invitus quippe cerno, orbam illam tot menſibus Metropolim, temeritate quorundam inquietari, quam ſane tuendo, tenendoque manibus meis, nec importunitati quorumpiam, ſed nec turbinibus cedere ſtatui. Soli reſpectus illi, quos prioribus litteris meis expreſſi, ſed & merita virorum* (2), *pro quibus ſupplicatum eſt, eam e meis manibus*

(1) Adnotatio marginalis Ivanicſii: *Iſta Epiſtola eſt pro facto Archiepiſcopatus Eccleſiarum Colocenſis, & Bacbienſis canonice unitarum, de quo erant diſſenſiones.*

(2) *Scripſerat enim prius pro præfato Nicolao Decano, & in caſu, quo ipſe libentius Tranſilvaniam haberet, & tunc quoque Dominus Matthias Epiſcopus Tranſilvanus, ad dictum Epiſcopatum transferretur, & Nicolaus Decanus eidem in Tranſilvania ſuccederet.* Margo.

excutere poterunt, nam aptum, accommodumque ſemper, & religioni noſtræ, & Reipublicæ exiſtimavi, ſi eccleſias regni bujus meritum, non temeritas poſſideret. Quamobrem quocunque pacto hæc ipſa dilatio evenerit, nihil præter nocumentum attulit, quoniam id, quod a pluribus appetitur, a me quoque difficilius cuſtoditur. Enimvero poterat Beatitudo Veſtra de me habere opinionem, ut in facto præmiſſo nihil ſine bono & ſtabili fundamento ſcripſerim; quia licet & in noviſſima congregatione noſtra, pro præfata Eccleſia certi concurrentes aſtiterint: finaliter tamen, ex conſilio Dominorum Prælatorum & Baronum, in eo remanſi, ut juxta priora ſcripta mea Reverendus Dominus Matthias, Epiſcopus Tranſilvanus, ad ipſam metropolitanam Eccleſiam Colocenſem transferatur, quodque, eo translato, Venerabilis Pater noſter, Dominus Nicolaus Decanus, eidem in ipſa Tranſilvana Eccleſia ſuccedat; utpote quam ſuæ paci, quietique æquum & rectam futuram credidimus. Quocirca ſupplico Beatitudini Veſtræ hac iterata vice, omni diligentia, & majori qua poſſum, quatenus non differat amplius, præmiſſo modo & ordine, non dico perſonis, verum potius Eccleſiis providere, ne tribuatur locus amplior incommodis occurrentibus, quæ vacantes Eccleſias concomitare ſolent, neve opus ſit libertatem Eccleſiaſticam tueri prius, quam cuſtodire. *Conſervet Dominus ſanctitatem Veſtram feliciter regimini Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum Budæ XXV. die menſis Junii, Anno Domini* CIↃCCCCXLIX.

JOANNES Gubernator &c.

Hactenus immortalis *Huniades* noſter; pro debita erga communem Populi Chriſtiani Patrem pietate & reverentia ſua moderate plane & circumſpecte; pro munere vero ſuo, non minus prudenter, quam fortiter: imitatione certe & exemplo primorum Hungariæ Regum: *Colomani, Belæ III. Belæ IV. Ladislai IV. Ludovici I. &c.* quibus ſingularis iſta ſacræ Coronæ noſtræ libertas ſpiritum & vitam debet. *Invitus quippe cerno*, inquit *Huniades*, *orbam illam tot menſibus Metropolim temeritate quorundam inquietari: quam ſane tuendo tenendoque manibus meis, nec importunitatibus quorumpiam, ſed nec turbinibus cedere ſtatui &c.* Habebat videlicet præ oculis illa *Belæ IV.* verba: *Hoc quoque in verbo veritatis, teſte Deo dicimus, & adjicimus ad cautelam, quod nec nos, nec Capitulum Strigonienſe, nec Barones, nec cæteri homines*

Regni

Regni noſtri, *in aliquem alium conſentimus.* Porro eodem menſe & die aliam pariter epiſtolam idem *Huniades* ad Pontificem dedit pro Epiſcopatu Vacienſi. Eſt inter editas ſexta & quadrageſima, cujus exemplum eſt ſequens:

Beatiſſime Pater & Domine metuendiſſime!

Quid circa proviſionem Eccleſiæ Colocenſis, item, ſubſequenter in facto Eccleſiæ Tranſilvanæ, utilius ſenſerim optaverimque, aliis litteris expreſſi votum meum. Verum ſi Venerabilis Dominus Nicolaus Decanus ab illa promotione, quam ſibi fieri optavimus, aliqua intentione, vel fortuna animum revocaverit (1), *ex tunc, ne apud ſanctitatem Veſtram in dubium veniat, quid in facto illarum Eccleſiarum amplius geramus in votis, volui ſanctitatem Veſtram aviſare. Itaque hoc caſu deliberatum eſt, ut loco ipſius Domini Nicolai Decani, ad Tranſilvanam Eccleſiam Reverendus Pater Dominus Petrus Epiſcopus Wacienſis, Cancellarius Regni, transferatur, cujus cognitis virtutibus non eſt opus apud ſanctitatem Veſtram verba addere; quo tranſlato, ad Wacienſem Eccleſiam, Honorabilem Vincentium, Canonicum Eccleſiæ Waradienſis, in Sacerdotali ordine conſtitutum, illi Eccleſiæ, noſtro judicio, bene accomodum & ſufficientem nominavimus. Quamobrem Beatitudini Veſtræ humiliter ſupplico, quatenus occurrente caſu prænotato, dignetur Sanctitas Veſtra de perſonis prætactis contenta ſtare, easque modo, quo præmittitur promovere, ita, ut alterum transferendo, alterum vero creando, velit præfatis Eccleſiis, in Epiſcopos præficere & Paſtores. Conſervet Dominus Sanctitatem Veſtram. Datum Budæ XXV. menſis Junii, Anno Domini* CIↃCCCCXLIX.

Hæc *Huniades* ad *Nicolaum V.* ſummum Pontificem; quibus cum nihil extundere poſſet, Epiſcopo Varadienſi, ipſe bello Bohemico occupatus, negotium dedit, eadem de re ad Papam iterum ſcribendi, qui hac epiſtola, inter editas nona & quadrageſima, Gubernatori morem geſſit:

 Bea-

(1) *Quod & factum fuit, quia vacante illis temporibus Eccleſia Wladislavienſi in Polonia, Dominus Papa ipſum Nicolaum Decanum pronuntiaverat ad eandem.* Margo.

Beatiſſime Pater, & Sanctiſſime Domine.

Cum his diebus magnificus Dominus Gubernator regni, quibuſdam ſuis expeditionibus occupatus (1), *mandaſſet mihi, ut aliqua de rebus ſuis ac regni, item, de intentione, quam circa translationem, noviſſime ut audivi, per Sanctitatem Veſtram de Domino Tranſilvano, & Domino Wacienſi factam, haberet, quidque conſequenter in votis gereret ſuo loco & nomine ad Sanctitatem Veſtram ſcriberem, & eidem notificarem; quamvis res ipſa alium, & magis clarum relatorem apud Sanctitatem Veſtram expoſceret, volui tamen in hac parte voluntati ipſius Domini Gubernatoris non abeſſe; ne forte negligendo, viderer officere. Itaque noverit inprimis Beatitudo Veſtra, ſtatum regni hujus, & conſequenter dicti Domini Gubernatoris ſatis turbulentum, tumultuoſumque eſſe: Paroris, preſſuræque indicia plurima, non inſtant modo, ſed exſtant; nam infideles a foris, intrinſecus vero Bohemi Huſſitæ inſultus, & parant, & inferunt, &, quod his fere deterius, timetur tertium ruinæ genus. Interna diſſenſio pro foribus ſeritur, quæ, ſi exſurrexerit, nihil addi periculorum noſtrorum cumulo poterit. Verum, inter hæc præfatus Dominus Gubernator, nunc adverſus ratos Huſſitas parata arma exercet, ut ſi quomodo, vel ſedare inſultus eorum, vel extirpare poſſet, facile cæteris & occurrere, & opem ferre potentior videretur: quantum vero de parte Teucrorum, durant bella reſtantque. Nam, licet conſiderata qualitate temporis, viſum nuper fuerit, treugas pacis tractare cum eis, ac ſuſcipere; ſed adverſo, ut ita dixerim, mediatore* (2) *hactenus perperam uſi rem infectam retulimus: is etenim mediator, uti dicitur, noſtra pace ſibi bellum timebat conficere. Cæterum, quoad factum prætactarum translationum, & Eccleſiarum, expectabat ipſe Dominus Gubernator, aliter voto ſuo ſatisfieri, providerique; utpote de perſona Domini Nicolai Decani, cujus promotio, uti ſperabat, rebus ſuis opem, Regno commoda, Eccleſiis vero ipſis quietem, pacemque allatura erat. Sed poſtquam ſanctitatis Veſtræ gratia, fortunaque ſua emigrare eum ex noſtri medio* (3) *diſpoſuit, contentus eſt idem Dominus Gubernator de translationibus ipſis,*

1) *Scilicet in armis contra Bohemos.* Margo.

2) *Iſte mediator erat Georgius Deſpotus Raſciæ.* Margo.

3) *Scilicet Nicolaum Decanum, qui tempore intermedio procuraverat ſe pronunciari ad Eccleſiam Wladiſlavienſem in Polonia.* Margo.

Digitized by Google

ipſis, ſecundum quod nunc, procurante dicto Domino Nicolao, Decano, factæ ſunt (1), *cujus quidem jam ſaltem affectum tenebimus, quem alligare corpore non potuimus. Ita ergo optat ipſe Dominus Gubernator, ita deſiderat, ita quoque in votis gerit, ut tranſlationes ipſæ per Sanctitatem Veſtram omnino manuteneantur. In quibus hic apud nos hoc ſolum deeſt, quod Dominus Tranſilvanus conſentire non proponit* (2), *ut ab ipſa Eccleſia Tranſilvana transferatur, pro cujus conſenſu Sanctitatis Veſtræ intereſt, modum & ordinem dare, ita enim videbitur dictis Eccleſiis utiliter eſſe proviſum. Poſtremo de Wacienſi Eccleſia inſtat dictus Dominus Gubernator pro Magiſtro Vincentio Protonotario ſuo, juxta ea, quæ prius ſcripſerat ad Sanctitatem Veſtram, in quibus omnibus votivam expeditionem expectat, optatque ſe habiturum. Hæc ſunt Pater Beatiſſime, quæ in rebus his de mente antefati Domini Gubernatoris accepi, de quibus etiam late contuli cum Venerabili Patre meo, Fratre Valentino Pœnitentiario Sanctitatis Veſtræ, ex cujus relatibus poterit Beatitudo Veſtra his clariora accipere. Cujus pedibus me humiliter recommitto. Ex Waradino, XX. die Menſis Octobris, Anno Domini* CIƆCCCCXLIX.

JOANNES,
Waradienſis Epiſcopus.

Ordinem hunc Tranſlationum ab *Huniade* conſtitutum, ut recte *Ivanicſius* in margine notat, *Matthias*, Tranſilvaniæ Epiſcopus, invertit: nam cum Colocenſis Metropolis jam tum, ut videtur, plus oneris, quam commodi haberet, commoda Tranſilvaniæ Epiſcopalia Colocenſibus Metropolitanis infulis prætulit. Igitur *Huniades* Gubernator, ut jam diu viduæ Metropoli ſponſum alium daret, epiſtolam, inter editas quinquageſimam primam, ad *Nicolaum* Pontificem dedit hoc exemplo:

Beatiſſime Pater & Domine

Jam pridem ſolicitatam ſæpe & magnopere Eccleſiæ Colocenſis proviſionem, quo ſtudio & ordine, quo denique affectu conſequi optaverim, re-

1) *Scilicet Dominus Matthias Tranſilvanus ad Colocenſem, Dominus vero Petrus Wacienſis, ad ipſam Tranſilvanienſem pronuntiati fuerunt.* Margo.

2) *Immo nec poſtea conſenſit, ſed manſit in Eccleſia ſua, & manet nunc. Propter quod res iſta iterum fuit immutata, ut infra patebit.* Margo.

Ete quidem Beatitudini Veſtræ patefactum non dubito. Avidus quippe, publici noſtræ religionis commodi, inter cætera meritorum, quam perſonarum magis, uti par eſt, rationem contuli, quo aptius afflictam ſatis (1) Eccleſiæ illius faciem redivivo decori condonarem, ſimul uti quantocius manus meas ab ejus conſervatione abſolverem, utpote cujus ſedulo malim uſui fore, quam oneri. Itaque inprimis Venerabili Patri, & Oratori noſtro Domino Nicolao Decano Cracovienſi, de ea optio data fuit; poſt in favorem ejuſdem de Domino Tranſilvano concordatum, ut vel ſic in ipſarum Eccleſiarum alterutra, virtutibus ejus digna, noſtræ benivolentiæ conſortia præberentur. Verum inter hæc rebus cum tempore vices verſantibus altioris forte, ſed utinam! quietioris gratiæ convivio (2) in partem ipſius Domini Decani interceſſit, ita, ut eo evocato reſtabat tertius gradus, quem pro perſona Reverendi Patris Domini Petri Epiſcopi Wacienſis, quaſi quodam præſagienti animo, inſtitueram, in quo ſolo videre videor votis meis ſatisfactum. Nam uti didici, antefatus Dominus Decanus promotus redditur patriæ ſuæ, Dominus vero Tranſilvanus, ad dictam Colocenſem Metropolim, cæterum ipſe Dominus Wacienſis, ut in Tranſilvania ſuccedat, pronunciati ſunt. Hæſerat animo, Beatiſſime Pater! has proviſiones, diſpoſitionesque Beatitudinis Veſtræ, utpote a me eo, quo prædixi, ordine expetitas omnino manutenere, & ad effectum uſque conducere, præſertim, cum pacata res ipſa, utiliſque dictis Eccleſiis videbatur; ſed quoniam egeſto plurimo labore, & ſtudio, nullo pacto adduci flectique potuit præfatus Dominus Tranſilvanus, ut translationi de ſe factæ conſentiret, perſuaſum eſt mihi multis reſpectibus, quatenus eidem vel inferre, vel procurare vim abſtineam. Parui facile rationibus, ſtatuique ipſum ſuæ paci, ſuoque arbitrio relinquere, atque pro ea rurſum, quæ adhuc relicta exſtat, Colocenſi Eccleſia apud Sanctitatem Veſtram Operam renovare.

Cum itaque his diebus regreſſus proſpere ab armis (3), quorum uſum oportunitas furiaque domeſticarum rerum exegerat, pro ejuſdem Eccleſiæ Rectore idoneo inſtitiſſem, requiſito Dominorum Prælatorum, & Baronum conſilio, viſum fuit ſaluberrime communi deliberatione omnium præfatum

Do-

1) *Multum enim erat deſolata, & afflicta tempore præcedentis Archiepiſcopi Joannis, qui erat Florentinus Italicus.* Margo.

2) *Ita legitur in MSC.*

3) *Quæ exercuerat eo tunc contra Bohemos prætactos.* Margo.

Dominum Wacienſem (1) *convenire, ſuisque humeris jugum oneris potius, quam honoris, viduæ illius Metropolis imponere: quæ quidem licet olim egregii, magnique decoris locum* (2) *tenuerit, ab olim tamen omni idonea cultu, & cura ita neglecta eſt, ut recte laborem culmen ejus præſeferat; pondus haud impar, quam decus. Renitebat, fateor, vir ipſe diebus plurimis, utpote integra pace contentus habito munere* (3), *item, & cæteris pluribus allegatis reſpectibus, verumtamen frequens & ſolida inſtantia noſtra piam eidem quandam vim inferens, prolicit tandem virum, ut conſentiret his votis* (4) *quamprimum ſuper id Apoſtolicæ ſedis mandatum, gratiam, patrociniumque ſuſceperit. Igitur gratam hujus concordiæ vicem omnium conſenſu approbante, magnæ opinionis, & bonæ ſpei de hoc viro fiduciam omnes ſuſcepimus, & præſertim ego, qui ejus præteritis operibus condelectatus, multa, cum de Eccleſiæ cura, & exemplari providentia, tum denique de publico communis ſtatus Miniſterio familiariſſima teſtimonia, & video, & complector, quemque cæteri Prælati Regni hujus ultro proferunt virtute imitabilem, & nulli integritate ſecundum, Eccleſiæ quoque illi pro ſui ſtatus loco cura & ope egenti recte præeſſe & vere prodeſſe idoneum.*

Quamobrem, ſi jam ſuperioribus inſtantiis meis alio, quam expetitum erat, fortuna flexit iter, præſens votum offero tanto fiducialius, quanto & diutinæ expectationi noſtræ commodius; attentiſſime, & diligentiſſime ſupplicans ſanctitati veſtræ, primum, ne pigeat varietatis, ſiqua hoc præſenti refugio rerum potius, quam mentis varietate intercedit, utque deinde præfato Domino Petro Epiſcopo, a vinculo, quo alterutræ Tranſilvanæ, & Wacienſi Eccleſiæ prædictæ tenetur, abſoluto, eundem noſtræ potius communis, quam ſuæ privatæ utilitatis reſpectu, ad ipſam Colocenſem, item Bachienſem Eccleſias Canonice unitas transferre, ipſiusque & toti provinciæ earundem in Archiepiſcopum præficere dignetur, & Paſtorem, proviſo, ne fiat vacationis ejusdem Metropolis productior cumulus, cujus incommodo, vix quidquam adjici poterit, ſi contigerit ſeram magis ejus proviſionem expectare.

Confer-

1) *Scilicet Petrum, qui erat vir inſignis, Doctor Decretorum, Cancellarius regni, in vita vero laudabilis, ita, ut ab omnibus amaretur.* Margo.

2) *Quia erat, & eſt prima poſt Strigonienſem.* Margo.

3) *Id eſt ſua Eccleſia Wacienſi.* Margo.

4) *Conſenſerat, ut transferretur ad eam, ſed adipiſci non potuit; quia licet fuerit jam pronunciatus ad eandem, tamen tempore intermedio, quousque bullæ exportatæ fuiſſent, migravit a ſeculo, reliquitque notabilem dolorem omnibus.* Margo.

Conſervet Altiſſimus Sanctitatem Veſtram feliciter, *cujus me pedibus humiliter recommitto. Datum Budæ XVIII. die menſis Januarii, Anno Domini* CIↃCCCCL.

Eodem menſe *Huniades* Gubernator Epiſcopum Vacienſem, in locum *Petri* ab ſe ſuffectum, conſecrari a Pontifice petiit per litteras, quorum exemplum inter impreſſas eſt num. LII. & eſt hujusmodi:

Beatiſſime Pater & Domine.

Poſtquam in facto Colocenſis Eccleſiæ, ſuperiori labore infecto, nova diſpoſitio ſecuta eſt, ex indeque juxta Dominorum Prælatorum & Baronum conſilia ad Sanctitatem veſtram pro perſona Reverendi Patris Domini Petri Epiſcopi Wacienſis ſcribere decreveram, ſucceſſit cura de Wacienſi Eccleſia, quæ per Translationem ejusdem, quam omnino votive futuram omnes ſperamus, vacatura eſt. Itaque ſupervenit in animum, Honorabilis Vincentius Canonicus Eccleſiæ Waradienſis, & plebanus oppidi de Rivulo Dominarum, cujus promotioni ob reputata a me ejus merita dudum intenderam. Hunc igitur de vita circumſpectione, & providentia mihi notum, ab experto teſtimonium ferens, recommendo, eumque ad Eccleſiam Wacienſem præfatam, de conſenſu Dominorum Prælatorum & Baronum electum ac nominatum, Sanctitati veſtræ præſento promovendum; ſupplicans eidem Sanctitati veſtræ, quatenus confecta translatione præfati Domini Petri juxta vota & ſcripta noſtra cum his emanata dignetur conſequenter præfatum Dominum Vincentium, dictæ Wacienſis Eccleſiæ in Epiſcopum præficere & paſtorem, utque eidem Domino Petro, cum omni juris plenitudine ſuccedat, promovere, quem certe pro ipſa Eccleſia & ejus regimine hoc maxime tempore idoneum reputavi. Recommitto me pedibus Sanctitatis veſtræ, quam Dominus feliciter dignetur conſervare Regimini Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum Budæ, XXVIII. die menſis Januarii, Anno Domini CIↃCCCCL.

Die proxime ſequenti celebrata ſunt ordinum Regni Comitia, in quibus eorum nomine eadem de re ad Pontificem ſequens epiſtola, inter editas tertia & quinquageſima, fuit ſcripta.

Ex

Digitized by Google

Ex parte Prælatorum & Baronum Hungariæ, ad Dominum Nicolaum Papam, pro facto dictarum Eccleſiarum.

Beatiſſime Pater.

Verſatum hactenus diſtinctis gradibus apud Sanctitatem Veſtram factum Colocenſis Eccleſiæ, perperam proceſſit vacationis ejus incommodo perdurante; demum coactis in unum omnium noſtrum votis concordibus, quid nunc in eo facto, pro perſona Reverendi Patris Domini Petri Epiſcopi Waccienſis deliberatum ſit, & exoptetur, ex litteris Magnifici Domini Johannis Gubernatoris noſtri, Beatitudo veſtra aperte colligere poterit, videreque pariter ordinem & reſpectum, quem circa Eccleſiæ illius magis, quam perſonæ nominatæ quietem, tenuimus. Quocirca ſupplicamus Sanctitati veſtræ devotius, quatenus pro communi noſtro, & nihilominus præfatæ Eccleſiæ commodo, dignetur Beatitudo veſtra præfati Domini Gubernatoris, ac noſtris in ea re votis quantocius ſatisfacere, ut Eccleſia ipſa ampliori vacationis tenore ſoluta, recreationis ſuæ ſumat initia properata, in quibus recte quidem nobis & Eccleſiæ illi magis, quam perſonæ proviſum reputabitur. Cæterum, quia poſt translationem præfati Domini Petri Epiſcopi, Eccleſia Wacienſis vacatura eſt, præfatus Dominus Gubernator, de conſenſu noſtro, honorabilem Vincentium, Canonicum Eccleſiæ Varadienſis, ad ipſam Wacienſem nominatum Sanctitati veſtræ præſentavit, in qua re, dignetur etiam Beatitudo veſtra juxta præſentationem eandem, ipſi Eccleſiæ providere. Datum Budæ in Conventione noſtra XXIX. die menſis Januarii, Anno Domini MCCCCL.

CAPVT XIII.

Joannes Huniades idem negotium tum per ſe tum per alios urget.

Porro ut res hæc omnis in plena collocetur luce, adjiciam tres alias, quæ ſuperiorem in impreſſis mox ſequuntur, epiſtolas; quarum prima eſt ejuſdem Gubernatoris ad Cardinalium Collegium; altera ad *Nicolaum* Decanum, Oratorem Regni Hungariæ apud ſedem Apoſtolicam; tertia Epiſcopi Varadienſis ad eundem: en eccas!

Epiſtola LIV.

Ex parte Johannis Gubernatoris, ad Collegium Cardinalium pro facto dictarum Eccleſiarum.

Reverendiſſimis in Chriſto Patribus, Dominis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſacro Cardinalium Collegio, Dominis meis honorandiſſimis.

Reverendiſſimi Patres.

Dudum incœptam, & pluribus jam inſtantiis deductam operam, pro conſequenda proviſione Colocenſis Eccleſiæ, cum in caſſum venire, atque tum ex rerum, tum vero animorum mutatione, in eis viris (1), *pro quibus ſupplicatum iri placuerat, interveniente, deſertari* (2) *cognoviſſem: operæ pretium fuit; de facto ejuſdem Eccleſiæ, in hac contentione Dominorum Prælatorum & Baronum, de novo concordare, & novam pro ea diſpoſitionem a ſancta Apoſtolica Sede expetere. Itaque ſcripſi ſuperinde novas litteras de conſilio ipſorum Dominorum Prælatorum & Baronum ſanctiſſimo Domino noſtro Summo Pontifici, item, & pro cauſa Wacienſis Eccleſiæ, ex quibus pariter Reverendiſſimæ Paternitates Veſtræ de intentione, & votis omnium noſtrum, clare poterunt informari. Quocirca attentiſſime rogo, & obſecro Reverendiſſimas Paternitates veſtras, quatenus tam in facto præfatæ Colocenſis, quam etiam ſucceſſive, in facto Wacienſis Eccleſiarum, dignentur, & velint Reverendiſſimæ Dominationes veſtræ, apud ſanctiſſimum Dominum noſtrum ſuas partes & operas interponere, ut voti compotes ſimul omnes effecti, congratulari dictarum Eccleſiarum commodo valeamus. Datum Budæ XXVIII. Januarii, Anno Domini* cIɔccccL.

Epiſtola LV.

Ex parte Johannis Gubernatoris, ad Nicolaum Decanum Oratorem ſupratactum.

Venerabilis Pater.

Mutationem rerum de ſtatu veſtro (3), *quo animo feramus, ex affectione noſtra conjecturam habere poteſtis; quo enim vobis conjungi optaba-*

mus

1) *Scilicet Nicolao Decano, & Matthia Epiſcopo Tranſilvano.* Margo.

2) *Ita habet MSCtum.*

3) *Nam, cum Gubernator intenderet, & vellet eum promovere ad Colocenſem Eccleſiam, ipſe ex altera parte fecit ſe pro-*

Digitized by Google

mus cordialius, eo disjungi tædioſius erit. Verum tamen omnia, quæ vobis in melius ſuccedunt, ea nobis in congratulando vobiſcum dividua ſunt, quoniam hæc diſtantia locorum eam vim non capiet, ut nos ab invicem dilectione ſeparet, neve cogat in alterutrum vicaria defungi cura. Reſtat, ut nobis de intentione nobiſcum remanendi (1), *clarius mentem veſtram aperiatis; non deficiemus veſtro honori & voto, credatis, modo cavete, ne oblata repudium patiantur* (2). *Cæterum, in factis Regni, & noſtris, propter rerum & articulorum involucra, vobis præſentibus ſingula notificare non poſſe, viſum eſt; dedimus tamen ſcripturam memorialem ſignatam huic Magiſtro Petro* (3) *cuſtodi, & Canonico Waradienſi, Capellano & Nuntio noſtro, qui vobis per ſingulos articulos omnia ea, quæ hac vice per Paternitatem veſtram apud Apoſtolicam Sedem expedire optamus, oſtendet, & notificabit. Quocirca rogamus eandem Paternitatem veſtram diligentiſſime, quatenus viſis & auditis his, quæ dictus Magiſter Petrus vobis de mente, & informatione noſtra oſtendet, & aperiet, velitis, uti cordialiter confidimus in vobis, diligentes operas veſtras apponere, ut eorum omnium votivum conſequamur effectum. Itidem & circa facta Eccleſiarum Colocenſis, & Wacienſis rogamus exequendum, prout in litteris deſuper miſſis videbitis contineri. Datum Budæ XXIX. Januarii, Anno Domini* CIↃCCCCL.

Epiſtola LVI.

Ex parte Epiſcopi Waradienſis ad dictum Nicolaum Decanum.

Venerabilis Pater mi!

Quid ſenſerim de illa promotione veſtra, vel potius (4) *remotione quoad nos, ſuperioribus litteris ſignificavi; nunc quid ſentiam, in idem venit, & paulo plus, quod ſcribere non valeo; dolor enim eſt, qui quidem magis tegi poſcit. Unum reſtat adhuc, quod ſi æquanimiter ferretis, cuperem adjicere. Recte equidem vobis fortunam interdum iraſci, qui fortunæ favo-*

moveri ad Eccleſiam Wladislavienſem in Polonia. Margo.

1) *Quia ex quo Dominus Rex Poloniæ erat ſibi contrarius in dicta promotione, nec unquam miſit eum in poſſeſſionem: dubitabat Gubernator, ne forte adhuc vellet remanere in Hungaria.* Margo.

2) *Sicut contigit de dicta Colocenſi, quæ erat ſibi oblata.* Margo.

3) *Iſte Magiſter Petrus, jam tertia vice fuit miſſus ad curiam Romanam.* Marg.

4) *Scilicet ab Hungaria.* Margo.

favores abnuitis. Magni facio in omnibus modeſtiam, magnanimitatemque veſtram, verum in hoc uno, ut ex paſſione quadam loquar, parum nimis, ubi facitis difficultatem in his rebus, in quibus prudens difficultas procul abeſſe debebat. Plura dicere cuperem, & dicam, ſi datum fuerit aliquando præſenti videre faciem veſtram; verum hæc locutus, ſileo amplius de hoc, ne forte obducta exulcerem. Sed de litteris veſtris, quas nudius tertius a quodam familiari, ut dicebat veſtro, continuante iter verſus Poloniam, habui, reſpondere quidem mihi multa veniunt in animum: verum opto, ut veſinet ſuperinde vobiſcum loquamini, quid dicere aut ſentire expediat de intentione, animo, fide & affectione meis? ego hunc fructum ſatis me habere reputabo ex nunc, ſi ita judicatum de me fuerit, ſicut me ipſe judico, unde & cum plura ſuper his articulatim ſcribere vellem, viſum eſt, ut is Magiſter Petrus voces reſpondeat, & declaret, quod cupio, & dicere, & conſequi. Datum Budæ XXIX. Januarii, Anno Domini CIƆCCCCL.

CAPVT XIV.

Graviſſima controverſia de Præpoſitura Dömöſienſi.

Hactenus eæ litteræ; quem eventum lis iſta demum habuerit, definiri exacte vix poteſt; certum contra eſt *Huniadem* Gubernatorem pro munere ſuo Jure Patronatus Regio quam diligentiſſime fuiſſe uſum: maximo quippe argumento eſt graviſſima controverſia, eodem hoc anno de Præpoſito Dömöſienſi exorta, cujus originem & cauſas auctor *Topographiæ Regni Hungariæ* retulit verbis, quæ adſcripſi: *Dömöſienſis*, inquit, *Præpoſituræ, honori Divæ Margarethæ dicatæ, nefas ſit non meminiſſe. Regia prorſus magnificentia pro Præpoſito & XII. Canonicis excultum erat ſacrum opus illud, mille circiter paſſibus Strigonio remotum, inque ſylvas retruſum. Ab Almo Duce, Geyzæ Secundi filio; Belæ vero, itidem ſecundi, Genitore. Mulctatum tota majeſtate ſua eſt per Aſiaticum Tyrannum, nec dubium, quin de cenſu quoque plurimum deceſſerit. Umbræ hujus titulum admiſceri magnis ſuis patitur Excellentiſſimus Dominus Epiſcopus Nitrienſis, de quo nobis infra ſermo, quod ab annis bene multis Nitrienſi Epiſcopatui adjuncta ſit præpoſitura illa, uti poſt annum* CIƆIƆ *ſpoponderat Uladislaus Rex, ob acciſa nonnulla ejus Præſulatus bona.*

nia. *Graviſſimam occaſione vacantis hujus Præpoſituræ ortam fuiſſe controverſiam inter Nicolaum V. Papam ac Regni optimates, Corvino Gubernatore, ad annum* CIↃCCCCXLIX, *acerbior ac tantum non egreſſa limites obſervantiæ, Hungaris erga ſedem Apoſtolicam propriæ, quam ea de re Peſthinienſibus e Comitiis poſtero mox anno dederunt ad eundem ſummum ſacrorum Patrem declarat Epiſtola. Sumpſeritne hoc diſſidium originem inde, quod Pontifex jus nominandi Prælatos Hungariæ per Sylveſtrinum diploma ad ſola coronata capita contractum, ſummæ ſedi per interregnum, aut dum pro pupillo Rege adminiſtrat alius rempublicam, competere contenderet? an vero, quod ſacerdotium hoc in jura Regularium, per Sigiſmundum Regem traductum, Proceres priſtino Præpoſituræ ſæcularis gradui reddi, reclamante Nicolao, vellent? in ambiguo adhucdum eſt: utrumlibet fuerit, non vidit exemplum Hungaria paris Romana cum ſede altercationis. Regio patronatus jure Gubernator uſus, ſpontaneo ab exceſſu Fratrum Montis Oliveti Abbatiæ nomen detraxit Dömöſio, ac redditum Præpoſituræ honoribus, hocce beneficium contulit Magiſtro Stephano, Strigonienſi Divi Thomæ Præpoſito, Regni Protonotario. Interceſſit intempeſtiva Valentini, Viri Religioſi ac peregregii, unius e minoribus Papæ Pœnitentiariis petitio, ut ſacerdotium illud in Prioratum redigeretur. Non gravate Pontifex annuit, utque juris poteſtatem firmaret validius, cenſuras adjecit, non oſcitanter a Valentino evulgandas. Præfervidus hic niſus ferit Optimatum animos ultra, quam dici poſſit. Eo in æſtu animi, Regni totius nomine, prolixiores parantur litteræ, exulcerati animi indices prædura.* Hæc laudatus auctor; quæ cujuſinodi ſint, diſpiciam mox. At non Optimatum ſolum, ſed Gubernatoris etiam is niſus animum ferit; loquuntur hoc plane litteræ, ejus rei gratia ab eodem ad Pontificem datæ, quas hic exſcribere non piguit (1):

Ex parte Johannis Gubernatoris ad Dominum Nicolaum Papam pro conſervanda libertate Juris Patronatus Regni Hungariæ.

Beatiſſime Pater & Domine.

Defungi properabam negotiis validioribus (2), *quorum vis plus turbarum allatura timetur, operæ pretium ducens, non ad arma ſolum ſpe-*

1) *Inter editas Epiſtola LVII.*

2) *Illis videlicet, quæ arma exigunt.* Mar.

Digitized by Google

ctare jam uſum mei, ſed ad pacis quoque negotia. Ea cura dum communi quieti auxilium ferre paro, interceſſit ecce! res quædam auribus ſane noſtræ communitatis inſueta (1), *quæ ſatis potens fuit ejuſdem animum, mentemque adeo percellere, ut intima fere ejus ſenſum attigiſſe videatur, non abs re quidem, quoniam inexplorata gravedo, plus magiſque animos defatigare ſolet. De facto Præpoſituræ Demeſienſis loquor, & his, quæ pro fratre Valentino* (2), *Sanctitatis Veſtræ Pœnitentiario, & ab eodem in id ipſum acta tentataque fuere, ac præſertim ſuper cenſuris, & proceſſibus illis* (3), *quos ex inde nunc ſuperinductos vulgo ferunt: in qua re, Pater Beatiſſime, quid dicere, aut quid polliceri mihi expediat, non facile invenio, quandoquidem & perſona illa mihi grata exiſtat; & hæc res tot jam ſit irritamentis vexata* (4), *ut poſſe eum poſſeſſorem exiſtere voti ſui, omnino fides abierit. Novi quippe communitatis noſtræ mentem, his cenſuris magis fore duratam; novi denique, quot qualeſque inventiones, meo quoque officio exaggerant, rati, incuria aliquali rem iſtam turbulentam adoleviſſe, utpote cui ad prima principia expandi proviſionem maluiſſent*, ut jus, mos, libertaſque Patriæ in tuto forent. *Et quidem effugere quodammodo ea verba vix poſſum, libens tamen confiteor ſuperiori congregatione generali* (5), *qua præfatus frater Valentinus pro hac re coram quoque aderat, cum pro reverentia Apoſtolica, tum vero ob charum perſonæ affectum, lentius me ſuis votis reſtitiſſe* (6). *Sed quoniam tarde moliri* (7), *ſeramque proſecutionem agere videbatur, parum illi etiam opitulari poteram, utpote jam* per-

1) *Quia ab antiquo ſemper tutum fuit Jus Patronatus Regni.* Margo.

2) *Ipſe enim Frater Valentinus, qui erat de ordine fratrum Heremitarum S. Pauli, procuraverat per Dominum Papam ſe inſtitui ad ipſam Præpoſituram, ſine requiſitione & conſenſu Gubernatoris, ac Prælatorum &* Baronum. Margo.

3) *Quia, ex quo per proviſionem Papæ, non mittebatur in poſſeſſionem, procuraverat proceſſus & ſententias fulminari contra* Dominum *Stephanum Præpoſitum, qui dictam Præpoſituram tunc tenebat, ſicut & nunc tenet.* Margo.

4) *Scilicet apud mentes regnicolarum, omnimode dictæ proviſioni contra Jus Patronatus factæ, contradicentium.* Margo.

5) *Quæ ſcilicet fuerat ante annum, & in qua tunc dictus frater Valentinus erat Orator & Nuntius Apoſtolicus.* Margo.

6) *Quia alii omnes etiam tunc fortius contradixerant promotioni ſuæ.* Margo.

7) *Quia de illa Præpoſitura jam dudum aliter fuerat diſpoſitum, ut in ſequenti epiſtola clarius dicitur.* Margo.

perfunctus officio (1), quod mihi in ea re, EX JVRE PATRONATVS REGIO incumbebat. Cum itaque eo quoque tempore idem proſpexiſſe potuit, alia ſe diſpoſitione præventum, inviſam omnibus rem geri; præterea JVS PATRONATVS REGIVM, ac LIBERTATEM REGNI anteferri, cæterum ſic ut Apoſtolicæ Autoritati derogari nolle, ita nec noſtram abrogari placere, aliaque in identidem objici; ob hoc modeſtius actum foret; ſi in ea re amplius nec impedientem ſe, nec impediendum præſtitiſſet porro, in qua ſibi, veluti flagrantibus omnium votis, præpedito incerta ſpe certus labor ſuccreſceret. Nunc vero, quo in id ipſum rapidius fertur, eo minus ſuſtineri poterit, cum & ego contra publica vota, juraque regni votis ſuis de cætero affinis eſſe non valeam.

Inter hæc igitur, cogitanti mihi, quonam pacto & Apoſtolicæ autoritati honor, & paci noſtræ, libertatique conſultæ ſuus vigor ſervaretur, occurrit ſalubrius, rationes noſtras omnes obvias ad preces convertere, atque ab eo expetere remedia, qui & ſuæ cauſæ auctor, & noſtræ moderator, potens unus, atque ſolus præſidet. Itaque in primis ego, qui uſum quemdam accepti beneficii pro idoneo obſide Apoſtolicæ gratiæ adipiſcendæ poſſideo, in hac, & pro hac re ad pedes Sanctitatis veſtræ recurro, eandem, tam pro ſuo intereſſe, quam pro noſtra cauſa tuenda, humiliter invocans, & ſupplicando exorans, quatenus ne ſinat rem hanc in altioris differentiæ cumulum progredi, ut videatur occaſu libertatis alienæ (2), licentia cujpiam, beneficiumque ortum. Ita enim Beatitudo veſtra, & ſuam autoritatem, & noſtras partes recte condecoratas faciet, ita denique quæſtionem hanc aptiſſime enodem reddet, ſi hac in re, cæterisque ſimilibus, & præteritæ quietis noſtræ ſuperſtes fore dignabitur, & auctrix futuræ. Revera enim hæc ipſa cenſurarum inquietudo opportunæ paci noſtræ conſentanea non exiſtit. Cum autem diſpoſitio illa, quam in facto dictæ Præpoſituræ magis pro Eccleſia illa, quam perſona tunc nominata (3), Sanctitati veſtræ jam dudum obtulimus, multum cordi, deſiderioque omnium noſtrum inſideat; optime ſatisfactum exiſtimabimus rebus, votisque noſtris, ſi his, quæ hactenus impedimento fuere, expeditis, diſpoſitionem ipſam de gratia Apoſtolica optato

effe-

1) *Scilicet in conferendo illam Præpoſituram.* Margo.

2) *Videlicet Juris Patronatus.* Margo.

3) *Scilicet Magiſtri Stephani, nunc Vice-Cancellarii.* Margo.

effectui reſtituendum decernet; quo quidem certe ſolidior, ac magis ſtabilis Eccleſiæ ipſi nuſquam poterit adhiberi.

Nam ut iterato ad factum antefati Patris noſtri, fratris Valentini ſermonem cum corde vertam, rectius ſane hoc tempore providebit quieti ſuæ, ſi ſe ac religionem ſuam (1), ea cura magis, quam Eccleſia abſolvi patietur, quippe ad quam ſibi tot obicibus jam quodammodo iter obſeptum videre videor. Si vero adhuc invitis amplius neceſſitatem ſubjiciet, hæc ſane neceſſitas non erit idonea, nec diuturna ad diligendum Magiſtra, quandoquidem ex hoc conjecto, & religionem ipſam, quæ in hoc regno magis, quam in aliqua Chriſtianorum parte fœcundior, feraciorque pullulat, plurimum odii, aut forſitan etiam invidiæ contracturam. Recte igitur & in hac parte opus eſſe arbitror, ut Beatitudo veſtra religionem ipſam hac labe, vel potius tabe exſortem efficiat. Mihi vero non inter poſtrema præcipuus favor accedet, ſi ea cura de cætero ſolutas, ad alias turbas, uti præfatus ſum, propulſandas liberius pergam. Recommitto me pedibus Sanctitatis veſtræ, quam Dominus conſervare dignetur feliciter regimini Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum in congregatione generali Peſtienſi XI. die menſis Junii, Anno Domini CIↃCCCCL.

Hæc *Huniades*; porro celebris illa Ordinum ad Pontificem epiſtola inter editas LVIII. eſt hoc exemplo:

Ex parte Prælatorum & Baronum, Militum ac Procerum Hungariæ, ad Dominum Nicolaum Papam ſuper eadem re.

Beatiſſime Pater!

Impendet cura haud minor cæteris, quarum involucra rebus noſtris hactenus inquietudinem præſtiterunt, quæ cum nos ex inſperato moveat, ingerit pariter occaſionem publicam, ut inviſæ cauſæ invitii obviam procedamus. Quippe, ne ampliori ſilentio in ea ipſa cauſa tranſigere videamur, qua profecto noſtra patientia, curſum vireſque nacta, eo evaſit, ut in ſolo jam noſtro gravi præjudicio finem conſtituat: ſicque laceſſiti vix tandem proloquimur, ut apud Beatitudinem veſtram vel nunc poſt principia moti

fera

1) Scilicet S. Pauli primi Heremitæ. Marg.

ſera potius, quam nulla remedia perquiramus. Rex autem ſuadet aperta fronte diſſerere, utpote ubi pro libertate agitur, *pro qua nemini mortalium probro ducitur, ſi ampliori licentia parumper, vel opera, vel verba effuderit.*

Igitur in facto Præpoſituræ Demeſienſis quid ex deliberatione noſtra communi ordinatum ſit, quidque juſte & rationabiliter, diſponi optaverimus, ſuperioribus Magnifici Gubernatoris noſtri, ac ſimul noſtræ Communitatis litteris Beatitudo veſtra intelligere potuit. Et quidem poſtquam Præpoſitura ipſa, diſceſſu quorundam fratrum de monte Oliveti (1), *qui eam per certa tempora, ſicut ab initio improviſa, ſic demum inſtabili ſede poſſederant, non reſignata modo, ſed ægre miſereque derelicta fuerat; mox curam ejus ſuſcipi diſpoſuimus: & ne de cætero variis titulis, manibuſque diverſa, cum nomine dotem quoque perderet, pro illa, ut ad primævæ fundationis originem, nomen, & ſtatum reduceretur, pia rectaque intentione inſtetimus. Cæterum indemnitati, juribuſque ejus utilius providere cupientes, ſimul, uti favoribus Regiis propinguior digniorque exſurgeret, deliberatum fuit, ut cuidam Capellæ Regiæ, quæ apud caſtrum Budenſe decora ſtructuris, verum dote vacua conſiſtit, pro Dei & regni noſtri bonore annecteretur, ac ſic demum bonorabili Magiſtro Stephano, Præpoſito S. Thomæ de Strigonio, Protonotario Regni, recte & bene proviſa conferatur: qui videlicet idoneus, potenſque apud nos viſus eſt, ejusdem jam pene neglectæ, ac non parum deformatæ Eccleſiæ, & reformare ſtatum, & dignitatem juraque reducere: quodque potiſſimum eſt, omnem in id ipſum opportunum ſibi noſtri parte favorem & patrocinium promereri.*

In qua re, cum ſatis quidem noverimus, nihil Apoſtolicæ Sedis repulſa dignum egiſſe, nihil denique vendicaſſe, quod nobis hac tempeſtate curandum non incumbat; credebamus devota fiducia ad rem ipſam a Sanctitate veſtra non ut præcariam, ſed magis ut debitam *opem expoſcere. Verum fides noſtra in hoc nobis parum felix fuit; nam contra evenit, Præpoſi-*

H h

1) *Nam quondam Dominus Sigiſmundus Imperator induxerat quoſdam Fratres, qui vocabant ſe de Ordine Fratrum Montis Oliveti, in dictam Præpoſituram, & procuraverat eam erigi, & creari in Abbatiam. Qui tandem fratres ultro ex ea recedentes, dimiſerunt eam vacuam, & multum afflictam: nunc Gubernator & Barones reducere eam volebant in ſtatum priſtinum; id eſt, ut iterum de Abbatia fieret Præpoſitura, ſicut prius ante Sigiſmundum Imperatorem fuerat.* Marog.

Digitized by Google

poſitura ipſa in Prioratum Ordinis Fratrum Heremitarum S. Pauli erecta dicitur, huicque Prioratui Frater Valentinus ejuſdem Ordinis, unus ex minoribus Sanctitatis veſtræ Pœnitentiariis, perpetuo beneficio inſtitutum ſe refert. Super quibus ita actis, protulerat idem in Congregatione noſtra, quæ ante hanc proxime annua fuerat, certas litteras, & Bullas Sanctitatis veſtræ, ex quibus recte, nimirum eo quoque tempore, nobis viſum fuerat, ut, ſi Beatitudo veſtra, de conditione Eccleſiæ ipſius, item de cauſa, voto, & diſpoſitione noſtra ordinatius informata fuiſſet, nequaquam indignitatem illam creſcere pateretur, ut Eccleſia ipſa ad impotens dicti Fratris regimen, infirmamque præceps manum caderet; utpote in qua activæ forte haud minus, quam contemplativæ vitæ ſtudia requiruntur. Qui quidem habuerat eo tunc familiare ſuper his reſponſum, prout & Apoſtolicæ Sedis reverentia, & noſtra rationabili excuſatione dignum videbatur. Rogatus præterea fuerat, ne hanc turbandæ LIBERTATIS noſtræ non ſuſpicionem modo, ſed apertam ſpeciem, obverſari amplius ante oculos ſineret, neve eam ſibi hoc aditu compararet notam, ut opinaremur eundem per ſpeciem alienæ fungendæ vicis, non religionis, ſed ſuas opes expetere. Itaque his habitis revolvitur annus, nobiſque nunc inſtitutam conventionem generalem iterato agentibus, vulgatum fuit in medio noſtri, auditumque cum ingenti tædio, in facto Prioratus prænotati amplius proceſſum fuiſſe, multipliceſque ſententias ac cenſuras, item aperta gravamina, fulminatas, ac etiam promulgatas, per quas præfatus Frater Valentinus magis magiſque inſtare videtur, ad conſequendum votum ſuum; neque id, quo pacto aſſequeretur, quidquam penſi habere, quandoquidem libertati noſtræ, ab olim vinci neſciæ, immoderata vis indicitur.

Indigna, Beatiſſime Pater, devotione fideque noſtra hæc ipſa turbulenta novitas, quæ poſt aliorum plurium quietem turbinum exoriens, rem, magno intervallo diſuetam, uſurpat. Nam ſatis quidem domitos reputabamus animos menteſque noſtras ad omnem reverentiam Apoſtolicæ Sedis confovendam, quibus hoc genus coërcendi parum ſcimus an licuiſſet adjicere, ut in ſui, patriique juris jacturam *ſupra debitum tenderentur. Et recte quidem ſupra debitum, ubi pati compellimur* jura dignitatemque coronæ noſtræ, *& nos pariter contemnere invicem, & contemni. Quo ſane facto, cum apertius jam conſueti ſtatus noſtri fragos increpuerit*, mos, lexque *aſpernantur,* libertas *labet, æqua reſtitutioni noſtræ remedia* (1) *curare*

1) *Quia intendebant fratrem Valentinum omnino prohibere non ſolum*

Digitized by Google

rare opus habuimus. Verum inprimis querelas ſuperinde refugiaque noſtra confidenter ad ſanctam Apoſtolicam Sedem referimus, cujus præcipue intereſt, ut ſubjecta ſibi regnorum jura conſervet prius, quam moderetur, *prætendentes palam, proponenteſque, ac etiam* manu uſque tenentes, *circa omnium hujus regni beneficiorum* diſpoſitionem & collationem Jus Patronatus Regium, libertatem regni, ac Privilegia, legemque, *ut ita dicamus, ſupra hominum memoriam approbatam, & nihilominus tolleratam. Accedit &* conſuetudo, *cui ſuperiorum Pontificum temporibus incorrupto hactenus favore delatum novimus. Quibus omnibus paterno judicio acceptis, placeat Beatitudini veſtræ, hæc noſtra quoque tempora, hoc impedimento abſolvere, in quo non ipſi Stephano Præpoſito, ſed communi noſtræ* libertati *viam graſſari ad injuriam conſpicimus; nec in re ipſa ſinat* Jura Coronæ Regiæ, *ſicut contemni hactenus, ſic deinceps ludibrio fore: ita enim & præfatæ Eccleſiæ, & noſtræ expectationi vere proviſum reputabimus, ſi ſubmotis cenſuris, ac proceſſibus prænotatis, ipſa vexata Eccleſia nomini ſuo, & ſtatui originali, item prætacto Rectori reſtitueretur, ſicque; eo ordine juxta diſpoſitionem Gubernatoris noſtri, & noſtram ſupratactam, non Apoſtolica authoritas, ſed noſtra inquetudo minorabitur.*

Quæ quidem, ut Sanctitas veſtra decernere, & inſtituere dignetur, iterum ac iterum devotiſſime ſupplicamus; quibus rebus nihil ſolidius, nihil denique in perdurando præſtantius, eidem Eccleſiæ afferri, & provideri poterit. Nam ſi Beatitudo veſtra antefatæ religioni, vel dicto fratri Valentino adeo afficitur, ut ejus ſinum amplificare libeat; alia certe dote nova opus eſſet: in hoc enim veteri commodius erit omnium noſtrorum libertatem, *quam unius palam* licentiam *malle. Enimvero caſu, quo in re ipſa, & hac vice, neglecti fuerimus, idemque frater Valentinus ante dictus proceſſibus & cenſuris inniti ſtatuerit, aperta facie dicimus, proſequi quidem poterit, ſed an aſſequi etiam, in dubio ſitum eſt; præſertim ſi* libertate læſa, Juri Patronatus quoque Regio vulnus adjiciet. *Verumtamen hoc unum, ſalva Apoſtolica authoritate & reverentia, ſine dubio noverit, ita induxiſſe in animum, ita denique omnium generalem voluntatem eſſe, ut in dicta Eccleſia* hoſti prius, quam tali hoſpiti licebit portas patefacere, quique libertati in regno finis, idem regno fiet. *Proinde Beatitudo veſtra ſi devotam ſibi fide & officio ſalvam cupit eſſe Hungariam, patiatur*

a Prioratu, ſed etiam a Regno. Margo.

tur & liberam *fore; de cujus tuenda cauſa jam forte latius prolocuti ſumus; dum nos ejuſce illatæ turbationis piget, tædetque. Conſervet Dominus Sanctitatem veſtram feliciter regimini Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, cujus pedibus nos humiliter recommittimus. Datum in Conventione noſtra Generali Peſtienſi XII. die menſis Junii, Anno Domini* CCIↃCCCL.

E. V. S.

Devoti Oratores & ſervi,

PRAELATI, BARONES, COMITES, MILITES,
ET
PROCERES REGNI HVNGARIAE VNIVERSI.

Hactenus Status & Ordines Regni Hungariæ; Originem & cauſas acerrimæ litis laudatus ſupra *Topographiæ* noſtræ autor cui rei adſcribat, in bivio, quod mireris, hæret; eſt autem iſta veriſſima: Volebat nempe ſummus Pontifex, a *Valentino*, ut videtur, de Juribus noſtris male edoctus, ex præſcripto recentiorum Canonum, contra vetera ſacræ coronæ noſtræ Jura, diligentiſſime, ut vidimus, a Regibus noſtris conſervata; atque adverſus recentiſſimam Conſtantienſis Concilii confirmationem, pro authoritate ſua beneficium in Hungaria, a Rege & regno haudquaquam electo conferre. Nam cum eo tempore, quo *Ladislaus Poſtumus* coronatus eſt, *Ulricus* Ciliæ Comes, avunculus *Eliſabethæ* Reginæ, ejuſdem *Ladislai* nomine de libertatibus legibuſque Regni tuendis, juratus promiſerit; cum *Joannes Huniades* initio ſui Gubernii Tutorio nomine in eadem jurare verba debuerit: jure meritoque cum *Huniades* Gubernator pro munere ſuo, tum Proceres Regni, quorum res agebatur, novum Pontificis inſtitutum recuſare debuerunt. At neque limites obſervantiæ, Sanctæ ſedi debitæ, conculcaſſe dicendi ſunt, iſto proloquio uſi: *Res autem ſuadet aperta fronte diſſerere; utpote ubi pro libertate agitur, pro qua nemini mortalium probro ducitur, ſi ampliori licentia parumper, vel opera, vel verba effuderit.* Enimvero *Bela IV*, cujus exemplum hic, ut videtur, Proceres imitari voluerunt, tametſi Sanctæ Sedis eſſet obſervan-

Digitized by Google

vantiſſimus, in perſimili tamen Juris hujus Regii periculo ad *Innocentium IV.* ſcribere haud quaquam dubitavit: *Hoc igitur tantum poſſe debetis, ut fiducia filiali diximus, quod de jure poteſtis; non enim debet inde injuriarum naſci occaſio, unde jura prodierunt.* Verum de hoc conſtituat quivis, per me licet, ut volet; illud, ſententia mea, extra omnem controverſiam omnino eſt poſitum, nihil opportunius, nihilque utilius poſteritatis gratia olim evenire potuiſſe. Nam cum pro Jure hoc noſtro Reges ſolum apud ſummos Pontifices perorare adhuc audiverimus; nunc Procerum etiam univerſi regni ingenuam, & quæ ipſam libertatem non dedeceat, vocem exaudire licuit. Singularem vero attentionem animi merentur illa *Huniadis* in epiſtola ſua ad Pontificem verba: *Novi quippe*, inquit, *communitatis noſtræ mentem bis cenſuris magis fore duratam; novi denique, quot qualeſque inventiones meo quoque officio exagerent, rati, incuria aliqua rem iſtam turbulentam adoleviſſe: utpote cui ad prima principia expandi proviſionem maluiſſent; ut jus, mos, libertaſque Patriæ in tuto forent.* Diſcant hinc, qui ignorant, qua libertate, diligentia, religione Hungari Juribus ſuis invigilent. *Huniadem*, Regni Gubernatorem, non dignitas ſua, non immortalis illa in bellis virtus in Comitiis Regni, nullis adhuc religionum novitatibus concitati, tegere potuit, quin Hungariæ Ordines, *incuria ejus aliqua rem iſtam turbulentam adoleviſſe rati*, libere & palam officii admonerent; quodque primas incendii ſcintillas continuo non reſtinxerit, etiam *exaggerare* auderent.

C A P V T XV.

Ladislaus Poſtumus Archiepiſcopi Strigonienſis Primatis Ungariæ & Legati Nati titulos confirmari a Pontifice obtinet: Matthias Corvinus, ut in omnibus Regni Hungariæ Juribus tuendis Primus, ita neque in hoc Jure Patronatus Regio propugnando ſecundus.

Anno CIↃCCCCLII. *Fridericus III. Ladislaum Poſtumum*, Roma ſecum reducem, Auſtriæ, Hungariæ, Bohemiæ Ordinibus tandem aliquando reddit; cui Viennæ fidem jurati promittunt. Primatis Ungariæ & Legati Nati titulos Archiepiſcopo Strigonienſi ad preces *La-*

diſlai, dum Romæ ageret, a *Nicolao V.* fuiſſe confirmatos, ex litteris Pontificis, quæ vulgo etiam notæ ſunt (1), certum eſt: *Nos*, inquit Pontifex, *modernum, ac pro tempore exiſtentem Archiepiſcopum Strigonienſem, ſicut poſt Regem præfatum primus exiſtit, ita etiam in Parlamentis & quibuſvis aliis actibus egregiis, poſt ipſum Regem, primum locum, & primam vocem obtinere debere, &c.* Anno CIↃCCCCLVII. *Ladiſlaus* Rex, inquit Timon, delicium humani generis appellatus, florentiſſimo ævo XXIII. Novembris extinquitur; cui anno proxime ſequenti *Matthias Corvinus, Joannis Huniadis Corvini* filius, divino potius, quam humano auxilio ſucceſſit. Quid autem de hoc paucis & vere proferam? quid? nempe non alio unquam ſub Rege Jura & coronam Regni Hungariæ fuiſſe tuta. Enimvero de Jure Patronatus Regio centena ſunt, quæ ejus tuendi incredibile Matthiæ ſtudium teſtentur ſimul & commendent: unum ex omnibus unice adferam, quod lectoribus meis pro centum millibus futurum eſſe, haudquaquam deſperem. *Anno* CIↃCCCCLXXX. *Joannem Aragonium*, verbis eruditiſſimi Schmitthii utor, *Ferdinandi, Regis Neapolitani filium, Reginæ Hungariæ fratrem, S. Hadriani Diaconum Cardinalem, Strigonienſi infula donavit. Venerat is anno ſuperiore in Hungariam Legatus Apoſtolicæ ſedis, a Matthia connubia nocte Regium in modum Budæ acceptus. In Urbem reverſus hoc anno nomine Regis, ſpem ſimul abſtulit primariæ cathedræ ut primum redierit.* Egit idem *Aragonius* Romæ etiam anno CIↃCCCCLXXXIII, Regis nomine: eodem, ut videtur, anno epiſtolam de impedimentis belli Turcici *Matthias* ad eundem dedit plenam juſtiſſimæ querelæ, cujus pars non parva Jus hoc noſtrum Regium fuit. Fragmentum ejus epiſtolæ, ab Ill. *Réwajo* editum (2), eſt hoc exemplo: *Nobis*, inquit, *non deeſſet ſtudium, & ardor, ad defenſionem Chriſtianam, dummodo aliorum quoque animi pari voto ad tam neceſſarium, piumque, & Sanctum opus concurrerent. Sed profecto dolemus, nos poſt multos, & aſſiduos labores, quos ſine intermiſſione pro fide, & defenſione Chriſtiana ſuſcipimus, ſæpius a Pontifice, a quo aliam gratiam mereremur, conturbari; & antequam juſtitia noſtra cognoſcatur, ipſum in aliorum tranſire ſententiam, quemadmodum fecit, dum quæ a nobis inique per Venetos occupata, omnem illis fovo-*

rem

1) *Vid. Rev. Schmitth. Archiep. Strig.*
2) *De Sacra Corona Centuria V. In ſcriptoribus Hung. Edit. Schwant. Tom. II. P. II. p. 677.*

rem Pontifex contra nos oſtendit, & nobis inauditis illorum ſuggeſtionibus inclinatus eſt. Fuit & hoc nobis grave, quod jus noſtrum, in electionibus Prælatorum Regni noſtri, a prædeceſſoribus noſtris Regibus devolutum ad nos, turbare voluit; cupiens aliis, cum noſtro præjudicio, & juris noſtri detrimento, de Epiſcopatu Modruſienſi, qui ad noſtram electionem ſemper pertinuit, & pertinet, complacere. Nec conſiderat, quantum nobis ea res præjudicii inferat, & quam impoſſibile ſit nobis in ea re Pontifici morem gerere, & id tolerare. Credimus id non faceret, ſi ſciret, quanti momenti ea res apud nos Hungaros reputatur. Quod quidem in his diebus patuit, cum certos Regnicolas harum partium feceramus convenire, a quibus tanti clamores ſunt contra nos habiti, quod nos jura noſtra negligamus, ut profecto veriti ſimus, ne populus omnis in ſeditionem verteretur. Et ut aperte cognoſcat, certo ſcire Pontifex debet, duplicatam illam crucem, quod Regni noſtri eſt inſigne, gentem Hungaricam libentius triplicare, quam in id conſentire, ut beneficia, & Prælaturæ, ad jus Coronæ ſpectantes, apud Sedem Apoſtolicam conferantur.

Hæc *Matthias Corvinus*, Hungariæ Rex; vel omnes potius omnium ætatum Hungariæ Reges, *Matthiæ* deceſſores, teſtimonio univerſæ vetuſtatis; cujus monumenta, ſparſas veluti a naufragio in litore tabulas, pio officio colligere, & poſteris conſervare labore hoc meo ſtudui.

CAPVT XVI.

Mathiæ Corvino e vivis exempto ſuccedit Vladislaus Secundus; ejuſdem de Jure Patronatus Regio promerita; Tripartiti noſtri Partis I. Titulus XI. cujus cauſa hoc opuſculum conſcripſimus, Lectori exhibitus.

Anno cIↃcccc xc *Matthias Corvinus* naturæ debitum perſolvit; cujus ſucceſſor eodem anno Idibus Julii declaratus eſt *Vladislaus* Bohemiæ Rex, riteque coronatus XI. Kal. Octobris Anno cIↃccccxcv. a *Vladislao* & Ordinibus Regni perlatæ ſunt de Jure hoc Regio ſeveræ & ſaluberrimæ leges; *Vladislai II. Regis Decret. II. articulo* 30. 31. 32. quarum epigraphæ ſunt hæ: I. *Externis beneficia Eccleſiaſtica non con-*

conferantur: collata auferantur; ſi ad reſidentiam vocati a Rege non venerint. II. Externi beneficia Eccleſiaſtica, ſi ab aliis, quam a Rege; vel aliis, quam in Regno jus patronatus habentibus, impetraverint; ad aquam projiciantur. III. Officia, ſive Vicariatus Eccleſiaſtici externis non conferantur. Anno CIↃIↃI *Vladislaus* Rex *Ladislaum Gerebum*, ut alios omittam, Epiſcopum Tranſilvanum ad Colocenſem Metropolim tranſtulit. Regiæ litteræ, eam ob rem datæ, exſtant cum alibi tum etiam *in Natalibus Archiepiſcopatus Colocenſis pag.* 119. ubi *Vladislaus*, recenſitis *Gerebi* laudibus, hæc ſubdit: *Inducti igitur præmiſſis virtutibus & meritis ejuſdem Domini Epiſcopi, quibus eundem ornatum eſſe, propria noſtra experientia comperimus; eundem, tanquam probatum, & de nobis, atque hoc Regno, cum præfato Fatre, ſcilicet Domino Palatino optime meritum, de ipſa Eccleſia Tranſylvanienſi ad Archiepiſcopatum Eccleſiarum Colocenſis, & Bachienſis, nunc per mortem Reverendi quondam Domini Petri, earundem Eccleſiarum, ultimi, veri, legitimi, & immediati poſſeſſoris, de jure, & de facto vacantis, AVTHORITATE JVRIS PARRONATVS NOSTRI REGALIS, duximus transferendum, eligendum & nominandum; ipſique Archiepiſcopatum, ſimul cum caſtris, civitatibus, oppidis, villis, ac proventibus devenire, & ab antiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus, eidem dandum, & conferendum. Imo transferimus, eligimus, nominamus, & conferimus præſentium per vigorem &c.* Hæc *Vladislaus*; At enimvero ridiculus plane ſim, ſi in iſta Juris hujus Regii, ut ita dicam, meridie lucem porro accendere velim. Non invito igitur, ut exiſtimo, lectore opus hoc finiam, & ad extremum perorabo. Anno CIↃIↃXIV. a *Stephano* de *Werböcz*, Judice Curiæ & Collegis, Vladislai Regis juſſu, Jura legesque & conſuetudines Regni noſtri collectæ, Tripartiti Operis titulo inſcriptæ, & ab laudato etiam Rege ad preces Procerum & ordinum Regni ſunt confirmatæ. Jus Patronatus Regium, ut notum, locum vetuſtiſſimæ apud nos legis obtinet ejusdem Tripartiti Operis Part. I. tit. X. & XI. cujus authoritate Regum noſtrorum Jus eligendi, transferendi, deponendi, Prælatos Regni Hungariæ; item Jus in beneficia Eccleſiaſtica, ab eorumdem morte vacantia, docere & tueri adhuc conſuevimus ob rationes, quas proh dolor! pro diplomatibus & tabulariis omnibus a Majoribus acceptas, laudato ſupra Tit. VI. Triboniani noſtri poſte-

Digitized by Google

poſteris conſignarunt. Igitur teſtimonio ejus tituli Jus hoc Regibus noſtris competit ob rationes quatuor, quas totidem verbis huc transferre non gravabor:

§. 1. Primo *ratione fundationis Eccleſiarum*: *Quia Reges Hungariæ cum ſoli fuerint omnium Eccleſiarum, & Epiſcopatuum, Abbatiarumque, & Præpoſiturarum in hoc Regno fundatores, per ejuſcemodi fundationem, omnem facultatem juris patronatus, nominationis, electionis, ac collationis beneficiorum, ſibi ipſis acquiſierunt, & vendicarunt: Qua ex cauſa, juris videlicet patronatus ratione, pertinet ſemper ad Reges noſtros hoc in Regno beneficiorum Eccleſiaſticorum collatio.*

§. 2. Secundo, *ratione ſuſceptæ Chriſtianitatis: Quia Hungari non per prædicationem Apoſtolicam, vel Apoſtolorum, quorum Principis vicem, & perſonam in terris Papa gerit, ſed per inſtitutionem proprii Regis eorum, Sanctiſſimi videlicet Stephani Regis, de quo & ſuperius memini, converſi ſunt ad Catholicam fidem: Qui primus omnium, Epiſcopatus, Abbatias, Præpoſituras hoc in Regno fundavit, & harum omnium Eccleſiarum Prælaturas, ac beneficia ſolus ipſe, ex nutu ſummi Pontificis, quibus maluit (idoneis tamen & virtutibus probitatum inſignitis) contulit. Sicuti Eccleſia de eo ſolenniter canit:* Hic (*videlicet Sanctus Stephanus*) ad inſtar Salomonis, ſtruit templa, ditat donis, ornat gemmis, & coronis, cruces, & altaria. *Ex mox ſubinfertur*: Ad regendum hæc, Prælatos, viros ponit litteratos, juſtos, fidos, & probatos, ad robur fidelium. Sic talentum ſibi datum, Deo reddens duplicatum, ab æterno præparatum ſibi, ſcandit ſolium. *Ecce aperte deſcribitur, quod ipſe, & non alter quiſpiam ad regenda templa per eum conſtructa, doniſque ditata, Prælatos juſtos, & fidos poſuit, prout ex ejus quoque hiſtoria, & pluribus privilegiis ſuper Eccleſiarum fundationibus & dotationibus, confectis, liquide patet. Itidem, & plerique Cæſarii, ac Pontificii juris interpretes, ſuis commentariis conſcriptum prodidere.*

§. 3. *Unde etiam* Rex, & Apoſtolus *dici meruit, eo quod vices Apoſtolorum in terris, prædicatione, & bonorum operum, atque exemplorum exhibitione geſſit. Et propterea duas quoque cruces, per collationem ſummi Pontificis, in ſignum ſuæ ſanctitatis, quod ſcilicet Rex, & Apoſtolus juſte diceretur, digne meruit habere pro armorum inſignibus. Unde ab illius tempore gens Hungarica* duplicatam crucem *pro armis, ac inſigni-*

Digitized by Google

ſignibus habere pariter, & geſtare conſuevit. *Inſignium namque quatuor fluminum ſcilicet* Hiſtri, *ſeu* Danubii *ac* Thybiſci, *ſeu* Thyciæ; *nec non* Zavæ & Dravæ, *a Regno Pannoniæ, quod modo Hungari incolunt, atque inhabitant, pro ſe vendicavit.*

§. 4. Tertio, *ratione legitimæ præſcriptionis: quoniam Reges Hungariæ a tempore regiminis ejuſdem Beatiſſimi Stephani noſtri Regis, qui anno Dominicæ Incarnationis, primo ſupra milleſimum, in Regem Hungaricæ gentis feliciter inunctus pariter, & coronatus eſt, ad hæc uſque tempora, ſemper in reali, & pacifico uſu, ac poſſeſſione collationis hujuſmodi beneficiorum Eccleſiaſticorum, plus quam per quingentos annos perſiſtentes, tempus præſcriptionis jurium Eccleſiaſticorum, etiam ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, iteratis vicibus dudum tranſcenderunt.*

§. 5. Quarto, *quia iſta libertas Regni, quantum ad beneficiorum collationes, olim tempore Domini Sigiſmundi Imperatoris & Regis noſtri, una cum complurimis libertatibus hujus Regni, in generali, ac celebri Concilio Conſtantienſi (cui triginta & duos Cardinales, demptis aliis viris Eccleſiaſticis, & multis Principibus Chriſtianis præfuiſſe conſtat) corroborata, juriſque jurandi religione firmata fuit: prout in Bulla ſuperinde confecta, clare continetur.*

CAPVT. XVII.

Prolatus modo TITVLVS ope Hiſtoriæ noſtræ illuſtratur; ſive omnis hujus conatus noſtri ſcopus & finis.

Atque hæ quatuor illæ *rationes* ſunt, quibus Jus Patronatus regium, ex inſtituto & legibus majorum, tueri conſuevimus. Continent res memoria poſterorum digniſſimas quam plurimas. In illis eminet integerrima ſanctiſſimaque majorum noſtrorum fides ac ſinceritas, qua *rationes* iſtas litteris conſignarunt: non enim facile alibi reperiantur aliæ, quæ priſcarum litterarum fide, bullarum ſanctitate, facilius, fortiuſque tueri ſe poſſint. Ait quippe *Werböczius* noſter, Regibus noſtris hanc poteſtatem deberi *Ratione fundationis Eccleſiarum.* Decem Epiſcopatus Divo regi *Stephano* originem ſuam ſeque ſuaque debere, celebriores deinde abbatias, monaſteria, templa, regia prorſus

ſus

Digitized by Google

ſua munificentia ab eodem Divo Rege eſſe condita, vetuſtorum monumentorum locupletiſſimis teſtimoniis oſtendi opellæ hujus meæ Lib. I. cap. XI. Item Lib. II. cap. I. II. III. IV. V. Quæ eccleſiæ, abbatiæ, monaſteria, templa, ab aliis Regibus noſtris ſint poſita, obiter ad notavi, ubi id propoſito meo conſentaneum eſſe, cenſui: juſtum enim volumen facile quis impleat, ſi eam materiam dedita opera colligere, & in litteras mittere velit. Tuetur fidem meam exemplum *Petri Pazmáni*, Strigonienſis Archiepiſcopi, & S. R. E. eminentiſſimi Cardinalis, qui in *Appendice* ſua, typis vulgata Péterfii ſtudio, Concil. Hung. P. II. p. 273. nudis abbatiarum, præpoſiturarum, monaſteriorum, nominibus plures paginas replet; & vel ſolus ea diligentia præclare docet, vera ſcripſiſſe *Werbőczium*: *Reges Hungariæ ſolos fuiſſe omnium Eccleſiarum & Epiſcopatuum, abbatiarumque & præpoſiturarum in hoc Regno fundatores*: cum eas aut ipſi pietate ac liberalitate ſua condiderint, opibus auxerint; aut a ſuis condi ditarique permiſerint.

Alteram *Werbőczius* Rationem eſſe prodidit: *Modum ſuſceptæ Chriſtianitatis. Quod*, inquit, *Hungari non per prædicationem Apoſtolicam, ſed per inſtitutionem proprii Regis eorum Sanctiſſimi Stephani converſi ſint ad Catholicam fidem.* Cur *inſtitutionem* iſtam, pro Jure Patronatus regio, majores noſtri in argumentum ſumſerint, cauſam facile intelliget, qui diſciplinam ejus temporis Eccleſiaſticam recolere volet. Multum quippe tum intererat, cujus juſſu, vel auſpiciis regnum aliquod ad fidem Catholicam fuerit adductum. Anno 1238. *Gregorius IX.* Summus Pontifex, *Belam IV.* Hungariæ regem, permovere ſtuduit, ut contra *Aſanem*, Bulgariæ principem, qui relictis Latinorum partibus ad Græcos Schiſmaticos deſciverat, *Nomine Apoſtolicæ ſedis*, arma ſummeret. *Pontificis & aliorum præſulum*, inquit Raynaldus, *precibus ſolicitatus* Bela, *ingentibuſque propoſitis præmiis erectus, quamvis cum* Aſane *arctioribus affinitatis vinculis irretitus eſſet . . . inferendi* Aſani *belli provinciam* Nomine Apoſtolicæ ſedis *admiſit, ac nonnulla a Pontifice ſibi concedi flagitavit. Primum illud ac gravioris momenti fuit, ut ſibi legationis dignitas exemplo S. Stephani conferretur.* Hæc *Raynaldus*; ex quo etiam verba *Belæ* accipe: *Petimus*, inquit Bela, *ut officium legationis non alii, ſed nobis in terra Aſſani committatur, ut habeamus poteſtatem limitandi.*

tandi diœceſes, diſtinguendi parochias, & in hac prima inſtitutione poteſtatem habeamus ibi ponendi epiſcopos de conſilio prælatorum & virorum religioſorum; quia hæc omnia beatæ memoriæ anteceſſori noſtro S. Stephano *ſunt conceſſa: illa potiſſimum ratione, quia ſi cum Legato ſedis Apoſtolicæ partes illas ingreſſi fuerimus, ab univerſis illarum partium incolis præſumetur, quod non nobis ſed Rom. Eccleſiæ eos velimus etiam in temporalibus ſubjicere; quod ipſi tam plurimum abhorrerent, ut quamplurimi, quos ſine pugnæ certamine poſſemus obtinere, uſque ad mortis periculum ſe defendere niterentur: nobis enim & aliis Chriſtianis frequenter improperant, quod Eccleſiæ Rom. ſervi ſimus.* Hæc *Bela* rex, Legationis officium, Divo *Stephano* conceſſum, in Bulgariam quoque extendere quærens; certus alias, pro more & diſciplina illius temporis, ſi *Nomine Apoſtolicæ ſedis* Bulgariæ principem ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ adduceret, illum ſimul Legatum Apoſtolicum in Bulgaria futurum, quem dicta Eccleſia eo mittere volet. De initiis religionis Chriſtianæ inter Hungaros diſſerui, quam diligentiſſime potui, toto fere *libro Primo*, præſertim autem cap. III. Ad *inſtitutionem*, ſive *prædicationem* S. Stephani quod attinet, eam Silveſtri II. Summi Pontificis, & Anonymi *Belæ* regis *Notarii*, teſtimoniis clariſſime, niſi fallor, oſtendi Lib. I. cap. X. & cap. XI. Adducti ergo ſunt ad Chriſti fidem Hungari, *non per prædicationem Apoſtolicam*, ſive *Nomine Apoſtolicæ ſedis*, ſed *per inſtitutionem proprii Regis eorum*, ſive nomine Ducis eorum Divi *Stephani*, qui, licet ita a Latinis Chriſtianæ doctrinæ magiſtris inſtitutus eſſet, ut Succeſſorem Divi Petri, Apoſtolorum principis, verum eſſe Chriſti in terris Vicarium crederet; tamen id publico ac ſolenni ritu non prius Romæ teſtatus eſt, quam adducta ad Chriſtum gente ſua pene univerſa, fundatiſque epiſcopatibus, abbatiis, erectis templis & Eccleſiis &c. Adteſtantur hoc monumenta ejus ævi omnia, *Piligrini* & *Benedicti* Litteræ pag. 16. & ſeqq. a nobis prolatæ: *Ditmarus*, Merſeburgenſis Epiſcopus, Divo *Stephano* Scriptor coævus (1); *Silveſter II.* Summus Pontifex in epiſtola ſua ad Divum regem miſſa: *Et quia*, inquit, *nobilitas tua Apoſtolorum gloriam æmulando, Apoſtolicum munus, Chriſtum prædicando, ejuſque fidem propagando gerere non eſt dedignata &c.* Denique *Chartuitius* in Vita Sancti cap. II. n. 10. ubi ait: *Aſtricum*, Colocſenſem epi-

1) *Vide ſupra. p. 34.*

Digitized by Google

epiſcopum, ad limina Sanctorum Apoſtolorum a divo rege fuiſſe miſſum: *Ut a ſucceſſore S. Petri Principis Apoſtolorum poſtularet, quod novellæ Chriſtianitati exortæ in partibus Pannoniæ largam benedictionem porrigeret, Strigonienſem Eccleſiam in Metropolim, ſuæ ſubſcriptionis auctoritate, ſanciret, & reliquos epiſcopatus ſua benedictione muniret.* Atque hæc illa merita ſunt, ob quæ S. Rex officium Legationis in Regno ſuo non alii, ſed ſibi ſuiſque legitimis ſucceſſoribus a *Silveſtro II.* ſummo Pontifice committi petiit, & obtinuit; teſte etiam *Bela IV.* cujus vel maxime indicio PACTA divi regis cum Romana ſede MVTVA deteguntur; quemadmodum jam pridem obſervavit Eminentiſſimus *Pazmánus*, ejus rei gratia teſtis a nobis ſupra citatus pag. 49.

Tertiam Rationem *Werböczius* dat, *Legitimam Præſcriptionem: Quia*, inquit, *ab anno Incarnationis Dominicæ primo ſupra milleſimum ad annum* CIↃIↃXIV. *Reges noſtri ſemper in reali & pacifico hujus Juris uſu ac poſſeſſione fuerunt, & tempus Præſcriptionis jurium Eccleſiaſticorum, etiam ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, iteratis vicibus dudum tranſcenderunt.* Poteſtatem hanc divo regi fuiſſe conceſſam a *Silveſtro II.* Pontifice, anno *milleſimo*, ſeptima & vigeſima menſis Martii, ſive die Mercurii ſanctæ hebdomadæ, oſtendi pluribus Lib. I. cap. IX. Integro ſeculo undecimo, ſive, a ſuſcepta a majoribus noſtris Religione Chriſtiana, *Primo*, Reges noſtros *in reali & pacifico* hujus Juris uſu fuiſſe, probatiſſimorum diplomatum authoritate & fide docui Lib. II. integris decem primis Capitibus; ubi præterea innui, ne a *Gregorio* quidem *Septimo*, acerrimo Eccleſiaſticarum libertatum vindice, Jus hoc noſtrum in dubium eſſe vocatum; cum datis ad *Salomonem* Regem litteris ſuis, Regnum Hungariæ Romanæ ſedi oblatione *S. Stephani* eſſe obnoxium, unice contenderit; quemadmodum clariſſime oſtendi ejuſdem *ſecundi Libri* cap. VII. VIII. IX. Prima lis de Jure noſtro fuit anno CIↃCII. de juramento videlicet, *Hugolino* Colocenſi Archiepiſcopo, a *Paſchali PP. II.* miſſi tempore pallii oblato. Reſcripſerat quippe Pontifici *Hugolinus*, *Regem Colomanum & regni Majores admiratione fuiſſe permotos, quod pallium ei ab Nunciis Apoſtolicis tali conditione fuerit oblatum*; teſte ejuſdem *Paſchalis PP.* epiſtola, ejus veritatis gratia Lib. II. cap. XI. a me prolata. Igitur prima Juris noſtri regii *Præſcriptio* eſt legitima; quia, nullo in Eccleſia Hungarica intercedente

 ſchis-

Digitized by Google

ſchiſmate, CENTENARIA; *quæ contra Romanam etiam ſedem currit. Tit. de Præſcrip. cap. XIV.* Anno cIↄcxII *Colomanus* Rex Jus quidem *Inveſtituræ* per epiſcopalia ornamenta remiſit, ſed ceteras omnes, quæ ad Jus Patronatus pertinent, prærogativas, ſibi & ſuis legitimis ſucceſſoribus, retinuit his plane verbis: *Et ſi quid in Electionibus bujusmodi minus canonice retro actum eſt, de cætero, Deo volente, cavebimus;* ut invicto argumento probavi Lib. II. cap. XII & XIII. *Geyſam Secundum, Belam III.* ejus filium, nec non *Emericum* nepotem, Jus hoc regium in *deponendis* ſolum & *transferendis* Hungariæ Prælatis *Pontificum conſilio* circumſcripſiſſe, teſtimonio diplomatum explorantiſſimæ fidei plena in luce collocavi Lib. II. cap. XIV. XV. XVI. & XVII. Eadem prorſus lege memoratam *limitationem* intellectam obſervatamque fuiſſe ab *Andrea II. Henrici* ſucceſſore, luculentiſſimis vetuſtarum litterarum teſtimoniis adſerui Lib. II. cap. XVIII. quæ altera CENTENARIA Præſcriptio eſt. Quid *Bela IV. Andreæ II.* ſucceſſor, *Ladislaus IV. Carolus I. Ludovicus I. Sigiſmundus* Imp. & Rex, *Joannes Huniades* pro *Ladislao* Poſtumo regni Gubernator, *Matthias Corvinus*, ejus filius, pro Jure hoc ſuo egerint, quanta Religione & fortitudine illud defenderint, docui verbis diplomatum ſanctiſſimæ fidei Lib. II. ultimis capitibus & toto Libro III. Igitur vere, & digne ſinceritate ſua ac fide, ſcripto nobis tradiderunt Majores noſtri: *Tempus præſcriptionis jurium Eccleſiaſticorum, etiam Sanctæ ſedis Apoſtolicæ, ITERATIS vicibus Reges noſtri dudum tranſcenderunt.* Habemus poſteri arcem aheneam, ſervando Juris noſtri Palladio, a Majoribus noſtris conditam; habemus æquiſſimam rationem, qua pertinaciſſimis quibuſque facile perſuadeamus, Jus hoc Regum noſtrorum & Coronæ, utpote *bona fide & juſto titulo* poſſeſſum, quamvis acerrime frequenter, ut a *Joanne* & *Matthia Corvinis* factum, *legitime* tamen ſemper fuiſſe defenſum: *legitime*, inquam, idque ſacrorum etiam Canonum authoritate: *Tit. de Jurejurando c. XXXIII.* cum Reges noſtri ob juramentum ſuum, coronationis tempore Regno præſtitutum, *Jura regni ſui & honorem Coronæ illibata ſervare* teneantur.

Quartam *Rationem Werböczius* noſter his verbis prodidit: *Quia,* inquit, *iſta libertas Regni, quantum ad beneficiorum Collocationes una cum plurimis libertatibus hujus Regni a Conſtantienſi Concilio fuit confirmata:*

prout

Digitized by Google

prout in Bulla ſuperinde confecta clare continetur. De memorata hic Bulla pluribus egi Lib. III. cap. VIII. &, quod ſciam, latere adhuc eam in tenebris, dixi; quæ cauſa eſt, cur de *compluribus libertatibus illis* nihil exacte ſcribere queam. Porro *Werböczius* ait: *Quantum ad beneficiorum collationem*; quæ excludere videntur illa: *quantum ad electionem, translationem, depoſitionem Prælatorum & Jus Regaliæ.* Videntur, inquam, haudquaquam tamen excludunt; cum electio ad collationem beneficii cum ipſa collatione indiſſolubili nexu conjuncta ſit: *Werböczius* deinde ipſe Trip. P. I. tit. 10. §. 3. vetuſtam legem noſtram his verbis incluſerit: *Præterea cunctorum quoque Dominorum Prælatorum, & Virorum Eccleſiaſticorum Princeps ipſe noſter verus pariter, & legitimus ſucceſſor eſt.* Et *Titulo* proxime ſequenti §. 1. *Quia Reges Hungariæ cum ſoli fuerint omnium Eccleſiarum & Epiſcopatuum, Abbatiarumque, & Præſiturarum in hoc Regno fundatores, per ejuſcemodi fundationem, omnem facultatem Juris Patronatus, Nominationis, ELECTIONIS, ac collationis beneficiorum ſibi ipſis acquiſiverunt, & vendicarunt.* Quæ manifeſtiſſimo indicio ſunt, recentiorum ſynodorum canones quosvis, qui Juri huic Patronatus Regio eſſent contrarii, in Regno noſtro nunquam fuiſſe receptos. Atque vel ex his clariſſime, ut exiſtimo, ellucet, quatuor noſtras pro Jure Patronatus Regio *Rationes* nequaquam Triboniani noſtri *Werböczii*, vel conlegarum ingenio & fide, aut Regum noſtrorum illegitima quadam præſcriptione; ſed teſtimonio omnis vetuſtatis, authoritate diplomatum exploratiſſimæ fidei, ſanctitate Bullarum inniti: quod oſtenſum comprobatumque relinquere poſteris ſcopus propoſiti hujus mei fuit unicus &

F I N I S.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX
DE AVTHORITATE CONCILII TRIDENTINI IN PRAESENTI ARGVMENTO.

§. I.

Opuſculum hoc meum de *Jure Patronatus Regio* Apoſtolicorum Hungariæ Regum ad annum CIↃDXIV. ut vidiſti benevole Lector, Deo bene favente, jam perduxi. Quæ reliqua fortuna ad præſentem hunc CIↃDCCLXI. annum, quisve illius uſus in Eccleſia Chriſti Hungarica fuerit, per te facile intelliges, ſi, cum viris rerum & Jurium noſtrorum longe peritiſſimis, pro certo indubitatoque habeas, leges noſtras omnes, quæ ad Jus hoc noſtrum attinent, *Werböczii* ſtudio collectas, & memorato ante anno in Comitiis Regni a *Vladislao* Rege confirmatas, poſt *Tridentinum* etiam *Concilium* de integritate authoritateque ſua nihil unquam amiſiſſe. Debet ſacra Corona noſtra hujus etiam libertatis ſuæ perpetuitatem Sereniſſimis Regibus noſtris ex Auguſta Domo Auſtriaca; quorum ſingulari pietati, eximiæ prudentiæ, & incredibili fortitudini non hæc ſolum jura vitam & ſpiritum, ſed Hungaria univerſa debet. Sunt in manu mea litterarum monumenta longe fidiſſima, quibus, quod adſerui, docere poſſem; verum de re, de qua nemini adhuc dubium obortum eſt, pluribus differere, neque ingenii noſtri eſt, neque propoſiti. Hoc unum idcirco oſtendere hic ſufficiet, Sereniſſimos Reges

ges noſtros ex Auguſta Domo Auſtriaca, exempla deceſſorum ſuorum Hungariæ Regum, quam religioſiſſime ſequutos, more & inſtituto majorum, ſive ad mentem vetuſtiorum Canonum, Jure iſto Patronatus Regio nunquam non fuiſſe uſos.

Ferdinandus I. Cæſar Aug. & primus pariter e Domo Auſtriaca Hungariæ Rex, Anno CIƆIƆLIII. die VII. Maji *Nicolaum Oldbum*, probatiſſimæ virtutis & doctrinæ virum, Strigonienſi Eccleſiæ Archiepiſcopum dedit. Diploma *Nominationis*, Sopronii editum, publici juris fecit *Péterſius Concil. Hung. Par. II. pag.* 2. Quod quia propoſitum meum mirifice illuſtrat, & modum, verbaque adeo ipſa continet, quibus Apoſtolici Reges noſtri Prælatos ſuos *nominare* ſolent, digniſſimum exiſtimavi, cujus exemplum integrum hic adſcriberem, quod eſt hujuſmodi:

Nos Ferdinandus, Divina favente Clementia, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, ſemper Auguſtus, Infans Hiſpaniarum, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucembergæ &c. Memoriæ commendamus tenore præſentium, ſignificantes, quibus expedit, univerſis. Quod Nos reſpectum habentes ad ſinceram fidem, grataque merita, præclaras, excellentesque animi dotes, ac erga Eccleſias, electionemque miniſtrorum, & ſervitorum Eccleſiarum Dei ſingularem curam Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Nicolai Oldbi, Archi-Epiſcopi Strigonienſis Eccleſiæ, Primatis Hungariæ, Legati nati, Summi & Secretarii Cancellarii, ac Compatris Noſtri (1) *fidelis, & ſincere dilecti, quibus illum Divino munere propria Noſtra plurium annorum experientia ornatum, præditumque eſſe cognovimus, Jus Patronatus Noſtrum Regium, quod ſcilicet in eadem Eccleſia Strigonienſi, ſicut etiam aliis quibusvis Regni Noſtri Hungariæ Eccleſiis, more prædeceſſorum Noſtrorum, Hungariæ Divorum Regum, habere dignoſcimur, animo deliberato, & ex certa Noſtra ſcientia, eidem Domino Nicolao Oldbo Archi-Epiſcopo, tanquam Metropolitano, duximus dandum, & conferendum; damuſque, & conferimus,*

 per

1) Erat *Oldbus* Epiſcopus Zagrabienſis, Cancellarius Hungariæ: *Joannam* Filiam *Ferdinandi* anno 1547. die 24. Januarii natam, Pragæ, cum in aula pro munere ſuo degeret, ſacro fonte abluit, & ex more Eccleſiæ Patrinus levavit. *Péterſius.*

Digitized by Google

per præſentes, & illud in eundem transferimus, annuentes: ut ipſe ad omnia beneficia, Præpoſituras, majores, & minores, Lectoratus, Cantoratus, Cuſtodias, Canonicatus, & Præbendas, ac Parochias, quæ poſthac in prædicta Strigonienſi, aliisque Collegiatis Eccleſiis, & Præpoſituris ad eandem Eccleſiam Strigonienſem pertinentibus, & quorum collatione anteceſſores quoque Archi-Epiſcopi alias uſi fuerunt, quocunque nomine, & titulo, poſthac de jure, & de facto vacare contigerint, dicti Juris Patronatus Noſtri Regii authoritate perſonas idoneas, & bene meritas Eccleſiæque functione dignas fide, vita, moribus, honeſta converſatione, & eruditione præſtantes, eligere, nominare, & acceptare, ipſisque de iisdem more anteceſſorum ſuorum Archi-Epiſcoporum diſponere, ordinare, & providere valeat, atque poſſit. Imo damus, & transferimus harum Noſtrarum vigore & teſtimonio litterarum. Datum in civitate Noſtra Sopronienſi, decima menſis Maji, anno Domini milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo tertio, aliorum vero vigeſimo ſeptimo.

Hactenus *Nominationis* litteræ, a *Ferdinando I. Nicolao Oláho* Strigonienſi Archiepiſcopo datæ; monumentum profecto egregium, & ſucceſſore Divi *Stephani*, Hungariæ Regis, longe digniſſimum. Nam, quæſo, ad vetuſtorum fidem diplomatum quid inuenire queas exactius, quid Diplomaticæ Hiſtoriæ meæ ſimilius? eminet in his Jus Patronatus Regium, quod a pulvere, & longiſſimæ ætatis ſitu, neglectum veluti quodpiam ſignum, pio officio purgare ſtudui. Lucidæ hic ſententiæ omnes ſunt & perſpicuæ. Quippe Ferdinandus ait: *Jus Patronatus Noſtrum Regium, quod ſcilicet in eadem Eccleſia Strigonienſi, ſicut etiam aliis quibuſvis Regni Noſtri Hungariæ Eccleſiis, more prædeceſſorum Noſtrorum, Hungariæ Divorum Regum, habere dignoſcimur . . . . eidem Domino Nicolao Archiepiſcopo . . . duximus dandum & conferendum; damuſque & conferimus.* En jus & poteſtatem Apoſtolici Hungariæ Regis! cujus ſententias & verba pene ſingula vetuſtorum fide diplomatum niti, abunde jam, ut arbitror, oſtendi. Alterum monumentum, ex quo clare intelligas, Ferdinandum I. Regem noſtrum Jure hoc ſuo regio more majorum fuiſſe uſum, eſt *Sanctio* illa, quam *Super inſcriptis, oppoſitis, ſeu impignoratis, donatis, & venditis, ac quovis modo per ipſum abalienatis bonis Eccleſiarum Regni Hungariæ anno* CIƆIƆLX. edidit (1), ubi in aliis ſic habet: *Caſu vero, quo nullus talium*

1) *Vide Péterf. Con. Hung. P. II. p. 39. & Tripart. Ferd. I. Decret. XIX. pag. 494.*

lium beneficiorum nunc ſuperviveret: ex tunc Archiepiſcopi & Epiſcopi, qui a Nobis Jus Patronatus conferendi beneficia habent, ejuſmodi beneficia vacantia, idoneis & ſufficientibus perſonis Eccleſiaſticis, in ſacriſque conſtitutis; vel talibus non exiſtentibus, aliis Clericis, qui ordines ſacros mox ſuſcipiant, de facto & ſine mora conferre teneantur. Si vero Archiepiſcopi & Epiſcopi Jus Patronatus a nobis non habent, NOS IPSI conferemus his, qui pro beneficiis ipſis apud NOS ſupplicaverint; ut ſic numerus Beneficiatorum & Eccleſiaſticorum augeatur, atque cultus divinus non minuatur. Hæc Ferdinandus; non utique ut REX, ſed ut LEGATUS APOSTOLICUS, Authoritate Silveſtri II. Summi Pontificis, in Divo *Stephano* per Hungariam conſtitutus.

§. II.

Anno CIↃIↃLXIV. eodem *Ferdinando* Rege, & *Nicolao Oldbo* Archiepiſcopo Strigonienſi, celebrata fuit Tyrnaviæ Synodus Diœceſana. Scopum & finem ejus in ſynodali Indictione ſua *Oldbus* indicaverat his verbis: *Acta & ſtatuta prædicti œcumenici ſanctique Tridentini Concilii, quod in laudem & gloriam Dei optimi maximi, maxima omnium Patrum concordia & animi exultatione finitum & concluſum jam eſt, a nobis intellecturi, ac ſtatuta quoque ſynodalia, pia monita, exhortationesque ſalutiferas, in ipſa ſynodo noſtra proponendas, audituri, & diligenter ſuſcepturi: & tandem domino cooperante etiam factis & operibus effectualiter adimpleturi* (1). Hæc *Oldbus*. *Relationem*, inquit, *Péterſius*, *quid, quave die in ſynodo geſtum eſt, damno irreparabili Eccleſia Hungarica amiſit.* Hinc ab eruditis noſtris ſæpe quæſitum: an in Hungaria Tridentini decreta, occaſione dictæ ſynodi, promulgata & recepta ſint? De recepto Concilio Tridentino multis egit *Rev. & Cl. Vir Martinus Szentivánius e S. J.* Diſſertat. Paralipom. p. 172. Cata. LXXVII. (2), qui inter alia hæc ſcribit: *Primo. Quia*, inquit, *Ferdinandus Primus, pro tunc Rex Hungariæ, unice urgebat Concilium Tridentinum, cum firmo animo, & propoſito, omnia decreta illius ſancte obſervandi, & in ſuas Provincias, ac Regna inducendi. Secundo. Quia id ipſum exoptabant cum eadem voluntatis reſolutione ipſimet Regnicolæ unanimiter, & præſertim Epiſcopi, ac univerſus ſtatus Eccleſiaſticus; ut videre eſt Articulo 13. Diætæ Poſonienſis, Anni 1542. qui ſic habet*: Supplicant Ordines, & Sta-

1) Vide Péterſ. Con. Hung. P. II. p. 151. 2) Vide Péterſ. Con. Hung. P. II p. 153.

Digitized by Google

Status Regiæ Majeſtati Domino eorum Clementiſſimo, ut tam ſua, quam Sacræ Majeſtatis Cæſareæ authoritate, agat apud ſanctiſſimum Dominum noſtrum, quatenus ſanctitas ſua generale Concilium, pro complanandis omnibus differentiis, variisque opinionibus de religione, ſine diuturniore mora celebrare dignetur. Quod ſi ſanctitas ſua id differret, Majeſtas Cæſarea dignetur modum adhibere, ne celebratio Concilii diutius protrahatur. *Erant igitur omnes Regnicolæ parati ad ea omnia acceptanda, quæcunque erant a Concilio decidenda; non ſolum circa varias opiniones de Religione, quæ tunc erant excitatæ, ſed etiam de omnibus differentiis; adeoque etiam de illis, quæ ſpectabant ad ſolennitatem Matrimonii. Tertio. Hunc in finem miſerunt, & Rex & Regnum nomine ſuo tres Ablegatos ad Concilium Tridentinum. Nempe Georgium Draskoviczium, Epiſcopum tunc Quinque-Eccleſienſem; Joannem Coloſvárium, Epiſcopum Csanadienſem; & Andream Duditbium, Epiſcopum Tininienſem. A redeuntibus vero ex Concilio Tridentino Anno* 1564. *Regni Legatis, ſub finem Comitiorum Poſonii celebratorum, intimata ſunt Regi & Regno omnia Decreta Concilii; neque tamen ullus ſe iisdem oppoſuit, vel illis contradixit, uti alias contigit in Gallia (ipſiſmet aliquibus Epiſcopis bis Decretis, quaſi detrimentoſis privilegiis Regiis, & Eccleſiæ Gallicanæ, initio contradicentibus:) aut in Polonia (obnitente iiſdem ipſomet Gneſnenſi Archiepiſcopo, Regni Primate;) & tamen hoc non obſtante, tam in Gallia, quam in Polonia cenſetur Concilium Tridentinum acceptatum.* Hæc illæ; nam reliquas Scholaſtici Herois futiles ac leves nænias exſcribere piget. Quis enim tam rudis, tamque rerum & jurium noſtrorum imperitus ſit, qui credere velit: *Ferdinandum* Regem, regnique Status & Ordines *urſiſſe Tridentinum Concilium cum firmo animo & propoſito OMNIA Decreta illius*, Regni etiam & Coronæ Juribus contraria, *ſancte Obſervandi*? at vero hoc ipſum lectori perſuadere vult *Szentivánius* exemplis, a Gallicana & Polonica Eccleſia inſcite prorſus, & temere petitis. Enimvero de Diœceſana anni CIↃIↃLXIV. Tyrnavienſi ſynodo, deque omni iſta Concilii Tridentini per Hungariam receptione, doctius multo ſentit eruditiſſimus Péterfius, Szentivanii, quod mireris, συνάδελφος, Concil. Hung. P. II. p. 152. *Sine fructu*, inquit Péterfius, *litem irritabit, quisquis in Tridentini leges Hungariam*

&

eo tempore juraviſſe contendet. Erit ut aſſertum evincam: Provinciæ toti ſolenni cæremonia, quod legibus omnibus authoritatem, vigorem, VITAM conciliat, non innotuit; ſed intra unam duntaxat Diœceſim, in ſynodo nempe privata Tyrnavienſi conſedit; nec ad gentem univerſam, aut ſingulas Epiſcoporum regiones, eo ritu, quo debebat, pervenit. Accedit: vocato ubique in odium Romano Catholico dogmate, & erratici evangelii commentis, animos ad novitatem aſpirantes, undiquaque opprimentibus, quam ſanctionum Tridentinarum obſervantiam impetraſſent Epiſcopi? qui vix, & ne vix quidem portionem ſuorum limitum a cædibus, rapinis, vagis miniſtrorum fraudibus tutam, liberamque tenebant. Suſpenſis præterea omnibus, quorſum Eucbariſtiæ diſpenſandi ratio, & interpoſitæ pro conjugali Sacerdotum convictu preces deſinerent, conſultum omnino non videbatur, populum in Tridentini verba adigere, aut novo, ut ajebant, figmento, diſceſſionem a ſacris Catbolicis frequentiorem reddere. Maturare Oldbus noluit, quod tacite alioquin illaberetur. Poſteaquam autem fluctus domeſtici in malatiam tranſierunt, poteſtas vero Præſulum, velut poſtliminio renaſci cœperat, in foro primum ſacro, in ſententiis deinde publicis, ſecundum Tridentina Concilii placita ſemper pronuntiatum eſt. Certe ſæculo ſexto decimo finiente, & inclinante ſeptimo, ad bæc uſque tempora uſus earum ubique obtinuit; imo ſynodi Provinciales, banc ſecutæ non minus, quam Diœceſanæ, canones, pœnas, leges, jura ad præſcriptum ſolius Tridentini definiverunt; populo vero & primoribus regni, tacito aſſenſu ſingula comprobante, quidquid ſecundum eam ſtatueretur. Dubio itaque locus eſſe non poteſt, duorum jam ſæculorum intervallo, conſuetudine vim legis babente, quamvis nullo præcepto publico roborata, in tota Hungaria Concilium Tridentinum receptum eſſe. Hæc illæ (1); quæ omnia veri quadam ſpecie tueri ſe queant, ſi ultima his limitibus includas: *In tota Hungaria Concilium Tridentinum eſt receptum, in quibus Juri & libertati ſacræ Coronæ noſtræ, & avitis Regni legibus non eſt contrarium.* Hanc enim reſtrictionem exigunt exempla ſucceſſorum Divi *Stephani* Regis, qui, teſte hiſtoria mea, recentiores quoſvis canones, his Juribus ſuis adverſos, in Regno ſuo perferri nunquam paſſi ſunt; hoc ſacri Canones a Regibus noſtris expectant, qui ab religione juramenti eos abſolvunt, cum damno & diminutione jurium Coronæ ſuæ præſtiti. *Tit. de jurejurando c. XXXIII.*

 cum

1) *Concil. Hung. P. II. pag. 153.*

cum videlicet *teneantur*, *& in ſua coronatione juraverint, jura regni ſui & honorem coronæ illibata ſervare*, teſte eodem Canone; hæc deinde ipſius Eccleſiæ mens eſt, interprete *Martino IV.* Summo Pontifice in epiſtola, ad *Ladislaum IV.* Hungariæ Regem ſcripta; ubi Pontifex teſtatur: *Non eſſe intentionis Eccleſiæ in jura Regum noſtrorum obrepere, aut cum illis agere captioſe: imo potius eorum ad id concurrentibus meritis, velut chariſſimos filios, prout eam decet, Apoſtolico favore protegere, ipſiuſque ubertate, quaſi maternis uberibus, confovere;* Hoc denique evincunt rationes, a *Péterſio* prolatæ: cum videlicet ſecundum *Tridentini* recentiores canones in controverſiis Jurium Regni & Coronæ nunquam apud nos pronuntiatum ſit, neque illi Regum & primorum regni *tacito conſenſu* unquam ſint comprobati. *Erit, ut adſertum evincam.*

§. III.

Ferdinandus II. Imp. & Hungariæ Rex, cum ſemel atque iterum Roma quereretur, nominari ab eo Hungariæ Epiſcopos, & recens perlatos *Tridentini* Canones ea ratione negligi; ut officio ſuo & avitis ſimul Hungaricæ coronæ Juribus ne deeſſet, a *Petro Pazmáno*, Strigonienſi Archiepiſcopo, S. R. E. Cardinali, Viro tum propter obſervantiam Romanæ ſedis, tum ob Jurium rerumque patriæ ſuæ cognitionem longe clariſſimo, de omni illa controverſia edoceri voluit. Is, ut verbis *Péterſii* utar (1), *ne quid infirmari in conceſſo Divis Regibus Privilegio ſineret, erudita æque, ac nervoſa diſſertatione, quæ coram eſt, religioſiſſimum Principem excitavit; e qua abunde elucebit, quid Juris S. Stephano, & ſucceſſoribus a ſede Apoſtolica in diſtribuendis Eccleſiarum Præfecturis indultum ſit.* Quæſtio, & reſponſum Pazmáni eſt hujusmodi:

An Regia Majeſtas, more aliorum Patronorum tantum, habeat jus præſentandi, & nominandi; vel potius jure peculiari Coronæ, poſſit eligere Prælatos, & conferre beneficia Eccleſiaſtica?

Jure communi, inquit Pazmánus, *nulli Laico conceditur collatio beneficiorum Eccleſiaſticorum, ut conſtat ex* c. dudum, 31. §. cæterum. cap. nullus, 17. de jure patronatus, *& ſæpe alibi. Quo circa patroni Ec-*

1) *Concilior. Hung. P. II. p. 76. ubi illa etiam, quæ ſequuntur, reperies.*

Eccleſiarum ratione fundationis, vel dotationis, habent quidem jus nominandi, & præſentandi ad beneficia, jus tamen conferendi beneficia, omnium jure non habent. Viri nihilominus docti fatentur, laicos ex conſuetudine, vel privilegio, poſſe conferre extraordinarie beneficia. Quocirca Gregorius Toloſanus in ſyntagmate Juris notat, defacto Reges Galliarum in certis Ecleſiis, quæ juris Regalis ſunt, conferre beneficia; pluresque authores pro hac ſententia recenſens, hæc ipſa verba Concilii Baſileenſis, de taxatione quintæ partis beneficiorum agentis, ſubnectit: Exceptis beneficiis, quorum Jus Patronatus, præſentatio, collatio, inſtitutio, vel proviſio ad Regem jure Regaliæ, vel alias pertinent. *Et certe, cum hæc omnia ad beneficiorum collationem ſpectantia, ſint juris Eccleſiaſtici poſitivi; potuit vel ex pacto Regum, Eccleſias fundantium, vel ex paterna ſummi Pontificis indulgentia, vigor juris communis, quibuſdam Regibus relaxari, illiſque concedi, ut, ſalva ſummi Pontificis authoritate, in electione ad conſecrationem, & in confirmatione, Reges nonnulli poſſint eligere Prælatum eo modo, quo capitula ſolent eligere Epiſcopos in Germania. Nec adducor, ut credam, hodie quoque ſummum Pontificem Orientalibus Principibus hanc facultatem non conceſſurum, ſi ipſi ſubditos populos, hac expreſſa ſub conditione, vellent Eccleſiæ Catholicæ aggregare.*

Quæſtio igitur reſtat ſolum: An defacto Reges Hungariæ habeant hanc poteſtatem non ſolum nominandi ac præſentandi, verum etiam eligendi, & conferendi? Et quidem in corpore juris Ungarici diſerte habetur, collationem beneficiorum ad Regem ſpectare: ſummum vero Pontificem præter confirmationem nullam in hoc regno juriſdictionem exequi circa beneficia. Idque operoſe admodum, quatuor rationibus comprobatur, quas brevitatis cauſa in pauca contraham. Prima. *Quia Reges Hungariæ, qui ſoli fuerunt fundatores omnium Eccleſiarum, & Epiſcopatuum, eo pacto fundationes inſtituerunt, ut omnem facultatem nominationis, & collationis beneficiorum ſibi reſervarent.* Secunda. *Quia S. Stephanus, qui primus Epiſcopatus, Abbatias, Præpoſituras fundavit, non per Apoſtolicæ ſedis prædicationem tantum, ſed per inſtitutionem etiam propriam, ad Chriſtianitatem adduxit Ungaros. Et ab ipſo Prælaturarum fundationis initio, ex nutu ſummi Pontificis idoneis, quibus voluit, ipſe ſolus contulit Prælaturas. Quod conſtat partim ex proſa* (1) *in feſto S. Stephani Regis Hungariæ can-*

1) *Hac nempe:* Pontifex regiam coronam, quam Miſcæ Poloniæ Du-

cantari ſolita, partim ex privilegiis ejuſdem S. Regis ſuper Eccleſiarum fundationibus emanatis. Tertia. *Jure præſcriptionis id ſibi vendicant Reges Hungariæ; nam ab annis ſexcentis, in reali, & pacifico uſu, ac poſſeſſione collationis beneficiorum fuerunt.* Quarta. *Quia iſta libertas Regni quantum ad collationem beneficiorum, una cum aliis compluribus libertatibus hujus regni in Concilio Conſtantienſi corroborata, & juris jurandi religione firmata fuit, prout in Bulla ſuperinde confecta clare continetur. Huc uſque Jus Hungaricum. Et ſane adeo ſemper tenaces Juris iſtius fuere Hungari, ut nullam unquam præventionem (quæ ſolet in nudis patronatibus uſurpari) admiſerint, quin potius (Eccleſiaſticis licet reclamantibus) in leges retulerint.* Decret II. Uladislai Anni 1492. art. 31. Qui; ab aliis, quam a Rege beneficium Eccleſiaſticum procuraret, in profluente demergeretur. *Quocirca uſus in Ungaria obtinuit, ut quamprimum Regia Majeſtas aliquem Epiſcopum nominat, ea quidem, quæ ordinis ſunt, nullo modo attingat, quæ tamen ad juriſdictionem ſpectant, omnia exequatur. Nam beneficia confert, reditus percipit, habitu Epiſcopali utitur, ab omnibus Electus Epiſcopus ſcribitur, locum, ac ordinem in ſedendo, & ſententiis dicendis, ſicut in Comitiis Regni, ſic & in ſynodis ſervat. Per abuſum vero nonnunquam accidit, ut conſecrationis gratiam a ſede Apoſtolica, non modo tribus menſibus, ſed nequidem tribus annis procuret.*

His præmiſſis, mea hac de re ſententia in his conſiſtit. PRIMO, Prælatos Hungariæ nec poſſe, nec debere uſitatum loquendi modum immutare, ſed loqui debere, ut plures; nimirum: quod Rex Ungariæ DET, DONET, CONFERAT *beneficia. Ratio eſt: nam leges Hungariæ criminis læſæ Majeſtatis reum faciunt, qui contra publicum ſtatutum Regni ſeſe erigit. Cum igitur publicum regni ſtatutum ſit Regem conferre beneficia, ſummum Pontificem tantum habere jus confirmandi: certe hiſce temporibus in ſummum diſcrimen adduceretur, qui a veteri, & recepta loquendi formula recederet. Quæ cauſa fuit, cur Prælati Ungariæ dum una ſimul eſſent in ſynodo*

ci, nuper ad fidem Chriſtianam aggregato, confici curarat, ab Angelo præmonitus Stephano tranſmiſit, eumque regem ſalutavit, & Hungarorum Apoſtolum nominavit, ſuaſque illi VICES in ordinandis Eccleſiis concredidit. *Ex Lection. Breviarii Anni 1524. 1560. & eo, quod hodie in uſu.* Peterſius.

nodo Provinciali Tyrnaviæ, nihil in hac re ſentirent innovandum. SECVNDO, rebus ita ſe habentibus, prout quatuor illis rationibus, in jure allegatis, refertur, nimirum quod Reges Ungariæ in prima Eccleſiarum fundatione in pactum deduxerint jus collationis; quod S. Stephanus nutu Pontificis hoc jure uſus ſit; quod per annos ſexcentos in pacifica poſſeſſione fuerint; quod Martinus PP. V. Bulla jurata hoc privilegium confirmarit: rebus, inquam, ita ſe habentibus, omnino certum eſt, Reges Ungariæ non tantum ut cæteros Patronos habere jus præſentandi, ſed etiam eligendi, ac conferendi beneficia. Et quamvis Archiva Regum Hungariæ periverint, eo tamen tempore, quo lex illa ſcribebatur, exſtabant; & Bullæ ac cætera documenta, quæ illis rationibus aſſumuntur, haberi poterant. Nec poteſt prudenter in dubium vocari, an ea, quæ illis quatuor rationibus aſſumuntur, vera ſint, nec ne? ſiquidem illis temporibus lex illa ſcripta fuit, quibus nulla erat exortarum nuper hæreſium ſuſpicio: ſumma erat Hungarorum in ſedem Apoſtolicam pietas; & credibile non eſt, Regnum univerſum una cum Rege, ac Prælatis in has argumentorum probationes conſenſurum fuiſſe, niſi illis certum, exploratumque eſſet, & Bullam exſtare, & cætera quæ aſſumuntur, vera eſſe. Unde ſi Hiſtorico, vel Doctori alicui in rei geſtæ narratione plurimum fidimus, certe regni unius multo gravior eſſe debet teſtificatio, ſummæque inſaniæ eſſet, manifeſti mendacii tot ac tales ſimul accuſare. Ea propter licet Bullæ illæ, ac cætera documenta, quæ illis rationibus citantur, produci non poſſint, direpta a Turcis Buda, Regalis Archivi ſede, in re tamen morali ſufficientiſſimum videtur teſtimonium totius Regni, tunc Catholici, ad perſuadendum, Reges Hungariæ revera habere jus eligendi Prælatos, & conferendi beneficia. Salvo iterum manente jure Pontificis in eligendo ad conſecrationem, & in confirmando, ſi dignus ſit, quem Rex elegerit; vel in repellendo, ſi manifeſte indignus probetur. Hæc *Pazmánus.*

Ac virum pietate, doctrina, & dignitate eminentiſſimum de Jure hoc noſtro Regio immortaliter eſſe promeritum, grati agnoſcimus poſteri. Nam de fide *Pazmáni* rerumque uſu perſuaſiſſimus *Ferdinandus* Rex, avita Jura ſua quam religioſiſſime poſſet, cuſtodire ſtuduit; & re ipſa potius quam diſceptationibus odioſis probavit: Canonem *Concilii Tridentini*, *Seſſ. XXV. cap. XX.* perlatum, ad Jura coronæ ſuæ Hungaricæ haudquaquam pertinere. Ante annum 1655.

 ſcri-

Digitized by Google

ſcripta hæc a *Pazmáno* eſſe, aliud ejuſdem monumentum, quod mox proferam, perſuadet; nam poſt annum 1630. conſultum a *Ferdinando* fuiſſe, hoc ipſum, quod modo vulgavimus, evincit: cum in eo meminerit Tyrnavienſis Provincialis ſynodi, anno 1629. & 1630. celebratæ. Silveſtrinas litteras novennio poſt, ſive anno 1644. *Inchoferus* obtinuit, & juris fecit publici; quam etiam eſſe putem cauſam, cur Eminentiſſimo ſcriptori videantur fuiſſe ignotæ. Tacuit quoque de Jure noſtro Regio *Translationis, Depoſitionis* Prælatorum, quemadmodum etiam de Jure *Regaliæ*; cum *Electio* ſola & *collatio beneficiorum* in quæſtionem ac diſceptationem tum fuerit vocata. Origines illius juris & uſum perpetuum invictis rationibus adſerui in Hiſtoria mea; quam etiam ob rem, ſi cetera deſint, id tamen ab æquis lectoribus gratiæ ſpero mihi adpoſitum iri. Jus Patronatus Regium *Pazmánus* adpellat *Jus peculiare coronæ.* Et profecto eſt jus peculiare coronæ Hungaricæ; cum ob *prædicatam* per Pannonias noſtras Chriſti fidem, fundatos Epiſcopatus, Abbatias &c. Sanctus Rex *Stephanus* ejuſque legitimi ſucceſſores omnes a *Silveſtro II.* ſummo Pontifice, poteſtatem acceperint, tum illius ipſius, tum ſucceſſorum ejus VICE diſponendi atque ordinandi Eccleſias coronæ noſtræ; ut in Hiſtoria mea pluribus oſtendi. Jus hoc Regium majores noſtri non *Jus Patronatus*, ſed *officium Legationis Apoſtolicæ* adpellabant. Sic *Bela IV.* Rex, quod Lib. III. cap. ultimo docui, ad *Gregorium IX.* ſcripſit: *Petimus*, inquit, *ut officium legationis non alii ſed nobis in terra Aſſoevi committatur . . . quia hæc omnia beatæ memoriæ anteceſſori noſtro S. Stephano ſunt conceſſa.* Improprie igitur & recentioris ſolum rudioriſque ævi more *Jus Patronatus* dicitur; cum ſit *Jus peculiare Coronæ* noſtræ, ut recte Pazmánus obſervat; & ut res ipſa loquitur, *Officium Legationis Apoſtolicæ*, cujus inſigne, Roma ſubmiſſum, Crux noſtra eſt. Atque hanc ipſam ob cauſam dum Rex noſter recentiori more & ſtilo, a Cancellariis, ut videtur, Eccleſiaſtici Ordinis, poſtquam honores cum titulo *Legationis Apoſtolicæ* ab Romana ſede acceperunt, procuſo, in *nominandis* Prælatis ſuis utitur dicitque: *Jus Patronatus noſtrum Regium, quod ſcilicet in eadem Eccleſia N. N. more prædeceſſorum noſtrorum habere dignoſcimur, Domino N. N. damus & conferimus*: univerſæ vetuſtatis teſtimonio non aliud fatur, niſi: *Pro vicaria Apoſtolica poteſtate noſtra, quam-*

mo-

Digitized by Google

more prædeceſſorum noſtrorum in diſponendis atque ordinandis ſacræ coronæ noſtræ Eccleſiis habere dignoſcimur, Domino NN. Eccleſiæ N. N. Epiſcopo, a nobis electo, dona ejuſdem Eccleſiæ regia cum Homagii, ſive fidelitatis juramenti conditione damus, & conferimus : & beneficia minora omnia, videlicet: Præpoſituras, Lectoratus, Cantoratus, Canonicatus, &c. ut noſtra VICE aliis, idoneis tamen, dare, conferre poſſit, poteſtatem facimus. Dicit porro *Pazmánus* : Prælatos regni noſtri in Tyrnavienſi Provinciali ſynodo, nihil in hac re (de Jure videlicet iſto Regio conſuetoque loquendi more) ſenſiſſe innovandum. Ea ſynodus, ut ante memini, celebrata eſt A. 1629. & 1630. *Pazmáno* ipſo Strigonienſi Archiepiſcopo ; cujus Acta vulgavit *Péterſius Concil. Hung. P. II. p.* 232. Nihil, inquit *Pazmánus,* cenſuerunt innovandum ; quod provide prorſus circumſpecteque ab illis eſſe factum, pronuntiare hic nullus dubitem: nam ſi vel minimo Juris hujus Regii cum damno, vel periculo quidpiam immutaſſent; graviſſimam futuris in Comitiis Regi & Regno reddituri erant rationem, quorum unice judicio Jura regni & Coronæ ſunt obnoxia. Quam ob rem priſcis temporibus, ut a Divo Ladislao in Szabolcſenſi ſynodo factum eſſe vidimus, Reges noſtros, pro ſuo *Legationis Apoſtolicæ officio*, Provincialibus ſynodis per ſe vel per Legatum præſidere conſueviſſe, ex annalibus regni noſtri libris certum eſt. Ad ea, quæ *Pazmánus* ſcribit : direpta a Turcis Buda everſoque regni tabulario monumenta litterarum, illuſtrandis pro Jure Patronatus regio Rationibus noſtris idonea, produci non poſſe *Péterſius* adnotat : *Venia Eminentiſſimi Viri, interloquor: Bullæ illæ, ac cætera documenta, quæ illis rationibus citantur,* produci poſſent, *direpta a Turcis Buda, Regalis Archivi ſede. Deſtinato ad notam calamo, iſta addidimus.* Hæc ille. Nos ea pro viribus & fortuna luci publicæ exponere ſtuduimus toto præſenti opere. Solam *Confirmationem* Conſtantienſis Concilii diu ac multum fruſtra quæſiuimus; quam ſi *Péterſius* habuit, & invidit Juribus Patriis, viri profecto candidi, & ſuorum civium amantis haudquaquam tunc perfunctus eſt munere.

§. IV.

Altera emerſit quæſtio, inquit *Péterſius* (1), de Epiſcopatibus *Titularibus*, quorum collationem, utpote ab Hungaria temporum calami-

1) *Concil. Hung. P. I. p. 78.*

mitate, & bellorum viciſſitudine avulſorum, ad ſe recidiſſe Romana Curia contendit. Sed pari facundia pro hac etiam Domo *Pazmánus* noſter peroravit. En nervum argumentorum! Sellya 16. Junii 1665. *Ferdinando* miſſorum.

Diſcurſus brevis circa motam in Curia Romana difficultatem de Titularibus Epiſcopatibus Hungariæ.

Quid leges Hungaricæ habeant de authoritate Regiæ Majeſtatis, Epiſcopatuum Hungariæ collatione; ſeu nominatione, tranſcriptis ipſiſſimis legum Hungariæ verbis, ſuæ Majeſtati tranſmiſi jam pridem.

Ego Ex principiis generalibus exiſtimo, Majeſtatem Regiam conſentire nec poſſe, nec debere, ut nominatio cujuſcunque Epiſcopi titularis ad coronam Hungariæ ab antiquo ſpectans, a ſua Majeſtate transferatur; ſed poſſe ac teneri ad inſtar prædeceſſorum ſuorum ejuſmodi collationes, vel nominationes pro ſancta Corona reſervare, ob has ſequentes rationes.

Primo: *quia Reges Hungariæ in continuato uſu, & reali poſſeſſione fuerunt hujus collationis, vel nominationis: ut ſola præſcriptione tutari ſe poſſe non immerito poſſint. Nec credendum eſt, ſuam Sanctitatem, vel cogitando quidem, hiſce tam exulceratis temporibus, odioſis materiis, difficultates augere velle; ſed potius prædeceſſorum veſtigiis ſapientiſſimo conſilio inſtituram.*

Secundo: *uſus iſtius fundamenta authentica ſunt, & ſedis Apoſtolicæ indulta; & Conciliorum approbationes; & jus ac titulus fundationis; & pacta cum ſede Apoſtolica inita tempore reductionis gentis Hungaricæ ad fidem Apoſtolicam. Quorum omnium documenta ex authenticis legibus Hungariæ, ante hæreſes exortas, præſentibus nec abnuentibus ſedis Apoſtolicæ legatis, promulgatis, peculiari ſcripto ad verbum ex legibus excerpto, Majeſtati ſuæ ante hac tranſmiſi.*

Tertio: *Debitus honor Bullis Clementis VII. ac Julii III. habeatur, ubi receptæ, ac contrario uſu abrogatæ non ſunt* (1). *Certum tamen eſt, a Sede Apoſtolica in Regno Vngariæ contrariam conſuetudinem uſu continuo*

1) *Habentur in Bullario Cherubini. Annatas, & jus Patronatus, ob nonnullorum abuſus, feriunt. Vide has inter Bullas dictorum Pontificum.* Péterfius.

mo approbatam eſſe. Et nominationes a Regibus Vngariæ factas pro Epiſcopatibus, olim ad Hungariæ Coronam ſpectantibus, admiſſas, & approbatas fuiſſe. Quo ipſo continuo uſu, apertoque, ac manifeſto Sedis Apoſtolicæ conſenſu, approbatum, ac declaratum eſt, quod Bullæ illæ non præjudicent Regi Apoſtolico, vel pactis cum Sede Apoſtolica initis tempore reductionis gentis Vngaricæ ad fidem Catholicam. Nam ſi bodie Rex Angliæ vel Scotiæ pactum iniret cum Sede Apoſtolica, ut ſi ad Catholicam reducet errantes, ipſe ſolus nominare Epiſcopos poſſit (ſalva electione ad conſecrationem, quæ Sedi Apoſtolicæ competit;) ſervare boc pactum teneretur ſancta Sedes: niſi juridice ob graves cauſas ſucceſſor aliquis boc jure privaretur.

Quarto: *In Regno Hungariæ Principes prætendiſſe jus nominationis & proviſionis, colligi poteſt ex multis ac ſeveriſſimis legibus, ante hæreſes exortas, in Hungaria latis; quibus ſub amiſſione vitæ ſanxerunt, ne a Sede Apoſtolica (præter confirmationem) beneficia obtinerentur. Præſentes fuere Apoſtolici Nuntii, dum hæ leges ferrentur; Catholica erat tota Hungaria, & tamen Sedes Apoſtolica nullam hac de re litem movit.*

Quinto: *Si toto Regno Vngariæ Catholico exiſtente Sedes Apoſtolica nec habuit, nec prætendit jus nominationis ullius Epiſcopatus Vngaricæ Coronæ annexi, nunc demum magna pars hæretica eſt, dum etiam Catholici putant, Regiam Majeſtatem teneri jus veterum Vngariæ Regum manu tenere, omnino incredibile eſt, quod ulla novitas induci poſſit. Itaque nolle Regibus permittere conſuetam nominationem, nihil aliud eſt, quam velle totaliter abrogare, ac delere hujuſmodi Epiſcopatus. Nam licet Eccleſiaſtici Regni Hungariæ mandato ſuæ ſanctitatis obediant, nemo tamen ſæcularium vel titulo agnoſcet Epiſcopum, quem Rex non nominabit; nemo ad ullos publicos conſeſſus tanquam Epiſcopum admittet; nemo locum in Comitiis, ac judiciis illi permittet. Quo facto & ſedis Apoſtolicæ dignitas, & Perſonæ nominatæ exiſtimatio (ſi non vita) periclitabitur.*

Sexto: *Titulares Epiſcopi Hungariæ, non ſunt ſicut Titulares, quos ſedes Apoſtolica in partibus infidelium nominat: ut Patriarcha Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Epiſcopi Epheſiorum &c. hi enim nomen gerunt, nullum realem actum Eccleſiaſticum, vel politicum retinent, quem antea, dum in Sedibus erant, retinebant. Ideoque ſunt meri titulares. In Vngaria nullus eſt talis titulatus: nam hi Epiſcopi, locum, ſeſſionem, jus ſuffragii in comitiis ac judiciis æque retinent, atque dum reſidebant; nec ul-*

lus illorum eſt, qui non civilis aliquibus ſui Epiſcopatus e vicino advigilet. Itaque Bullæ, quæ de nudis titularibus Epiſcopis editæ ſunt, ad hos Epiſcopos Vngariæ in odioſis extendi nullo modo poſſunt, cum non ſint nude titulares.

Septimo: *De Epiſcopatus Tranſylvaniæ ſtatu informati non ſunt Romæ. Tranſylvania æque, ac Poſonium ſubjecta fuit, & eſt Regibus Vngariæ a temporibus S. Stephani uſque ad tempora Solimani Turcæ, qui pro Joanne Scepuſio, armata vi, ac injuſte Tranſylvaniam a Corona ſeparavit; de jure tamen non ſeparavit. Excluſus tunc fuit Epiſcopus ex Tranſylvania, & proventus Epiſcopatus Fiſco addicti: ſemper tamen Reges Hungariæ retinuerunt jus nominandi Epiſcopum, & ſine intermiſſione nominarunt. Princeps Sigiſmundus Bathory, obtenta a Sede Apoſtolica diſpenſatione, ut bona Epiſcopatus Albenſis retinere pro Fiſco poſſet; obtulit Epiſcopo Albenſi ſat honeſta bona, pro ſuſtentatione: & pro perſona Sigiſmundi, tanquam affinis permiſſum fuit a Rudolpho Cæſare, ut illum, quem ex Præpoſitura Agrienſi illuc amandaret Cæſar, nominare Epiſcopum Albenſem poſſet. Cæterum & leges ſcriptæ, & Archiva omnia habent, Epiſcopatum Tranſylvaniæ, nec ſecus ac reliquos Epiſcopatus, Vngariæ annexos eſſe.*

Hactenus Eminentiſſimus *Pazmanus*; pro fortuna litterarum ſui temporis admodum erudite ac diſerte: quibus tamen lucem, qua parte obſcuriora eſſe videntur, adfundere conabimur. Et de titularibus Epiſcopis noſtris ſatis jam conſtat, eos non ab aliis Epiſcopatibus titulos ferre, niſi in quos Reges noſtri Jus ſuum Patronatus Regium legitime retinent. Nunc Dalmaticarum fere Eccleſiarum *Tinninienſis*, *Sibenicenſis*, *Pharenſis*, *Arbenſis*, *Tragurienſis &c.* ornantur titulis: ſalvo igitur hoc Jure, ſive ſalvo Jure Patronatus Regio, in Eccleſias, Epiſcopatus Dalmatiæ legitime retento, non in Dalmatia modo, verum in aliis etiam regnis & provinciis, in quas Corona regni Hungariæ Jura ſua legitime retinet, Romana Curia ne titulares quidem epiſcopos nominare poteſt. Ac de retentis legitime in Dalmatiam juribus noſtris, ea, ſperamus, a nullo rerum & jurium noſtrorum perito in diſceptationem vocatum iri. Pervulgatum quippe eſt, Dalmatiam a *Colomano* Rege noſtro armis & auſpiciis Coronæ Hungaricæ fuiſſe ſubactam. Jus Patronatus regium tum a *Colomano* ipſo, tum

tum ab aliis Hungariæ Regibus in Dalmaticis Eccleſiis eſſe exercitum, nullus dubitabit, qui vel hanc Hiſtoriam meam attentius legere ſuſtinuerit. *Ladislaus*, *Caroli* occiſi filius, qui titulos regni Hungariæ illegitime tulit, de conſervanda Dalmatia deſperans, Jadram, Lauranam, & Novigradum inſulæ Pagi centum millibus ducatorum Venetis vendidit A. cıɔcccclx. die IX. Junii. *Venditio hæc Dalmatiæ*, inquit Timon, *ſemper movit ſtomachum Hungaris, & merito. Qua enim ratione vendidiſſet eam non ſuam, nec a ſe poſſeſſam, neque legitimus Rex Vngariæ.* Addere poterat: immo tametſi fuiſſet legitimus, nunquam tamen ea venditio futura erat legitima, *Decret. tit. de Jurejur. cap. XXXIII.* Anno cıɔcccccx. ſcribit idem *Timon*: *Sandaglus Boſniæ Wajvoda ſupremus, & hæredes Volci Bani Boſnenſis vendunt Venetis Oſtroviczam pretio V. millium ducatorum. Sic diſtrahitur Dalmatia, inhiante Sigiſmundo Regno Poloniæ . . . Anno* cıɔcccccxx. *Veneti deditione accipiunt Tragurium. Spalatenſes ſponte recipiunt præſidium Venetum. Idem faciunt Catarani. Atque hunc in modum Veneti ab infortunato Sigiſmundo & Vngaris univerſam Dalmatiam, præter Raguſium, & Vegliam eripiunt. Videtur tamen Sigiſmundus poſſediſſe Spalatum, Tininium, & Corbaviam; nam in diplomate Decretorum, anno* cıɔcccccxxxv. *edito, horum locorum Epiſcopi inter Vngariæ Epiſcopos recenſentur, aliæ ſedes dicuntur VACARE.* Hæc *Timon* ad fidem diplomatum, quæ *Lucio* vitam & lucem, qua fruuntur, debent; unde origo titularium Epiſcoporum noſtrorum facillime intelligitur: avulſi quippe a Corona Hungariæ Dalmatici Epiſcopatus non occupati ab aliis, ſed VACARE ab Rege & Regno pronuntiati ſunt; quam ob rem eodem illo jure, quo reges noſtri titulum a regno Dalmatiæ ferunt, titulos etiam a Dalmaticis Eccleſiis, in quas Jus Patronatus ſuum legitime retinent, Eccleſiaſticis ſuis conferre poſſunt, ſimul & jurisdictionem omnem, quam hi extra Dalmatiam exercere valent: quæ demum genuina cauſa eſt, cur, ut *Pazmánus* loquitur, *Titulares Epiſcopi noſtri non ſint mere titulares.* De Tranſilvaniæ Epiſcopatu egregie *Pazmánus*; ejus enim Conditorem Divum *Stephanum* fuiſſe, adſerui pag. 60. quam vide.

§. V.

Reſtat, ut paucis doceam, neque in quæſtionibus *de Appellatione Prælatorum* apud nos ſecundum Tridentini Concilii Placita unquam

quam pronuntiatum eſſe. Pertinet huc, inquit *Péterſius* (1), epiſtola *Magni Leopoldi* Cæſaris, & Regis Hungariæ, ad Eminentiſſimum Cardinalem *de Goës* data, eo cum effectu, ut *Innocentio XII. PP.* jubente, Dom. Epiſcopus *Apoſtolici Regis ſententiam rogare*, & controverſiæ finem domi ſuæ præſtolari debuerit. Porro epiſtolæ *Leopoldi* Regis exemplum eſt ſequens :

Leopoldus Dei gratia &c. Reverendiſſimo in Chriſto Patri, Domino Joanni S. Petri in Monte Aureo, Presbytero Cardinali de Goës, Epiſcopo Gurcenſi, Nationis Germanicæ apud S. Sedem Apoſtolicam Con-Protectori, Amico noſtro chariſſimo : ſalutem, & benevolentiæ noſtræ affectum. Fidelis noſter Reverendus Stephanus Seliſgenich, Epiſcopus Zagrabienſis, conqueſtus eſt Majeſtati noſtræ : qualiter Fidelis itidem noſter alter, Reverendus Nicolaus Plumbæus, Epiſcopus Boſnenſis, certas Parochias, ab antiquo ſemper ad Diœceſim Zagrabienſem ſpectantes, inde abſtrahere, & avellere, Diœceſique ſuæ ſubjicere, & adunire cupiens; quamvis nos controverſiam hanc inter præfatos Epiſcopos adhuc tempore Prædeceſſoris moderni Zagrabienſis, per dictum Boſnenſem motam, Authoritate Juris noſtri Apoſtolico-Regii, Archiepiſcopo eorundem Metropolitano, accommodandam, & decidendam commiſiſſemus, coram quo memoratus Zagrabienſis ſe ſiſtere, juraque, & privilegia ſua producere paratus eſſet : idem nihilominus Boſnenſis præmiſſa hac legitima, & immediata inſtantia ſua, in manifeſtum dicti Regni noſtri Hungariæ Privilegiorum, legumque, quibus ſubjectus eſſet, præjudicium, ac Majeſtatis quoque noſtræ, Authoritatis, & Juris, quod in ſimilibus quoque caſibus tanquam Rex Apoſtolicus haberemus, læſionem, actu in curia Romana in eo laboraret, quatenus præfatus Epiſcopus Zagrabienſis jura & privilegia limitum Diœceſis ſuæ Romæ producere debeat, ſicque eidem non ſolummodo inanes, & graves expenſas cauſare, verum a publici quoque boni, ſervitiique noſtri promptitudine, prout & neceſſaria Diœceſis illius in ſpiritualibus adminiſtratione, & inſtituendo, conſervandoque bono ordine, eundem avocare, & abſtrahere vellet. Quia vero ex conceſſione Venerabilium Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, olim in Concilio Conſtantienſi conſtitutorum, præfatum Regnum noſtrum Hungariæ in eo privilegiatum eſſe conſtat, ne ullus extra hoc Regnum ad Judicia authoritate litterarum

Apo-

1) *Concil. Hung. P. I. pag.* 81.

Digitized by Google

Apoſtolicarum, niſi cum cauſæ aliquæ per appellationem legitime fuerint ad ſedem Apoſtolicam devolutæ, attrahantur; Leges Porro Regni ſeveriſſime vetarent, ne ullus omnino regnicolarum, ſive ſint clerici, ſive ſæculares, contra libertatem Regni, qua a tempore quondam ſanctiſſimi Stephani Regis, illibate utitur, quempiam ratione alicujus negotii in Curiam Romanam citare præſumat, ſed primum coram ſuo ordinario Diœceſano Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, in cauſam convenire, & cum eo juridice procedere debeat: contrarium vero facientes, Beneficiati quidem præter amiſſionem beneficiorum, pœna quoque captivitatis puniendi ſunt. Quapropter Reverendiſſimam Paternitatem veſtram amico cum affectu duximus eſſe requirendam, quatenus memorato Epiſcopo Boſnenſi (ſi adhuc ibidem commoraretur, & præmiſſam incompetentem inſtantiam ſuam promoveret) intimari facere velit, ut eo facto a prædeclarata intentione ſua, tanquam Majeſtati noſtræ, Legibus, & Privilegiis Regni, & ſacræ ejuſdem Coronæ ſumme præjudicioſa, & derogatoria abſolute ſuperſedeat, ſeque ad adminiſtrationem Epiſcopatus ſui, & concreditæ ſibi Diœceſis illico conferat; ſecus namque noverit ſe legibus Regni ſubjectum, pœnæ quoque in iiſdem expreſſæ, & ſuperius mentionatæ obnoxium fore. Quod ſi vero hac quoque Reverendiſſimæ Paternitatis veſtræ, nomine noſtro fienda Commiſſione (quod non ſperamus) minus curata, intentionem, & inſtantiam ſuam importune ulterius etiam promotam iri vellet; pro ſua, qua plurimum pollet, authoritate, in eo ſedulo incumbere, ac noſtri quoque ob reſpectum, id omnino apud ſuam ſanctitatem efficere velit, ut idem Epiſcopus Boſnenſis, quoad prætenſam cauſam ſuam, ad nos tanquam ad Regem Apoſtolicum, per nos decidendam, relegetur, & remittatur. Factura in eo Reverendiſſima Paternitas veſtra rem nobis ſumme gratam, ac per hoc inſperatas, ne fors, controverſias averſura. In reliquo eandem diu feliciter valere exoptantes, eidem Cæſareo, & Regio affectu noſtro ſemper propenſi manemus. Dabantur Viennæ die 18. *Menſis Julii, anno Domini* 1695.

Hæc Divus *Leopoldus* Rex. Leges præcipuæ, quæ hic innuuntur, *Matthiæ Corvini* ſunt, & *Uladslai II.* Hungariæ Regum. Et *Matthiæ* quidem Decret. III. art. XIX. qui eſt: *Item; quod nullus penitus Regnicolarum, ſive ſint Clerici, ſive Sæculares contra* LIBERTATEM REGNI, *qua a tempore quondam ſanctiſſimi Stephani Regis illibate utitur, directe, omiſſo medio, conqueſtum a Curia Romana, contra quempiam im-*

 detra-

petrare poſſit. — *Sed quilibet prius hic in Regno coram ſuis judicibus ordinariis jus ſuum proſequatur; & ita tandem, ſi voluerit, per viam appellationis cauſam ſuam introducat: quibus contra facientes, beneficiati ſuo beneficio priventur; non beneficiati autem pœnam capitis luant.* *Uladislai* autem Decret. III. art. LXIII. qui eſt: *Quia ex conceſſione Venerabilium Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, olim in Concilio Conſtantienſi conſtitutorum, Regnum hoc in eo privilegiatum eſſe conſtat: quod nullus extrahatur extra iſtud Regnum ad judicia,* authoritate litterarum Apoſtolicarum, *niſi cum cauſæ aliquæ per appellationem legitime fuerint ad Sedem Apoſtolicam devolutæ: ſunt autem plures, qui contra* LIBERTATES *hujuſmodi, complures Regnicolas, tam ſpirituales, quam ſæculares,* vigore conqueſtuum, *turbant & moleſtant: quare ſtatutum eſt (prout etiam in Decreto majori contrinetur) quod nullus extra Regnum iſtud, niſi per viam appellationis extrahatur:* portatores *autem* conqueſtuum, *ſive ſint ſpirituales, ſive ſæculares, ſive Religioſi, captiventnr, & manibus Regiæ Majeſtatis præſententur, ad* Turrim mancam *pro infligenda illis pœna imponendi.* Sunt aliæ quoque ſeveriſſimæ leges noſtræ, quarum ſancto rigori Jus hoc noſtrum Regium incolumitatem ſuam & vitam debet; quæ placitis Tridentini Concilii,Seſſionis præcipue XXIV. cap. V. & XX. cum videri qveant contrariæ, & à Regibus noſtris ob Iurisjurandi religionem & fidem nunqvam non ſint ſanctiſſime cuſtoditæ, an, quæſo, vel hæ ipſæ leges noſtræ luculentiſſimo mihi non ſunt teſtimonio, Concilii Tridentini Placita, Juri & Libertati ſacræ Coronæ noſtræ, & avitis Regni legibus contraria, in provinciis & regnis Coronæ Hungariæ non eſſe recepta.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

AVCTORVM ET RERVM MEMORABILIORVM,

Numerus paginam, n. notam indicat.

A.

Abbatia. vid. cujusq. nomen.
Adalbertus dux, 95.
Ademarus, ejus Chronicon, 12.
Adrianus S. ejus Abbatiæ litteræ fundationis, 83. a Sigiſmundo confirmatæ, 84. quis primus Abbas? ibid. ejus prærogativæ 87.
Agnes, mater Henrici IV. 94.
Agria, Epiſcopatus a quo conditus? 60. Martinus Epiſcopus mortuus, 200.
Alba Regalis, 92.
Albenſis Epiſcopatus Tranſilvaniæ, 60. Hungariæ nexu arctiori junctus, ibid. Colocenſi Metropolitæ ſubjectus, 61.
Albertus Dux Auſtr. coronam Hung. ambit, 194. quo jure? *ibidem.*
Albertus Marchio, 92.
Albricus Colomani Decretorum Compilator, 106.
Alexander III. Pontifex, 118.
Allatius (Leo), 5. ejus opus, 23.
Anaſtaſius, Abbas ſancti Martini, 13. 70. infulas Eccleſiæ Colocenſis obtinet, 94.
Anon, Nuncius Apoſtolicus, 77.
Anonymus, Belae Regis Notarius, 9. quid de prædicatione Evangelii a S. Stephano habitæ tradiderit? 61.
Apoſtolicus, quid Inchoferus de titulo hoc ſentiat? 63. cui olim datus? 63. 64. ſententia Schwartzii hac de re probata, 63. Stiltingi error notatus, ibid. titulus hic primum Pontifici proprius, 64. 77. recenti ævo Hungariæ Regibus privatim datus, 64, 66. tandem auctoritate Pontificia attributus, 65.
Aracba, 85.
de *Aragonia*, Cardinalis, ejus opus. 58. 114. 123. 124.
Aragonius Cardinalis, quare Strigonienſi infula donatus? 246. Romæ pro Matthia agens, ibid. Regis ad eum litteræ, ibid.
Arpada, ejus proſapia Duces Hungaris præbet, 10. filius Liutica, 32. inter poſteros Geyſa & D. Stephanus, 59.
Aſtricus, 44. quis? 46. pontificali infula decoratus, 62. Romam miſſus, ibid. Archiepiſcopus Colocenſis, 82.

B.

Babenberga, ejus Præpoſitus, 146.
Bacon-Bélienſe monaſterium quando poſitum? 87. litteræ fundationis, 88.
Bacſienſis Epiſcopatus a quo fundatus? 60.
Bala*ſius* ſeu *Balaſſius* quid? 27. n. 1.
Balſamon, 15.
Baronius, 25, 38. erroris arguitur, 97. epiſtolam ad Colocenſem Archiepiſcopum datam aliis falſo inſcribit, 107. renunciationis inveſtituræ prælatorum nullam facit mentionem, 115. opus ejus mutilum gravioribus etiam nævis non caret, 119. ejus error de Steph. III. R. notatus, ibid. Juris Patronatus Regii in Hungaria aut rudis

 aut

aut diſſimulator, ibid. errorem palliat 124, fidei ſuſpectæ, 126.
Bartholomæus Magiſter Vicecancellarius Hung. 189.
Bathory (Sigiſm.) quid a Pontifice obtinuit? 61.
Battus, quis? 153.
Belius (Matthias) 205.
Benedictus VII. ejus ad Ottonem I. & Henricum Bavariæ Ducem litteræ, 17. aliæ ad Ottonem, 60.
Benedictus IX. 87.
Benedictus XII, 203.
Benipertus, Epiſcopus Quinqueeccleſienſ. vide *Bonipertus.*
Bertholdus adfinis Andreæ R. 146.
Beſſinéw, 85.
Bigug, 85.
Biqui, 85.
Biſuntinus (S. Vincentius) 114.
Bizarus, 53.
Boca, 85.
Bœtus de Boot (Anſelmus) 27. n. 1.
Boleslaus Rex Poloniæ *Andream* adoritur, 93.
Boleſodes, *Bulſu*, *Bulcſum*, Dux Hungarorum, Conſtantinopoli baptizatus, atque patriciatus dignitate condecoratus, 3. fœdus divinum violat, ibid. Græcis bellum infert, ibid. tribunus militaris, 10. ab Hepidano regis titulo cohoneſtatus 11. coronam dono haud obtinuit 31
Bonfinius, 70.
Bonifacius VIII. quid de corona Hungariæ ſenſerit? 35. Gregorium Archiepiſcopum Strigonienſem creat, 195. pro Carolo Martello magno conatu agit, ibid. Carolum Robertum Hungaris Regem obtrudit, ibid. ei regnum Hungariæ attribuit, 196.
Bonipertus Epiſcop. Quinqueeccl. 77.
Borul, 85.
Botond, miles Zultæ, 10.
Bruno Epiſcopus, Geyſam & S. Stephanum baptizaſſe a quibusdam creditus, 12.
Brutus (Michaël) ejus Annales Hungariæ inediti, 127.
Bucne, fil. Zumbor, 9.
Buda, ſynodus Budenſis quando celebrata? 178. quidam illius articuli, ibid. ejus canones recocti 197. caſtrum quando extra territorium veteris Budæ poſitum? 206.
Bue, fil. Zumbor, 9.
Bulſum, *Bulſu*, vid. *Boleſodes.*

C.

Cæleſtinus III. ejus contra jus Patronatus Regium molimina, 150.
Cajetanus (Amatus), 67.
Calyptra, quid? 33.
Cameralis (Cencius), 115.
Cangius, 21, 33, 64.
Cantacuzenus, 33.
Carchas, nomen dignitatis, 10.
Caroldu, filia *Geulæ* v. *Gylas.*
Carolus Martellus a legato Pontificis Neapoli in Regem H. coronatus, 194. ejus in Hungariam jus, ibid. cum uxore Clementia moritur, 195.
Caveus, 5.
Ceba, Comes Palatinalis, 76.
Cedrenus, 3. quo tempore vixerit? 5. ex Scylitze profecit, ibid. 7. Cur Ottonem Imperat. Joannem ſcripſerit? 6. 31.
Chartuitius S. Steph. vitam ſcripſit, 13. quid de corona Hungarica? 35. quid de prædicatione S. Steph. 52.
Cilia, Comites Fridericus & Vlricus, 214.

Ciro-

Cironius, 198, 208.
Clemens VI. ejus ad Epiſcopum Quinqueeccleſienſem litteræ, 204.
Clemens XIII. Regibus Hungariæ titulum Apoſtolici confert, 65. ejus ſuper re hac litteræ, ibid.
Coletus, 103.
Colocenſis primum Epiſcopatus, a quo conditus? 60. Aſtricus ei præficitur, 62. Anaſtaſius, 94. Albertus, 108. Hugolinus I. 108. ad eum Paſchalis II. litteræ, ibid. Joannes Archiepiſcopus 137. Vgolinus 153. Benedictus, Pontificis ad eum litteræ, 157. Cancellarius Regni, 158. Joannes, 195. Ladislaus, 202.
Comnena (Anna) Diadema Imperatorium deſcribit, 24.
Confirmatio collationis beneficiorum quid? 50.
Conſtantienſe Concilium, quid in Hungariam boni contulerit? 50.
Conſtantinus Copronymus, 30.
Conſtantinus Magnus, 30. cur ἰσαπόστολος dictus? 39.
Conſtantinus Porphyrogenetus, 10. ejus ad filium oratio, 29.
Contelorus (Felix), 119. excerpit opus Cardinalis Aragonii 123.
Contio, Dux Hungarorum, 71.
Cornerius (Hermannus), 112.
Corona Hungariæ a quo data? 20. deſcribitur, 22. 24. 27. n. l. 38. de ea ſententia, 24. ad imitationem diadematis Imperialis Græci facta, 24. genus & numerus gemmarum, quibus ornatur, item ejus pondus, 27. n. donum ſummi Pontificis, 34. præmium promotæ rei Chriſtianæ, ibid. revelatione divina obtenta, 35. 46. quo tempore miſſa? 38. cur Græcorum æmula? 39. per quem miſſa? 44. Duci Polonorum præparata 47. ſancta adpellata, 96. perdita ſub Ottone R. & in via forte reperta, 197.
Cortou, curtis 71.
Corvinus vid. Matthias in *Serie* Regum; item *Huniades*.
Crux Hungarica amiſſa deſideratur, 41. cui ſimillima? 41. ejus effigies, 42. Apoſtolica, ibid. Réwaji de ea ſententia, 43. cur S. Stephano conceſſa? 44. inſigne Apoſtolatus, 47. 64, 66. de ea triplicanda quid Matthias Corvinus? 247.
Csanadienſis Epiſcopatus, a quo conditus? 60. Saulus Epiſcopus, 130. Benedictus, 201.
Cupa, Dux Symegienſis, 14. 71.
Cumani, a quo converſi? 163. eorum ſub Ladislao IV. conditio, 175. 176. 178. 179. 184.
Curopalates (Codinus), 6. ejus de officiis Conſtantinopolitanis opus, 26.

D.

Dalmatia, a Colomano occupata, 54. in ea electio Epiſcoporum & Comitum cui competebat? ibid. in eam Regg. Hungariæ jura. 270.
Dani, eorum Metropolitæ laudati, 110.
Diadema Imperiale, quibus co uti non licuit? 24. 25. deſcribitur, 25. juramentum Imperatoris, id accipere volentis 31.
Ditmarus, Scriptor D. Stephano coævus, 34.
Dominicus, primus Strigonienſis Archiepiſcopus, 76.
Dömöſienſis Præpoſitura ab Almo inchoata & a Bela Cœco perfecta, 118.

Digitized by Google

118. a Sigiſmundo in jura Regularium traducta, 237. 241. n. priſtinis honoribus reddita, ibid. illius cauſſa cum ſede Apoſtolica enata controverſia, ibid. hujus origo, 244. memorabiles litteræ ab ordibus Regni ad Pontificem datæ 240.
Dubravius, ejus Hiſt. Bohem. 195.

E.

Eccardus (Joh. Georg) 113.
Eccleſia Hungarica in ipſo initio Latina, 17. ejus epiſcopatus limitibus Laureacenſis Metropoleos incluſi, 60. eorum numerus, ibid. quid circa eam diſponendam ſummo Pontifici competat? 82, 89, 90. poſt mortem D. Stephani fata, 91. triſtis ſub Andrea I. facies, 93. periclitans erecta, 95.
Eccleſia Orientalis, ſeu Græca diſſidiis vexata, 12. ejus doctores & diſcipuli unde noſcantur? ibid. quid de conſuetudinibus priſcis? ibid.
Egrugh, 85.
Electio Prælatorum in Hungaria quomodo intelligenda? 160. vid. *Poſtulatio.*
Elga Ruſſorum Regina, 19.
Eliſabetha R. H. vid. *Seriem* Regum H.
Emericus, qualia a Stephano Patre monita acceperit? 91.
Eugenius IV. Pontifex, 221.

F.

Fabricius (Joan. Albert.), ejus Bibliotheca Græca, 5.
Fizek, 85.
Florens (Franciſc.) ejus Opera Juridica, 107. n. 1. laudatus, 113.
Fridericus III. Imp. ejus laudes, 27. n. 1. Ladiſlaum Poſtumum Hungariæ reddit, 245.

G.

Gabius (Jo. Bapt.), Hiſtoriæ Scylitzæ interpres, 7. 8.
Gara (Nicolaus), ejus filiis Sigiſmundus cuſtodiendus traditur, 209.
Gelſe, 85.
Gentilis Cardinalis, Apoſtolicus ad Hungaros legatus, 36. 197. ejus conſtitutiones, ibid. quid de iis ſentiendum? 198.
Georgier (Athanaſius), 45.
Gerſe vid. Gelſe.
Gertrudis, Conjux Andreæ 137.
Geſtred, 85.
Gethye, 85.
Geula minor, Tranſilvaniæ Princeps, a D. Stephano ſuperatus, in Hungariam ductus, captivus detinetur, 9. Vide *Gylas.*
Geyſa, Dux Hungar. pater Steph. 12. ſalutarem doctrinam amplexus, 10. primum pro filiis Divi Benedicti in Hungaria monaſterium ſtruit, 14.
Globus Hungar. cur inſignia Pontificis ferat? 50, 41.
Goarus, 33.
Granus fluv. Slavis *Hron*, vel *Gron* 92.
Gregorius I. ejus de diverſa in fide conſuetudine ſententia, 111.
Gregorius VI. lanceam ab Henrico Imp. dono accipit, 92.
Gregorius VII. Hungariam hæreditariam ſedis Apoſtolicæ contendit, 92. jurium Eccleſiaſticorum acerrimus vindex, ibid. ejus increpatoria ad Salomonem epiſtola, 97. quid profecerit? 98. litteræ ad Geyſam datæ, 100, 101. ad Neæmiam Metropolitam Strigonienſem, 103. ad S. Ladiſlaum, 104. formula juramenti pro Patriarchis, Me-

Metropolitis, &c. ab eo concepta, 107, explicatur, 111.
Gregorius IX. privilegium Abbatiæ S. Martini confirmat, 70. Regi Hung. contradicit, 206. Belam IV. ad bellum Aſani inferendum ſtimulat, 251.
Guaſtallenſe Concilium, ejus acta 58, 113, a quo collecta? 115.
Gylas, nomen dignitatis majoris quam Carchas, 10.
Gylas, Dux Tranſilvaniæ Conſtantinopoli baptizatus, 3. Hierotheum monachum in Hungariam ducit, ibid. Hungaris *Gyula* dictus, ibid. Tranſilvaniam regit, 4. ejus filia Sarolta, 4.

H.

Hamburgum (Hunnoburgum) ab Henrico dirutum, 92.
Hanckius, 5.
Hard (van der) unde Conſtantienſis Concilii acta collegerit? 209.
Harduinus, 100.
Hebebardus Epiſcopus Conſtantienſis, 114.
Henricus Angliae Rex, 118.
Henricus Aquilejenſis Patriarcha, cui ſuccedit? 108. quare memorabilis? ibid.
Henricus III. Imp. Petrum in Hungariam reducit, 92. ab eo lanceam deauratum accipit, eamq. Pontifici mittit, ibid. & 97. Hungariam iterum ingreditur, 93. ejus filia Sophia Salomoni, filio Andreæ, deſponſata, 93. moritur, ibid.
Henricus IV. ab Andrea in Societatem armorum pertrahitur, 93.
Hermannus, 11.
Hierotheus Hungariæ Epiſcopus multos ad Religionem Chriſtianam traduxiſſe a quibus credatur? 3, 7. nullus fuiſſe oſtenditur, 11. 14.
Horea, 9.
Horwath, 85.
Huniades (Joannes) pro Ladislao Poſtumo Hungariæ Gubernator, 48. 218. Juris Patronatus Regii ſub eo fortuna? 219. quæ ſub initium partes gubernationi ejus commiſſæ? 220. n. 1. ejus cum Pontifice controverſiæ de Epiſcopo Zagrabienſi, 221. litteræ hac in cauſſa ad Pontificem datæ, 224. item pro Archiepiſcopo Colocenſi, 225, 229. pro Epiſcopatu Vacienſi, 227, 232. ad collegium Cardinalium epiſtola 234. Jus Regium ſtrenue tuetur, 237, 239. pro conſervanda libertate Juris Patronatus ad Pontificem libere ſcribit, 237.
Hungari contra Turcas Græcis in arena ſuccedunt, 39. lege Bavarica donantur, 92. Petri Regis ſui liberalitatem ægre ferunt, ibid. rebus gerendis, quam diſceptandis aptiores, 195. in Comitiis congregatmentem totius Regni de Jure Patronatus Regio Romam perſcribunt, 218, 233. pro Præpoſitura Dömöſienſi graves ad Pontificem litteras dant, 240. iuribus ſuis ſumma religione invigilare ſolent, 245, 247. ad Chriſti fidem per inſtitutionem proprii Regis adducti, 252.
Hydvégh, 85.

I.

Jaurinum, 92. Jaurinenſis Epiſcopatus, a quo fundatus? 60. Modeſtus Epiſcopus, 93. Deſiderius bellum ſopit, 94. Georgius, 153

Ni-

Digitized by Google

Nicolaus, 201. Colomanus Nicolao ſuffectus, 203.
Igruz, 85.
Inchofer (Melchior), 23. primus litteras Silveſtri II. ad S. Steph. in lucem profert, 44, 57. item fragmentum litterarum fundationis epiſcopatus Quinqueeccl. 76. ejus ad monitum S. Steph. exclamatio, 91. quæ litteræ ei ignotæ? 102. cur de remiſſa Prælatorum inveſtitura ambiguus? 113.
Innocentius III. ejus cum Andrea Duce controverſia, 137. recentes Canones in Hungariam inducere conatur, 138. ad Regem Hung. epiſtola, ibid. a quo edita? 139. n. ad eam notæ, 140. ad Capitulum Strigonienſe litteræ, 142. altera ad Andream epiſtola, 145. ad eam obſervationes, 148. ejus de Electione Prælatorum ſententia, 150.
Innocentius IV. ejus epiſtolæ, 154. ſeqq. jusjurandum ab Archiepiſcopis exigit, 156. conf. 107. ejus in Hungaros affectus, 156. ad Colocenſem Archiepiſcopum litteræ, 157. 208. ad Epiſcopum Prænestinum 166. ad Capitulum Strigonienſe, 167. ad Regem, 168.
Inveſtitura Prælatorum Hungariæ remiſſa, 113. Inchoferi hac de re ſententia, ibid. litteræ quibus remittitur, 114. olim quomodo facta, 116.
Joannes XVII, 91.
Joannes XIX, 76, 91.
Joannes XX, 91.
Joannes Scepuſius, 60.
Jongelinus (Caſpar), 76.
Iſidorus Peluſiota, 72.
Iſtebor, 85.
Ivanicſius bene de Hungaria meritus, 223.
Jus Patronatus Regium Hungar. ejus prima origo, 43, 47. ad inſtar pactorum mutuorum a Regibus cuſtoditum, 47, 48. primum illius exercitium, 69. alia exerciti exempla, 77, 78, 81, 83. explicatur, 87, 88. fuſius exponitur, 90, 160, 163, 164, 180. ejus norma, 90. poſt mortem D. Steph. fata, 91. iterum exercetur, 95, 96, 102, 104, 106, 107, 108, 111, 112, 142, 149. reſtringitur, 118, 151. diploma, quo circumſcribitur, 120. idem examini ſubjectum, 122, ſeqq. Juris hujus robur maximum unde petendum? 199. in eo quid ſollicite diſtinguendum? 151, 152, 158, 164. Pazmani de jure hocce ſententia, 152. Jus hoc Regium periclitatur, 179, 180. in Oppidis XIII. Scepuſienſibus cui competat? 210, 211, 212. a Matthia Corvino acerrime defenſum, 246, 247. Leges de eo ab Vladiſlao II. perlatæ, 247. ejus in Tripartito Sedes, 248. quibus rationibus nitatur? 249. earum hiſtorica enodatio, 250. perpetuitas juris hujus cui adſcribenda? 256.

K.

Kal, 85.
Karolyi (Laurentius) ejus Series Epiſcoporum Jaurinenſium, 203.
Karus, 85.
Kerecben, 85.
Keztel, 85.
Kolon, 85.
Kolumbeck, 85.

Komar

Komar, 85.
Korumtbal, 85.
Koſztanicza, caſtellum, 215.
Kurkow, 85.
Kuſtyan, 85.

L.

Labbeus, erroris argutus, 5.
Ladislaus Calvus, quis? 92. n.
Ladislaus, filius Belæ, 94. vid. in ſerie Regum *Ladisl. S.*
Ladislaus Rex Siciliæ, 209.
Lambecius, 5, 55.
Lambertus, filius Belæ, 94.
Lelu, miles Zultæ, 10.
Lengyel, 85.
Leo Grammaticus, 32.
Leo Papa in Germaniam venit, 93.
Leo Philoſophus Hungarorum operam ſollicitat, 32.
Leo Porphyrogenetus, 30.
Leonardus (Camillus) ejus ſpeculum lapidum, 27. n. 1.
Levacovicz (Raphaël) 45.
Leventha, Ladislai Calvi filius, 92. quando mortuus? 93. 99.
Liptovienſis provincia, 205.
Liutica Arpadæ filius, 32.
Lucenſis (Ptolomæus) 112.
Lucius III. PP. olim Vbaldinus Cardinalis, 117.
Lucius (Joan.) epiſtolam Silveſtri in archivo Traguri nſi non reperit, 54. Stiltingi hac de re ſententia, 56. erroris accuſatur, 140. n.
Ludewig (Jo. Petrus de) 41. ejus Reliquiæ Mss. omnis ævi, quid in iis mala fide vulgaverit? 55. a quo codicem Epiſtolarem antiquitatum Archiepiſcopatus Magdeburgenſis acceperit? ibid. n.

M.

Magdeburgenſis Archiepiſcopatus, ejus antiquitatum codex epiſtolaris ablatus, 55.
Manſius, ejus fides mercenaria unde eluceat? 72. in Supplementis Conciliorum ab eo quædam omiſſa 73. cur plurima & potiora omiſerit? ibid. Geyſam cum Stephano confundit, 74. ſibi oſcitanter contradicit, 75.
Martene, ejus Theſaurus Anecdotorum, 114.
Martinus S. ejus Abbatia, 14. 70. privilegium ei conceſſum, 70. quomodo intelligendum? 89. quid de eo *Manſius* ſentiat? 73.
Mauritii B. monaſterium, vid. *Bakon-Bélienſe.*
Meraniæ Dux Bertholdus Andreæ Socer, 137. ejus filius Archiepiſcopus Colocenſis, Metropolita Strigonienſis ab Andrea Duce eſſe jubetur. ibid.
Monte (Jo. de) Canonicus Leodienſis, 73.
Moſſonium, 100.
Mundraga urbs, 32.
Muratorius, 112.

N.

Nadasd (Franciſcus Comes de) Commentarios de ſacra R. Hung. Corona vulgat, 22.
Neemias, Strigonienſis Metropolita factus, 93. Gregorii VII. ad eum litteræ, 103.
Neſſel, præfectus Bibliothecæ Auguſtæ, 55.
Nicetas a Leone Philoſopho ad Hungaros miſſus, 32.
Nicolaus III. legatum in Hungariam mittit, 172. ejus ad Ladislaum R. epiſtola, 182. Jus Regium continenter impetit, 191.

Nicolaus V. ad eum epiſtola juſſu Joannis Gubernatoris ab Epiſcopo Varadienſi data, 228. item alia eaque graviſſima ab ordinibus Hungariæ, 240.
Nicolaus Decanus orator Hung. apud Sedem Apoſt. 233. ad eum Huniadis epiſtola, 230. Epiſcopi Varadienſis, 235.
Nicolaus Magiſter Vicecancellarius, 178.
Nicolaus Oſtienſis, Sedis Apoſtolicæ in Hungaria legatus, 35.
Nicolaus Patriarcha, quis? 33.
Nimygb, 85.
Nitrienſis Epiſcopatus, 60. iterum reſtitutus, 118. Reynoldus Epiſcopus, 153.

O.

Oläbus (Nicolaus) Epiſcopus Zagrabienſis, Cancellarius Hung. 257. n. 1. Archiepiſcopus Strigonienſis nominatus, 257. Tyrnaviæ ſynodum Diœceſanam celebrat, 254.
Orzius, Dux Hungarorum, 71.
Otrokotſius, quomodo vocem *ignotus* in litteris Silveſtri occurrentem intelligat? 57.
Otto Imp. quare Curopalatæ *Joannes* dictus? 7. Benedicti VII. ad eum epiſtola, 60.
Ottocarus, Rex Bohemiæ hoſtis Hungariæ, 172.
Oudinus, quid de Scylitze? 5.
Ovarinum, eo ſe Salomon a Ducibus victus recipit, 100.

P.

Pagius, ejus calculus, 38. ejus critica, 74.
Pagzanus, Dux Hungarorum, 71.
Pandulphus Piſanus, ejus Paſchalis II. vita mſ. 58. 114.
Pannoniæ mons, monaſterium ibi ſtrui cœptum, 14. ad finem perductum, 14. 70. ejus laudes, 70.
Papa, ejus adpellatio, 64. quid ſibi in diſponendis Hungariæ Eccleſiis vindicaverit? 82. in iis præter confirmationem ad conſecrationem nihil retinuit, 89. 90. formula juramenti, quod a Patriarchis, Metropolitis &c. exigebat, 107. ubi titulares epiſcopos nominare non poſſit? 270.
Paſchalis II. quando in Pontificem electus? 106. ejus cum Colomano Rege controverſia, 107. ad Hugolinum Archiep. Colocenſem epiſtola, 108. examinata, 111. 112. ejus vitam Mart. Polonus deſcribit. 113.
Paſchalius (Carol.) ejus opus de coronis, 38. n. 1.
Patha, 85.
Pazmány (Petrus) S. R. E. Cardinalis & Archiepiſcopus Strigonienſis, 13. jurium rerumque Patriæ cognitione clariſſimus, 262. ejus de Epiſcopatibus titularibus ſententia, 49. de iiſdem diſcurſus, 268. de jure Patronatus Regio diſſertatio, 152. 262. quando ſcripta? 266.
Pécs. - *Varad*, vid. *Varad*.
Pelcz (Joan.) hiſtorema Schwartzii tuetur, 18. Bonifacium VII. Benedicto VI. ſubſtituit, 19. ejus ſententia examinatur, 19. labefactatur, 20.
Péterſi (Carol.) S. J. ejus ConciliaReg. Hung. 42. erudita adnotio, 83. quid de Schwartzio? 89. memoria labitur, 105. mirus legum interpres

pres, ibid. ejus error correctus, 123. oſcitantia detecta, 136. a vero aberrat, 138. corrigitur, 171. ejus ſententia de receptione Canonum Concilii Tridentini in Hungaria quomodo probanda? 261. Num munere viri candidi perfunctus ſit? 267.
Petrus S. in ejus honorem monaſterium ædificari cœptum, 91.
Philippus frater, legatus Apoſtolicus in Hungaria, 172.
Piligrinus LaureacenſisEpiſcopus,ejus ad Benedict. VII. de converſione Hungarorum litteræ, 16. in Avaria vices Papæ gerit, 60.
Piſteca, 85.
Pithœi erroris convicti, 145.
Podrog, 85.
Poklonia, 85.
Polonus (Mart.) 112.
Poſonium, 92. Caſtri Poſonienſis Capitaneus Steph. de Roſzgon, 216.
Poſtulatio, quid in Hungaria ſignificet? 160. de ea litteræ fraudulenter extortæ, 193. earum exemplum, 200.
Prœneſtinus (Jacob.) Apoſtolicæ Sedis Legatus, ad eum quid Andreas II. de D. Stephano ſcripſerit, 35.
Preſtlabum, eo Hungari Simeone victo perveniunt, 32.
Procopius, quid de Juſtiniano perhibeat? 41.
Pulszi vid. Boloſudes.

Q.

Quinqueeccleſienſis Epiſcopatus, quando & a quo conditus? 60. 76. litteræ fundationis, 77. Maurus Epiſcopus, 93. 95. Eccleſia a Petro Veneto condita, 94. Calanus Epiſcopus, 131. Ladislaum coronat, 137. Epiſcopi, qui hodie eſt, laudes. 131. Nicolaus, 204. Draskowicz. 250.
Quiyluylcbbana argentifodina, quo tempore & ubi floruerit? 189.
Rada, 85.
Rado, Comes Palatinus, 95.
Raduk, 85.
Rakolyan Hungarica, 85. Slavonica ibid.
Rajcſány (Adamus) ejus ſpecimen diplomaticum de Maria Ludovici I. filia &c. manu exaratum laudatur, 83.
Ranzanus, 194.
Rayk, 85.
Raynaldus (Odoricus) 35. 70. 105. emendatur, 203. rationes frequenter reticere ſolet, 203. fidem proborum & doctorum hominum in quibusdam non meretur, 207.
Reche, 85.
REX HVNGARIAE vice Pontificis Eccleſias diſponit, ordinat, 46. 68. 113. a ſuis olim jam Apoſtolicus dicitur, 64. 65. 68. vid. *Apoſtolicus*. Inveſtituræ Prælatorum per Epiſcopalia ornamenta renunciat, 114. quomodo ſedi Apoſtolicæ ſubjectionem teſtabatur? 114. quid ei circa Prælaturas competat? 113. 114. ejus Jus Patronatus in quibus conſiſtat? 152. vid. *Jus Patronatus*. eum coronandi cui poteſtas competat? 195. quonam jurejurando non teneatur? 198. ejus jus in bona Eccleſiaſticorum in quonam conſiſtat? 203.

REGES HVNGARIAE:
Stephanus S. ejus vita ubi legatur? 4. 102. cui *Waic* dictus? 34. terram Ultra Silvanam ſubjugat, 9. monaſterium a Geyſa cœptum exædificat, 14. gener Henrici rixoſi, 34. Hungaros ad Catholicam fidem convertit, 43. quid de eo Eccleſia canat? 43. cur Apoſtolus dictus? 44. 72. ejus laudes, 46. 66. 91. Chriſtum prædicat, 47. Regnum ſubjicere aut donare nemini potuit, 59. 98. quos Epiſcopatus condiderit? 60. privilegium Abbatiæ S. Martini conceſſum, 70. Epiſcopatui Quinqueeccleſienſi, 77. Veſzprimienſi, 78. Monaſterio Vallis Veſzprimienſis, ibid. num litterarum Græcarum gnarus fuerit? 80. privilegium Monaſterio de Varad datum, 81. de Szala, 83. Bakon-Beliens. 87. munere Legati Apoſtolici perfunctus, 90. normam Juris Patronatus præbet, ibid. ejus ad filium monita, 91. ejus vigiliarum celebratio ſtatuta, 104.
Petrus Venetus, qualis? 91. ejus fata 92. in Hungaros odium & tyrannis, 99. num Regnum Cæſari tradere potuerit? 99. vid. & 58. 98. jus patronatus exercet, 94.
Aba, quis? 92. Palatinus Rex creatus, ibid. Henricum Imp. fugat; profligatur, ibid. jus patronatus exercet, 94.
Andreas, exul in Ruſſia, 92. in Regem inauguratur, 93. res ab eo geſtæ, ibid. jus patronatus exercet, 95. miſere extinctus, 94.
Bela, in Poloniam abit, 93. reverſus in Regem coronatur, 94. moritur, ibid. Abbatiam Szexardienſem condit, 96.
Salomon, quinquennis Rex coronatus, 93. ad Henricum III. miſſus, ibid. reductus in Hungariam, 94. iterum unctus, ibid. a Geyſa Duce tertium coronatus, ibid. Pontificis ad eum litteræ increpatoriæ 97. n. an ab Henrico regnum acceperit? 101. *Geyſa*, Pontificis ad eum litteræ, 100. 101. num morem geſſerit? 102. munere Apoſtolico egregie functus, ibid. quando mortuus? ibid.
Ladiſlaus S. quando ſucceſſerit? 102. quare inter divos relatus, 103. poteſtate ſua legitime uti maxime ſtuduit, 104. 105. ſynodo Szabolcſenſi præſidet, 104. 267.
Colomanus, quis & quando Rex? 105. animi ferocis, 116. vita S. Stephani ejus juſſu ſcripta, 51. Dalmatiam occupat, 54. litteras fundationis Monialium Vezprimienſium græcas latine reddi jubet, 79. ejus de bonis Eccleſiaſticis ſuperfluis Decreta, 106. cum Paſchali II. controverſia, 107. 108. quare juramentum Metropolitæ Colocenſi a Pontifice oblatum non admiſerit? 111. Qualem Tragurinis legem ſcripſerit? 112. inveſtituram Prælatis Dalmatiæ remittit, 116. quid Prælatis in Hungaria remiſerit, & quid retinuerit? 117.
Stephanus II. impuber ſuccedit, 117. immunitates Tragurinis & Spalatenſibus conceſſas confirmat, ibid.
Bela Cæcus, quando ſucceſſit? 117. quæ pro jure Patronatus Regio egit? 118.
Geyſa II. Nitriæ Epiſcopatum reſtituit,

Digitized by Google

ſtituit, 118. Jus Patronatus reſtringit, ibid.
Stephanus III. quando ſucceſſit? 118. diploma ei temere adſcriptum 119.
Bela III. quando ſuccedit? 118. Diploma, quo Jus Regium circumſcribit, 120. quomodo intelligendum? 122. ſeq. controverſia de jure Patronatus, 127.
Emericus, conſtitutionem Geyſæ avi a patre confirmatam tuetur, 130. ejus cum Innocentio controverſia, ibid. Epiſcopum Vacienſem caſtigat, 132. ad expeditionem ſacram excitatur, 136. obiit, 137.
Ladislaus, a quo & quando coronatus? 137. tutelæ Andreæ commendatus, ibid. mortuus, 139.
Andreas II. tutor Ladislai, 137. jure Patronatus utitur, 136. ejus conjux, 137. cum Pontifice controverſia, ibid. hujus ad illum litteræ, 138. coronatus, 139. de anno coronationis diſquiritur, 140. Joannem Colocenſem ad MetropolimStrigonienſem transfert, 142. aliæ Pontificis ad eum litteræ, 146. examinantur, 148. quare jus primarum ad electionem partium obfirmato animo tuitus ſit? 151. vita functus, 153. ejus Decretum examinatum, 198.
Bela IV. patri ſuccedit, 153. ejus laudes, 170. vincitur, 153. ad Pontificem litteras dat, 48. 156. ejus cum ſede Romana controverſia, 157. litteræ, 159. 161. jus ſuum conſtanter tuetur, 168. exemplo S. Stephani legationis dignitatem poſcit in Bulgaria, 251. quare? 252. moritur, 170.
Stephanus V. quando Rex factus? 170. quamdiu regnat? ibid.
Ladislaus IV, quando coronatus? 171. qualis? 172. quid de corona ſtatuat? 35. contra ſcriptores iniquos defenſus, 172. 179. juvenis ad jurandum a L. S. A. inductus, 178. juramenti ejus exemplum, 182. In Philippum L. A. S. injurius 187. Pontificis ad eum epiſtola, 182. ejus ſocer, 188. ejus Palinodia, 188. uxor Iſabella Caroli Siculi filia, 191. quæ animi identidem mutati cauſſæ? 192. in litteris ad Martinum IV. amare queſtus, ibid. hujus ad eum epiſtola, ibid. a Cumanis in pugna interemtus, 193.
Andreas Venetus, in Hungariam vivente Ladislao delatus, 194. in Regem ſolenni ritu inauguratus, ibid. ejus origo & jura in Hungariam, ibid. Pontificem qualem expertus ſit? 195. ab Italo famulo toxico ſublatus, 195.
Venceslaus Gregorium Metropolitam Strigonienſem a Pontifice ſuffectum non vult agnoſcere, 195. a Patre Venceslao Rege Bohem. Hungaris datus, iterum una cum corona recipitur, 196.
Otto a Veſprimienſi & Cſanadienſi Epiſcopis in Regem unctus, 196. coronam Hungariæ in itinere perditam iterum invenit, 197. captivus coronæ renunciare cogitur, ibid.
Carolus Robertus (Carobertus) Caroli Martelli ex Clementia filius 195. Spalatum advectus, 196. Hugrini curæ & protectioni commiſ- ſus,

ſus, ibid. in Regem a Gregorio Metropolita Strigon. juſſu Pontificis unctus, ibid. a Dalmatis Rex ſalutatus, ibid. a Thoma Strigonienſi Metropolita ritu legitimo coronatus, 198. quid circa Conſtitutiones a Gentili perlatas egerit? 199. ejus circa jus patronatus Regium indulgentia, 202. qui contra eum querelas ad Pontificem detulerunt? 203. inde enata controverſia, 202. alia propter occupatum caſtrum Jaurinenſe, 203. quando mortuus? 204.

Ludovicus Magnus, 104. jus Regium tuetur, ibid. exercet, 206. contra Raynaldi cavillationes defenſus, 207. leges de jure Regio graviſſimas perfert, 208.

Maria, Decreta Regum confirmat, 208.

Sigismundus in Regem inunctus, 208. a conjuratis captus, 209. ex cuſtodia elabitur, ibid. privilegium Abbatiæ S. Adriani confirmat, 84. Strigonienſem Archiepiſcopum bonis omnibus juſtiſſime mulctat, 209. quomodo in Eccleſias ab Hungaria avulſas jus ſuum retinet? ibid. ejus tempore collatio beneficiorum & aliæ Regni libertates a Conſtantienſi Concilio confirmatæ, ibid. Præpoſitum Scepuſienſem inſigni privilegio ornat, 210. quomodo juri Regio conſulit? ibid. Oppida Scepulſienſia pignori dat, ibid. jus regium in iis exercendi Præpoſito dat poteſtatem, 212. quando & ubi mortuus? 213.

Albertus Rex, 213.

Eliſabetha Regina Hungariæ, 213. 215. 216. Archiepiſcopum Strigonienſem legitime creat, 213.

Ladislaus Lithuaniæ Dux, quando coronatus? ad Varnam cæſus, 218.

Ladislaus Poſtumus Rex agnitus, 218. pro eo Comes Ciliæ de libertate juribusque Regni tuendis juratus promittit, 244. Redux Roma Hungariæ redditur, 245. Delicium humani generis, 246. titulos Primatis & Legati Nati Archiepiſcopo Strigonienſi confirmandos curat, 245. extinctus, ibid. quis pro eo Gubernator? vid. *Joh. Huniades*.

Matthias Corvinus, quando ſuccedit? 246. ejus juris Patronatus tuendi incredibile ſtudium, ibid. Cardinalem Aragonium Strigonienſi infula donat, ibid. quid ad eum pro jure Patronatus ſcripſerit? 48, 246. quando mortuus? 217.

Vladislaus Bohemiæ Rex, quando coronatus? 247. quales de jure Regio Patronatus leges pertulerit? ibid. Ladislaum Gerebum ad Colocenſem Metropolim transfert, 248. Conſuetudines Hungariæ in ſcriptum redactas confirmat, ibid.

Ferdinandus I. Nicolaum Olahum Strigonienſi Eccleſiæ Archiepiſc. dat, 257. exemplum diplomatis nominationis, ibid. in eo jus patronatus Regium eminere oſtenditur, 258. ejus ſanctio de bonis eccleſiaſticis unde profecta? 259.

Ferdinandus II. de jure Patronatus Regio a Pazmano edoceri vult, 262. jura ſua religioſiſſime cuſtodit, 265.

Leo-

Leopoldus M. Jus Patronatus Regium tuetur, 272.
MARIA THERESIA, Apoſtolici Regis titulum a PP. obtinet, 65. Papæ hac ſuper re in forma Brevis litteræ, ibid.
Réwa (Petrus Comes de) ejus de Corona Hungariæ ſententia, 21. Commentarius de ſacræ Regn. Hungariæ Coronæ ortu, virtute &c. 22. effigies coronæ ab eo vulgata, 22. 24. quid de origine Coronæ ſentiat? 36. Opinio ejus examinatur, 37. ſententia de cruce Hungarica probata laudatur, 42.
Rogerius Varadienſis Canonicus, 153.
Roſenthal (Anton. de) 27. n. 1. laudatur, 41. ejus de Eliſabetha Regina ſententia, 213.
Roszgon (Stephan. de) quis? 216. Roſzgoniana defectio, 213.
Rudolphus I. Imp. ſocietatem armorum cum Ladiſlao R. init, 172. Albertum filium Hungariæ Regem creat, 194. qui tamen non recipitur, ibid. Clementia, ejus filia, 195.
Ruſſia, Religionis Chriſtianæ in ea Initia, 12. Andreas, & Leuentha exules in eam ſe recipiunt, 92.
Rutheni ad obedientiam ſedis Apoſtolicæ a Bela IV. revocantur, 163.

S.

Saar, ibidem Monaſterium ab Aba fundatum, 94.
Sambucus (Joa.) 70.
Sarolta Gyulæ filia, 4. mater S. Stephani, 9.
Saxo Annaliſta, 11.
Saxones, eorum Metropolitæ quare laudentur? 110.
Sceptrum Regum Hungariæ quale? 41. num illius loco cruce uſi ſint? 42.
Scepuſium, Eccleſia S. Martini ibidem in Epiſcopatum erigenda, 204. Præpoſitus inſigni privilegio ornatus, 210. id a Matthia & Pio II. confirmatur, 211. *Villa* civitatis titulo inſignienda, 205. *Oppida XIII.* Vladislao pignori data, 210. in iis Jus Patronatus cui competat? 210. 212.
Schmitth (Nicol.) e S. J. 103. laudatus, 171.
Schopy, 85.
Schwantner (Joan. Georg.) de Hiſtoria Hung. præclare meritus, 210.
Schwartz (Joa.) ejus diſſertatio, in qua initia Religionis Chriſtianæ inter Hungaros orientali Eccleſiæ adſeruntur, examinatur, 2. 5. ejus opiniones a Jo. Stiltingo caſtigatæ, 4. unius Scylitzæ auctoritate nituntur, 5. evertuntur, 7. 8. 9. ejus de litteris Silveſtri II. item de Charthuitii vita S. Steph. ſententia, 13. Eccleſiam Hungaricam initio ἀκέφαλον fuiſſe putat, 14. falli oſtenditur, 15. 16. 17. Coronam Hungariæ a quo profectam credat? 20. erroris arguitur, 21. 22. rerum veterum incurius, 26. ejus de conſilio Conſtantini Porphyrog. peculiaris opinio, 31. conjectura de accepta a Græcis Impp. Hungariæ Corona ad abſurdum deducta, 32. 33. num contumeliæ arguendus? 36. ejus argumenta contra authentiam litterarum Silveſtri PP. examinata evertuntur, 49. 50. de titulo Apoſtolici ſententia probatur, 63. quibus argumentis contendat, litteras Silveſtrinas eſſe confictas, 99. refellitur, 102.
Scylitzes Curopalates (Jo.) 2. quo tem-

tempore vixerit? 5. idem qui Joan. Thraceſius, 5. ejus hiſtoria Venetiis 1570. edita, 7. Manuſcriptæ in Bibliotheca Aug. venerandæ ætatis exemplar, ibid.
Sebaſtocrator unde dictus? 25. quo loco habitus, & quali corona redimitus? ibid.
Sergius IV. PP. 91.
Sergius Abbas, 39.
Sigebertus, quid de Boloſude, 11. quid de Leone Conſtantini filio? 31.
Silveſter II. ejus ad S. Stephanum literæ Schwarzio ſuſpectæ, 13. quas ad Regem Stephanum & Proceres Regni miſerat, deſiderantur, 35. 47. Gerbertus ante Pontificatum dictus, 38. ejus ingenium, judice Baronio, ibid. artes liberales in Gallia reſuſcitat, ibid. quando ad Pontificiam dignitatem evectus, 38. cur Græcum diadema Stephano miſerit? 39. cur coronæ inſignia ſua non inſcripſerit? 40. literarum ejus ad D. Stephanum repertarum hiſtoria, 45. exemplum, 46. cur potiſſimum obſcura earum fiat mentio? 52. explicantur, 57. 59.
Simeon, Dux Bulgariæ, 32. quid coronæ loco a Græcis acceperit? 32. 33.
Siſinius Patriarcha Conſtantinopolitanus, 39.
Sklot, 85.
Sniger, 85.
Sobor, ibid.
Solimanus Turca, 60.
Spalatum, Gaudius ibi Archiepiſcopus, 117. eo Bela IV. poſt cladem acceptam venit, 152.
Stephanus S. vid. *Reges Hung.*
Stiltingus (Joan.) laudatur, 4. facilis in concedendo, 19. Ditmari egregius interpres, 35. ejus erronea opinio, 37. notæ ad privilegium, Abbatiæ S. Martini conceſſum, 75. quid de Monaſterio Pécs-Varad? 81.
Stock (Joan.) Medicinæ & Artium Doctor Præpoſitus Scepuſienſis, 210.
Stolcz, 85.
Strigonium, Metropolis, 46. 60. ei quis primus præfuerit? 75. ab Andrea Nemias præficitur, 93. Joannes electus, 137. Capitulum quid? ibid. Calanus Archiepiſcopus, 138. 140. Matthias 153. Stephanus Vancſa, 153. hic in quibus exceſſerit? 156. Benedictus, 169. qui ſub Ladislao IV. ei præfuerint? 171. quis eorum hiſtoriam dederit? ibid. Benedictus II. quis? 172. Lodomerius Pontificis conatibus reſiſtit, 195. Gregorius a Pontifice ſuffectus, 195. a filiis Nicolai de Columna occiſus, 195. Thomas, 198. Bogeslaus, 200. Cſanadinus de Telegd, 203, Joannes de Caniſa, 209. Dionyſius de Szécs, 213. Archiepiſcopo Primatis & Legati nati tituli confirmati, 246.
Suidas, 41.
Syrmienſis Epiſcopatus, 60.
Szabolcs, ſynodus ibi habita, 105.
Szala (Abbatia S. Adriani M. de) vid. *Adrianus.*
Szalandr, 85.
Szegedy (Joan.) auctor opuſculi: *Aſſertor libertatis Hungaricæ*, 78.
Szentivány (Martinus) heros ſcholaſticus, 266. de receptione Con-

cilii

Digitized by Google

cilii Tridentini in Hungaria minus perite ſentit, ibid.
Szoklos arx, 209.
Szölöſs, 85.

T.

Theophanes, 30.
Thomaſius (Jacob.) 5.
Thraceſius, vid. *Scylitzes*.
Thuroczius, 91. ejus de tradita Hungaria teſtimonium quale? 99.
Timon, ejus imago antiquæ Hungariæ, 57. diligens Hungariæ Chronographus, 94. ejus error notatur, 196.
Tininienſis Epiſcopus, 223. Duditius, 260.
Tolon, Princeps Cumanorum, 176.
Tragurium Dalmatiæ, 112. a Venetis deditione acceptum, 271.
Tranſilvania, 9. 61. ejus Vajvoda Ladislaus Ottonem R. captivum includit, 197. ejus prima ſub Hungaris fata, 9.
Tridentini Concilii Decreta num in Hungaria recepta ſint? Martini Szentivanii hac de re ſententia, 259. eam erroribus ſcatere oſtenditur, 260. quid de ea Péterfius tradat? 250. quid ſtatuendum? ibid. Num ſecundum placita illius in quæſtionibus de Jure Patronatus Regio, deque adpellatione Prælatorum pronuntietur? 260. 271.
Tripartitum Opus, 250.
Tubutum Tranſilvaniam obtinet, 5.
Tychon, 95.
Tyrnavia, Synodus Diœceſana ibid. celebrata ſub Ferd. I. 259. in ea num Concilium Tridentinum receptum ſit? ibid. 260. 271. alia Provincialis, Pazmano Archiepiſcopo Strigonienſi, 266. in ea de Jure Patronatus Regio nihil innovatum, 267.

V.

Vacienſis Epiſcopatus, a quo fundatus? 60. Boleslaus epiſcopus, 131. Steph. Vancſa, 153.
Varadienſis Epiſcopatus, 60. Ivanka epiſcopus, 201. Joannes, a Huniade electus, 219.
Vatha quis? 93.
Varad (de) Monaſterium S. Benedicti, quando & a quo fundatum? 81. litteræ fundationis, ibid. Abbatis prærogativa, 82. S. Stephani in Eccleſiam liberalitas, 83.
Vancſa (Steph.) Archiepiſcopus Strigonienſis, 153. in Jura Regia involat, 156. Epiſcopus Præneſtinus, 159. in Hungariam redire cupit, 165.
Valentinus frater, 237. 238. 239.
Verantius (Antonius) 45. quis? 53.
Verebely arx, 209.
Veszprimienſis Epiſcopatus a quo poſitus? 60. quo tempore conditus? 76. de litteris fundationis, 78. ejus jura circumſcripta, 80. Canonici in jura Regis involant, 156. 157. Simon Epiſcopus, 213. *Vallis*, Monaſterium Virginum, 78. litteræ fundationis Græcæ, ibid. quare? 80. Jaurini in Collegio S. J. adſervantur, 79. id nimirum in jura ſucceſſit Monaſterii, ibid.
Vghellus, ejus error de Steph. Vancſa notatus, 169.
Vladislaus, Dux Cujavienſis, Abbatia S. Martini donatus, 206.
Voſſius, 5.
Vrſpergenſis Abbas, 11.
Vratislaus Bohemiæ Dux captus, 94.

Vrug vel *Vng*, 85.
Vruſtun, ibid.
Vxuc, Princeps Cumanorum, 176.

W.

Waic, quid nominis ſit? 34.
Wenceslaus Rex Bohem. ejus filius Wenceslaus Regnum Hung. adpetit, 35. Pontificis ad eum litteræ, ibid.
Werböcz (Steph.) Judex Curiæ, 250. Tribonianus Hungaricus, 43. quas pro Jure Patronatus alleget rationes? ibid, 250. ejus de litteris Silveſtri ſilentium, 50. litteras Silveſtrinas in manibus num habuerit? ibid. cur eas claris verbis non deſignarit? 52. juſſu Vladislai II. jura, leges & conſuetudines Hungariæ colligit, 248.
Witichindus, quospiam Duces gentis Hungaricæ nominat, 10.

Z.

Zagrabienſis Epiſcopatus, a quo conditus? 60. Auguſtinus a Pontifice electus, 196. Nicolaus Oláhus, 259. n. Steph. Selisgenich, 272.
Zicardus, quis? 108.
Zobor, 85.
Zonaras, qua ætate floruerit? 5.
Zredna (Joa. de) Protonotarius, 218.
Zubor filius Horcæ, 9.
Zulta, Dux gentis Hungaricæ, 10.

Errata, quæ diligentiam Typothetæ effugerunt & noſtram, hæc fere ſunt; nam leviora benignus lector per ſe facile adverterit ſimul & correxerit.

Pag.	*Lin.*	
14	10	officacia, *lege:* efficacia.
18	27	efficiatur, *lege:* efficiatur.
24	4	captis, *lege:* capitis.
40	7	couſuetudinis, *lege:* conſuetudinis.
45	19	peroinde, *lege:* proinde.
60	1	Hungaricæ, *lege:* Hungariæ.
72	23	conſtitutinem, *lege:* conſtitutionem.
- -	21	omnio, *lege:* omnino.
89	ult.	ſeceſſoribusque, *lege:* ſucceſſoribusque.
111	5	in ea, *lege:* ſi in ea &c.
112	2	contta, *lege:* contra.
161	ult.	conſiilo, *lege:* conſilio.
164	1	adhibeantes, *lege:* adhibentes.
200	2	llegitimæ, *lege:* illegitimæ.
217	11	habuituri, *lege:* habituri.
219	20	domno, *lege:* damno.
255	14	præſiturarum, *lege:* præpoſiturarum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005657653

Digitized by Google

Digitized by Google